COLLEGIUM UNIVERSI JURIS CANONICI JUXTA TRIPLEX JURIS OBJECTUM...

Ludwig Engel

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
13 A
3 H

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLEGIUM

UNIVERSI JURIS CANONICI

Juxta triplex Juris objectum

PERSONAS, RES, ET ACTIONES

PARTITUM.

Servatis Rubricis V. Decretalium, sed juxta Materiæ exigentiam transpositis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUOD

DEO ADIUVANTE

Pro Utilitate Studiosorum Juris Canonici

Collegit

P. LUDOVICUS ENGEL,

ex Monasterio exempto Mellicensi Ord. S. P. Bened. Infer. Austr. J. U. D. Celsiss. & Reverendiss. Principis & Archiep. Salisb. Consiliarius Ecclesiasticus, & in Universitate Salisb. Procancellarius, ac SS Canonum primus Ordinarius Professor.

Cum Gratia & Privil. speciali Sac. Cæs. Majest.

16 71.

SALISBURGI,

Sumptibus & Typis JOANNIS BAPT. MAYR,

Typographi Aulico-Academici.

Digitized by Google

Digitized by Google

CELSISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

MAXIMILIANO

GANDOLPHO

Ex Sac. Rom. Imp. Comitibus

DE KHÜENBURG,

ARCHIEPISCOPO

SALISBURGENSI,

S. SEDIS APOST. LEGATO,

GERMANIÆ PRIMATI

&c. &c.

Domino Domino

Clementissimo.

Digitized by Google

CELSISSIME PRINCEPS,
Domine Domine Clementiſſime.

Mnis ævi Scriptoribus ſolenne ſuit, ad enixos ingeniorum ſuorum fœtus Patrinos & Patronos quærere, quos & honorarent, & adverſus obtrectatores invocarent. Patere CELSISSIME PRINCEPS, ut Illuſtriſſima TUA *Inſignia*, *& Clementiſſimum Nomen* foribus *Collegij* mei præfigam, non ſolùm, ut ſub Eo *ſalvum* ſit, ſed magis, ut quidquid ineſt operis, pedibus TUIS debiti honoris ergò ſubſternatur.

Quantus enim Canonici ſtudij Patronus & Cultor exiſtas, ipſe palàm profiteris, & abundè teſtatur hocce nunc TUUMMET Archiepiſcopale Conſiſtorium, cui prius annis plurimis *Præſes ſapientiſſimus* præfuiſti, Diœceſes & Epiſcopatus laudatiſſimè rexiſti, Ipſe tunc geminarum Diœceſium, *Lavantinæ*, & pòſt *Seccovienſis* Antiſtes digniſſimus, optimus, uſque dum ex hoc Canonico ſtudio & ſtadio Canonica electio TE ad apicem *Archiepiſcopalis* dignitatis conclamatim cum totius Provinciæ etiamnum durante Congratulatione meritiſſimum evocavit.

Sed

Digitized by Google

Sed neque Tu primus es ex *Illuſtriſſima Familia* Tua, quem Mitræ & Merita coronârunt, dedit Ea ante Te Archiepiſcopos binos, Epiſcopum Chiemenſem, Præpoſitum hujus Metropolitanæ Eccleſiæ, Abbates in Ordine S. P. Bened. in Oſſiac, & Arnoldſtain, Præpoſitum in Eccleſia Collegiata B. M. V. veteris Oettingæ, *plures* haud dubiè etiam impoſterùm *latura*, datura hæc *ſtirps* honorum fertiliſſima, hæc *ſuperis adamabilis Arbor.*

Quidni ament Superi *ſtirpem* Nobilitate plantatam, virtutum rore rigatam, pietate excultam, bonarum artium diſciplinis virentem, morum comitate amænam, ſapientiâ prudentiâque maturam, unde dignitatum culmina, honorum uberrimi fructus divinarum. Favonijs gratiarum adſpirantibus enaſcuntur. *Raro fœdere* conjurârunt *Pietas Pallásque* in Te Celsissime Princeps, *& Illuſtriſſima Proſapia* Tua, *mutuóque decore* illuſtrior â *Pietate Pallas*, â *Pallade Pietas*, ab utrâque Illuſtriſſima *Domus* Tua. Gemma ab annulo, annulus â gemmâ radiat, junctim hominem ornant. Clara virtus verè illuſtrem reddit: *qui genus jactat ſuum, aliena laudat.* In Te verò Celsissime Princeps & aliena & propria laudantur, qui & *Avitas* & *Agnatas* virtutes *propriis*,

non privatis modò, ſed & publicis cum regendi dexteritate conjunctis accumulas tanto rariori, quo majori & â longiori *Ævo* & *Avo*, quin & ab *Ovo* ſeu exordio naſcentis heroici ſtemmatis Tui radiante decore.

Singulari autem & humillimâ devotione Te colit Celsissime Princeps *Academica Pallas* ſub Tuo *Pallio* tecta, tuta, ſub Clementiſſimo MAXIMILIANO magna, aucta: non *parta tueris* ſolummodò; ſed *augendo tueris* majori Tuo & perennaturo encomio, noſtro commodo. Cum hoc igitur *Collegio* totum noſtrum Collegium, Ordinem, & me Tibi Celsissime Princeps humillimâ gratitudine devotiſſimum & devinctiſſimum accipe, Nóſque omnes ſub Tuam Clementiſſimam gratiam collige, collectos protege, protectos ſerva. Deus Te viciſſim ſervet Tuo, publico, & noſtro bono incolumem, proſperum, longævum. Sic precor

Clementiſſimæ Celſitudinis
Tuæ

Humillimus & obſequentiſſimus
LUDOVICUS ENGEL.

Digitized by Google

APPROBATIO
FACULTATIS THEOLOGICÆ.

LIber hic, cui titulus: *Collegium Universi Juris Canonici &c.* cùm & illæsis Orthodoxæ Fidei dogmatibus, & bonorum morum legibus solidam, ac eruditam doctrinam amica brevitate, & claritate proponat, meritò publici juris, & laudis sit. Ita judico

Loco spectabilis D. DECANI

P. BENEDICTUS ABELZHAUSER, Ord. S. Benedicti Monachus Seittenstettensis, SS. Theologiæ Doctor, Sac. Scripturæ & Controversiarum Fidei Professor Ordinarius.

APPROBATIO
FACULTATIS JURIDICÆ.

COllegium istud *Canonicum*, cujus hîc prima Pars continetur, non solùm non contrariatur *L.* 1. *&* 3. *ff. de Collegiis illicitis*: sed cùm solidâ tam *SS. Canonum*, quàm eximiorum *Doctorum* solertissimè collectâ, & velut *collegialiter* in *uno corpore* congregatâ *authoritate* stabiliatur, jure meritissimo in lucem publicam prodit; ut laudem ac splendorem, quem à Clarissimo *Auctore* ac *Fundatore* suo accipit, dignâ in ipsum *reflexione* refundat. Ita censet

P. JOSEPHUS MEZGER, Ord. S. Benedicti in Monasterio S. Petri Salisb. Professus, SS. Theologiæ & J. U. Doctor, SS. Canonum Professor, & p. t. Collegij Juridici Decanus.

Digitized by Google

PROLOQUIUM
Ad Juris Canonici Studioſos.

VEſtrâ duntaxat causâ, quibus Manuſcripta aut mutila, aut incorrecta, aut nulla ſunt, aut facilè depereunt, hanc operam (annuentibus & approbantibus Superioribus meis) ſuſcepi DD. Studioſi. Neque enim præſumo, vel Tribunalibus leges præſcribere, vel doctiores inſtruere, à quibus ipſe multa etiamnum habeo, quæ diſcam. Extant, fateor, celeberrimi SS. Canonum Interpretes, ſed plerique vos in hoc ſtudio Tyrones magnitudine & prolixitate ſua (ſucceſſu tamen temporis plurimum vobis profuturâ) obruunt, aut compendio minùs ſatiatos dimittunt. Inter utrosque laboravi, ut mediam viam tenerem, atque ut compendio aliquid amplius dicerem, ſed cum hac veſtrûm admonitione, ne in hoc ſolo opuſculo præſertim circa cauſarum deciſionem quieſcatis, potiùs verò hauſtis hinc primis quaſi principiis & manuductione acceptâ etiam in aliorum Authorum doctiſſimis libris veritatem indagetis. Si forſan jam ante me probatior Methodus in lucem prodierit, ſpero, non idcirco has exiguas lucubrationes damnandas; licèt enim in tanta librorum copia vix ſit aliquid circa materiam novi in medium proferre, ipſa tamen libri novitas curioſos, & ex curioſis nonnunquam doctos lectores facit. Ut porrò hanc Methodum aſſumerem dividendo totum opus in tres partes juxta triplex juris objectum, & transponendo Titulos ſervatis eorum Rubricis, movit me, quòd exiſtimem hoc modo faciliorem, & pro captu diſcentium magis accommodam

dam inter Titulum & Titulum, materiam & materiam esse connexionem, ita tamen ut Rubricæ in Corpore Juris Canonici extantes, & quotidie à DD. allegari solitæ Studiosis nihilominus ex integro innotescant, mihi quoque magis expedire visum est, per intervalla temporis has partes edere, ut superstit occasio in sequentibus emendare, purgare, aut supplere, quæ sapientiorum judicio in prioribus notata fuerint. Non paucas quoque materias ad Manuale Parochorum remisi, ut quia jam ad plurium manus devenit, etiam ipsi suus vigor remaneat, quod Deo dante spero cum tempore in formam hujus Opusculi pluribus expurgatis & adjunctis renovandum. Accipite proinde optimi DD. Studiosi & laborem vestrum (pro quo unà cum supplici precatione omnia Superis venalia) ad laborem hunccc meum conferte, & totam Operis Tripartiti seriem in sequentibus versiculis memoriæ tantùm causâ citra elegantiam colligatis habete, valete.

PARTES.	LIBRI.
PRIMA *Docet Leges, Clerum, Monachum atque Regentes.*	I.
Legitimos Sponsos, legitimósque thori.	II.
ALTERA *Disponit res sacras, atque profanas*	III.
Pactis postremum jungit & elogium,	IV.
TERTIA *Judicium format, quo jurgia finit,*	V.
Crimina persequitur, solvit, at ante ligat.	VI.

Digitized by Google

DISTRIBUTIO
TOTIUS OPERIS TRIPARTITI.
PARS I.

Continens *Personas* primum Juris Objectum.

PROOEMIVM.

De Juris Canonici Origine, Divisione, & Authoritate.

PROLEGOMENA.

De Jure Divino & Humano.

Tit. 1. De Summa Trinitate & Fide Catholica.
Tit. 2. De Constitutionibus.
Tit. 3. De Rescriptis.
Tit. 4. De Privilegiis.
Tit. 5. De Consuetudine.

PRÆFATIO
DE PERSONIS.
LIBER I.

Continens Porsonarum Ecclesiasticarum, & Prælatorum creationem, officium, & potestatem.

Tit. 1. De Temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.
Tit. 2. De Scrutinio in ordine faciendo.
Tit. 3. De Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.
Tit. 4. De Filijs Presbyterorũ ordinandis vel non.
Tit 5. De Servis non ordinandis. (non.
Tit. 6. De Obligatis ad ratiocinia ordinandis vel
Tit. 7. De Corpore vitiatis ordinandis vel non.
Tit. 8. De Bigamis non ordinandis.
Tit. 9. De Sacra Unctione. Tit. 10.

Tit. 10. De Sacramentis non iterandis.
Tit. 11. De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, & ab excommunicato.
Tit. 12. De Presbytero non baptizato.
Tit. 13. De Clerico per saltum promoto.
Tit. 14. De Eo qui furtivè Ordinem suscepit.
Tit. 15. De Clericis peregrinis.
Tit. 16. De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.
Tit. 17. De Clerico non ordinato ministrante.
Tit. 18. De Vita & honestate Clericorum.

Sub quo continentur.

N. 13. Tit. De Clerico venatore.
N. 15. Tit. De Clerico percussore.
N. 19. Tit. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus se negotijs immiscean[t]. (rum.
N. 25. Tit. De Cohabitatione clericorum & mulie-
Tit. 19. De Clericis conjugatis.
Tit. 20. De Voto & voti redemptione.
Tit. 21. De Regularibus & transeuntibus ad Religionem.
Tit. 22. De Statu Monachorum & Canonicorum Regularium.
Tit. 23. De Conversione conjugatorum.
Tit. 24. De Electione & electi potestate.
Tit. 25. De Postulatione Prælatorum.
Tit. 26. De Translatione Episcopi.
Tit. 27. De Auctoritate & usu Pallij.
Tit. 28. De Majoritate & Obedientia.
Tit. 29. De Officio Legati.
Tit. 30. De His, quæ fiunt â Prælatis sine consensu Capituli.

Digitized by Google

DISTRIBUTIO
TOTIUS OPERIS TRIPARTITI.
PARS I.

Continens *Perſonas* primum Juris Objectum.

PROOEMIVM.

De Juris Canonici Origine, Diviſione, & Authoritate.

PROLEGOMENA.

De Jure Divino & Humano.

Tit. 1. De Summa Trinitate & Fide Catholica.
Tit. 2. De Conſtitutionibus.
Tit. 3. De Reſcriptis.
Tit. 4. De Privilegiis.
Tit. 5. De Conſuetudine.

PRÆFATIO

DE PERSONIS.

LIBER I.

Continens Porſonarum Eccleſiaſticarum, & Prælatorum creationem, officium, & poteſtatem.

Tit. 1. De Temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.
Tit. 2. De Scrutinio in ordine faciendo.
Tit. 3. De Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.
Tit. 4. De Filijs Presbyterorũ ordinandis vel non.
Tit 5. De Servis non ordinandis.
Tit. 6. De Obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.
Tit. 7. De Corpore vitiatis ordinandis vel non.
Tit. 8. De Bigamis non ordinandis.
Tit. 9. De Sacra Unctione.

Tit. 10. De Sacramentis non iterandis.
Tit. 11. De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, & ab excommunicato.
Tit. 12. De Presbytero non baptizato.
Tit. 13. De Clerico per saltum promoto.
Tit. 14. De Eo qui furtivè Ordinem suscepit.
Tit. 15. De Clericis peregrinis.
Tit. 16. De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.
Tit. 17. De Clerico non ordinato ministrante.
Tit. 18. De Vita & honestate Clericorum.

Sub quo continentur.

N. 13. Tit. De Clerico venatore.
N. 15. Tit. De Clerico percussore.
N. 19. Tit. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus se negotijs immiscean[t]. (rum.
N. 25. Tit. De Cohabitatione clericorum & mulie-
Tit. 19. De Clericis conjugatis.
Tit. 20. De Voto & voti redemptione.
Tit. 21. De Regularibus & transeuntibus ad Religionem.
Tit. 22. De Statu Monachorum & Canonicorum Regularium.
Tit. 23. De Conversione conjugatorum.
Tit. 24. De Electione & electi potestate.
Tit. 25. De Postulatione Prælatorum.
Tit. 26. De Translatione Episcopi.
Tit. 27. De Auctoritate & usu Pallij.
Tit. 28. De Majoritate & Obedientia.
Tit. 29. De Officio Legati.
Tit. 30. De His, quæ fiunt â Prælatis sine consensu Capituli.

Tit. 31. De His, quæ fiunt â Majori parte Capituli.
Tit. 32. Ne Sede vacante aliquid innovetur.
Tit. 33. De Officio Vicarij.
Tit. 34. De Officio Archidiaconi.
Tit. 35. De Officio Archipresbyteri.
Tit. 36. De Officio Primicerij.
Tit. 37. De Officio Sacristæ.
Tit. 38. De Officio Custodis.
Tit. 39. De Supplenda negligentia Prælatorum.

Liber II.

Continens sæcularium personarum Matrimonia.

Tit. 1. De Sponsalibus & Matrimonio.
Tit. 2. De Desponsatione Impuberum.
Tit. 3. De Matrimonio contracto contra inrerdictum Ecclesiæ.
Tit. 4. De Clandestina Desponsatione.
Tit. 5. De Sponsa duorum.
Tit 6. De Conditionibus appositis.
Tit. 7. Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere possunt.
Tit. 8. De cognatione Spirituali.
Tit. 9. De Consanguinitate & Affinitate.
Tit. 10. De Eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel Sponsæ.
Tit. 11. De Cognatione legali.
Tit. 12. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.
Hit. 13. De Frigidis & Maleficiatis.
Tit. 14. Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari.
Tit. 15. De Divortijs.
Tit. 16. De Conjugio leprosorum;
Tit. 17. De Secundis Nuptijs.

Tit. 18. De Conversione infidelium.
Tit. 19. Qui Filij sint legitimi.
Tit. 20. De Conjugio Servorum.
Tit. 21. De Natis ex libero ventre.

PARS II.

De *Rebus* secundo Juris objecto.

LIBER III.

Continens *Res Ecclesiasticas* & earum jura.

PRÆFATIO.

DE RERUM DIVISIONE.

Tit. 1. De Ecclesiis ædificandis.
Tit. 2. De Novi operis nunciatione.
Tit. 3. De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.
Tit. 4. De Parochiis & parochianis.
Tit. 5. De Baptismo & ejus effectu.
Tit. 6. De Celebratione Missarum.
Tit. 7. De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum.
Tit. 8. De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.
Tit. 9. De Purificatione post partum.
Tit. 10. De Observatione jejuniorum.
Tit. 11. De Sepulturis.
Tit. 12. De Decimis, primitiis, & oblationibus.
Tit. 13. De Religiosis Domibus.
Tit. 14. De Capellis Monachorum. (subjectæ.
Tit. 15. De Religiosis domibus, ut Episcopis sint
Tit. 16. De Præbendis & Dignitatibus.
Tit. 17. De Jure patronatus.
Tit. 18. De Institutionibus. (vacantis.
Tit. 19. De Concessione Præbendæ vel Ecclesiæ non
Tit. 20. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

Tit. 21.

Digitized by Google

Tit. 21. De Censibus, Exactionibus & Procurationibus.
Tit. 22. De Clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda.
Tit. 23. De Clerico ægrotante vel debilitato.
Tit. 24. De Renuntiatione.
Tit. 25. De Peculio Clericorum.
Tit. 26. De Rebus Ecclesiæ non alienandis.
Tit. 27. De Immunitate Ecclesiarum, Cœmiterij, & rerum ad eas pertinentium.

Liber IV.

Continens pacta, dispositiones, & præscriptiones *Rerum* quarumlibet.

Tit. 1. De Pactis.
Tit. 2. De Præcarijs.
Tit. 3. De Commodato.
Tit. 4. De Deposito.
Tit. 5. De Emptione & Venditione.
Tit. 6. De Locato & Conducto.
Tit. 7. De Rerum permutatione.
Tit. 8. De Donationibus.
Tit. 9. De Donationibus inter virum & uxorem.
Tit. 10. De Feudis.
Tit. 11. De Pignoribus & aliis Cautionibus.
Tit. 12. De Fidejussoribus.
Tit. 13. De Solutionibus.
Tit. 14. De Testamentis.
Tit. 15. De Successionibus ab intestato.
Tit. 16. De Præscriptionibus.

PARS III.

De *Actionibus* tertio Juris objecto.

LIBER V.

Continens Processum Judicarium Civilem.

Tit. 1. De Transactionibus.
Tit. 2. De Treuga & Pace.
Tit. 3. De Judiciis.
Tit. 4. De Officio Judicis.
Tit. 5. De Officio & potestate judicis ordinarij.
Tit. 6. De Officio & potestate judicis delegati.
Tit. 7. De Arbitriis.
Tit. 8. De Postulando.
Tit. 9. De Procuratoribus.
Tit. 10. De Sindico.
Tit. 11. De Foro competente.
Tit. 12. De Alienatione Judicij mutandi causa.
Tit. 13. De Dilationibus.
Tit. 14. De Feriis.
Tit. 15. De Exceptionibus.
Tit. 16. De Litis Contestatione.
Tit. 17. Ut Lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam.
Tit. 18. De Juramento calumniæ.
Tit. 19. De Plus petitionibus.
Tit. 20. De Mutuis Petitionibus.
Tit. 21. De Causa possessionis & fructuum.
Tit. 22. De Restitutione spoliatorum.
Tit. 23. De His quæ vi metúsve causa fiunt.
Tit. 24. De Ordine cognitionum.
Tit. 25. Ut Lite pendente nihil innovetur.

Tit. 26. De Dolo & contumacia.
Tit. 27. De Eo qui mittitur in poſſeſſionem rei ſervandæ cauſa.
Tit. 28. De Sequeſtratione poſſeſſionis & fructuum.
Tit. 29. De Confeſſis.
Tit. 30. De Probationibus.
Tit. 31. De Præſumptionibus.
Tit. 32. De Teſtibus.
Tit. 33. De Teſtibus cogendis.
Tit. 34. De Fide Inſtrumentorum.
Tit. 35. De Jurejurando.
Tit. 36. De Sententia & re judicata.
Tit. 37. De Appellationibus.
Tit. 38. De Clericis peregrinantibus.
Tit. 39. De In integrum reſtitutione.
Tit. 40. De Confirmatione utili vel inutili.

LIBER VI.

Continens Proceſſum judiciarium criminalem, delicta, pœnas & remiſſiones.

Tit. 1. De Accuſationibus, inquiſitionibus, & denuntiationibus.
Tit. 2. De Exceſſibus Prælatorum & ſubditorum.
Tit. 3. De Simonia.
Tit. 4. Ne Prælati vices ſuas, aut Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.
Tit. 5. De Schiſmaticis & ordinatis ab eis.
Tit. 6. De Hæreticis.
Tit. 7. De Apoſtatis & reiterantibus Baptiſma.
Tit. 8. De Maledicis.
Tit. 9. De Judæis & Saracenis & eorum ſervis.
Tit. 10. De Sortilegiis.
Tit. 11. De Homicidio voluntario vel caſuali.

Digitized by Google

Tit. 12. De His qui filios occiderunt.
Tit. 13. De Infantibus & languidis expositis.
Tit. 14. De Torneamentis.
Tit. 15. De Clericis pugnantibus in duello.
Tit. 16. De Sagittarijs.
Tit. 17. De Adulterijs & stupro.
Tit. 18. De Raptoribus incendiarijs & violatoribus Ecclesiarum.
Tit. 19. De Injurijs & damno dato.
Tit. 20. De Furtis.
Tit. 21. De Usuris.
Tit. 22. De Crimine falsi.
Tit. 23. De Calumniatoribus.
Tit. 24. De Collusione detegenda.
Tit. 25. De Purgatione Canonica.
Tit. 26. De Purgatione vulgari.
Tit. 27. De Pœnis.
Tit. 28. De Delictis puerorum.
Tit. 29. De Sententia excommunicationis.
Tit. 30. De Pœnitentijs, & remissionibus.

Tituli additionales.

Tit. 31. De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.
Tit. 32. De Verborum significationibus.
Tit. 33. De Regulis Juris.

Digitized by Google

INDEX

OMNIUM TITULORUM,

Secundùm Ordinem Alphabeticum.

Prior Numerus Librum, alter Titulum significat.

De Accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. 6. 1.
Adulterijs & stupro. 6. 17
Ætate & qualitate & Ordine præficiendorũ. 1. 31
Alienatione judicij mutandi causa facta. 5. 12
Appellationibus, recusationibus, & relationibus. 5. 38
Apostatis & reiterantibus Baptisma. 6. 7
Arbitris. 5. 7
Auctoritate & usu Pallij. 1. 27
Baptismo & ejus effectu. 3. 5
Bigamis non ordinandis. 1. 8
Calumniatoribus. 6. 22
Capellis Monachorum & aliorum religiosorum. 3. 13
Causa possessionis & proprietatis. 5. 21
Celebratione Missarum & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officijs. 3. 6
Censibus, exactionibus, & procurationibus. 3. 20
Clandestina desponsatione. 2. 4
Clericis peregrinis. 1. 15
Clericis peregrinantibus. 5. 39
Clericis conjugatis. 1. 19
Clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda. 3. 21
Clericis pugnantibus in duello. 6. 15
Clerico ægrotante vel debilitato. 3. 22

De Clerico venatore. 1. 18. n. 13
Clerico percussore. 1. 18. n. 15
Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. 1. 16
Clerico non ordinato ministrante. 1. 17
Clerico per saltum promoto. 1. 13
Cognatione Spirituali. 2. 8
Cognatione legali. 2. 11
Cohabitatione Clericorum & mulierum. 1. 18. n. 25.
Collusione detegenda. 6. 24
Commodato. 4. 3. (3. 15
Concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.
Conditionibus appositis in desponsatione, vel in alijs contractibus. 2. 6
Confessis. 5. 30
Confirmatione utili, vel inutili. 5. 41
Conjugio leprosorum. 2. 16
Conjugio Servorum. 2. 20
Consanguinitate & affinitate. 2. 9
Consecratione Ecclesiæ vel altaris. 3. 3
Constitutionibus. Proleg. 2
Consuetudine. Proleg. 5
Conversione conjugatorum. 1. 23
Conversione infidelium. 2. 18
Corpore vitiatis ordinandis vel non. 1. 7
Crimine falsi. 6. 22
Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum. 3. 7
Decimis, primitiis, vel oblationibus. 3. 12
Delictis puerorum. 6. 28

De Depoſito. 4. 4
De Deſponſatione Impuberum. 2. 2
Dilationibus. 5. 14
Divortijs. 2. 15
Dolo & Contumacia. 5. 27
Donationibus. 4. 8
Donationibus inter virum & uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda. 4. 9
Ecclesiis ædificandis vel reparandis. 3. 1
Electione & electi poteſtate. 1. 24
Emptione & venditione. 4. 5
Eo, qui mittitur in poſſeſſionem causâ rei ſervandæ. 5. 28
Eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium. 2. 12
Eo qui cognovit conſauguineam Uxoris ſuæ, vel Sponſæ. 2. 10.
Eo qui Ordinem furtivè ſuſcepit. 1. 14.
Exceptionibus. 5. 18.
Exceſſibus Prælatorum & Subditorum. 6. 2.
Ferijs. 3. 15.
Feudis. 4. 10.
Fide Inſtrumentorum. 5. 35.
Fidejuſſoribus. 4. 12
Filijs Presbyterorum ordinandis vel non. 1. 4.
Foro competenti. 5. 11.
Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi. 2. 13.
Furtis. 6. 20.
Hæreticis. 6. 6.
His, quæ vi metúsve causâ fiunt. 5. 23.
His, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli. 1. 30.

His,

De His, quæ fiunt â majore parte Capituli. 1. 31.
His, qui filios occiderunt. 6. 12.
Homicidio voluntario vel casuali. 6. 11.
Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. 3. 26.
Infantibus & languidis expositis. 6. 13.
In integrum restitutione. 5. 40.
Injurijs & damno dato. 6. 19.
Institutionibus. 3. 17.
Judæis, & Saracenis, & eorum Servis. 6. 9.
Judicijs. 5. 3.
Juramento Calumniæ. 5. 19.
Jurejurando. 5. 36.
Jure Patronatus. 3. 16.
Libelli oblatione. 5. 13.
Litis contestatione. 5. 17.
Locato & Conducto. 4. 6.
Magistris, & ne alipuid exigatur pro licentia docendi. 6. 31.
Majoritate & Obedientia, 1. 28.
Maledicis. 6. 8. (siæ. 2. 3.
Matrimonio contracto contra interdictum Eccle-
Mutuis petitionibus. 5. 20.
Natis ex libero ventre. 2. 21.
Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotijs se immiscеant. 1. 18. n. 19.
Ne Prælati vicos suos vel Ecclesias sub annuo censu concedant. 6. 4.
Ne sede vacante aliquid innovetur. 1. 32.
Novi operis nuntiatione. 3. 2.
Obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non. 1. 6
Observatione jejuniorum. 3. 10.

Digitized by Google

De Officio Archidiaconi. 1. 34.
Officio Archipresbyteri. 1. 35.
Officio Primicerij. 1. 36.
Officio Sacristæ. 1. 37.
Officio Custodis. 1. 38.
Officio Vicarij. 1. 33.
Officio & potestate Judicis delegati. 5. 6.
Officio Legati. 1. 29.
Officio Judicis ordinarij. 5. 5.
Officio Judicis. 5. 4.
Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui. 1. 11.
Ordine cognitionum. 5, 24.
PActis. 4. 1.
Parochijs, & alienis Paræcianis. 3. 4.
Peculio Clericorum. 3. 24.
Pignoribus, & alijs cautionibus. 4. 11.
Plus petitionibus, 5. 20.
Pœnis. 6. 26.
Pœnitentijs & Remissionibus. 6. 30.
Postulando. 5. 8.
Postulatione Prælatorum. 1. 25.
Præbendis & Dignitatibus. 3. 15.
Precarijs. 4. 2.
Presbytero non baptizato. 1. 12.
Præscriptionibus. 4. 16.
Præsumptionibus. 5. 32.
Privilegijs, & excessibus Privilegiatorũ. Proleg. 4.
Probationibus. 5. 31.
Procuratoribus. 5. 9.
Purgatione Canonica. 6. 25.
Purgatione vulgari. 6. 26.
Purificatione post partum. 3. 9.

Qui

Digitized by Google

De Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere possint. 2. 7.
Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. 2. 14.
Qui filij sint legitimi. 2. 19.
Raptoribus incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum. 6. 18.
Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. 3. 25.
Regularibus & transeuntibus ad Religionem. 1. 21
Regulis juris. 6. 33.
Religiosis domibus ut Episcopis sint subjectæ. 3. 14
Reliquijs & veneratione Sanctorum. 3. 8.
Renuntiatione. 3. 24.
Rerum permutatione. 4. 7.
Rescriptis. proleg. 3.
Restitutione spoliatorum. 5. 22.
Sacramentis non iterandis. 1. 10.
Sacra Unctione. 1. 9.
Sagittarijs. 6. 15.
Schismaticis & ordinatis ab eis. 6. 5.
Scrutinio in ordine faciendo. 1. 2.
Secundis Nuptijs. 2. 17.
Sententia & re judicata. 5. 73.
Sententia excommunicationis. 6. 28.
Sepulturis. 3. 11.
Sequestratione possessionum & fructuum. 5. 29.
Servis non ordinandis, & eorum manumissione. 1. 5.
Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur. 6. 3.
Solutionibus. 4. 13.
Sortilegijs. 6. 10.

Spon-

Digitized by Go

De Sponſalibus & Matrimonijs. 2. 1.
Sponſa duorum. 2. 5.
Statu Monachorum & Canonicorum Regularium. 1. 22.
Succeſſionibus ab inteſtato. 4. 15.
Summa Trinitate, & fide Catholica. Proleg. 1.
Supplenda negligentia Prælatorum. 1. 33.
Syndico & actore. 5. 10.
TEmporib. Ordinationum & qualitate ordinandorum. 1. 1.
Teſtamentis & Ultimis Voluntatibus. 4. 14.
Teſtibus & atteſtantibus. 5. 33.
Teſtibus cogendis, vel non. 5. 34.
Torneamentis. 6. 14.
Tranſactionibus, 5. 1.
Translatione Epiſcopi. 1. 26.
Treuga & Pace. 5. 2.
VErborum ſignificatione. 6. 32.
Vita & Honeſtate Clericorum. 1. 18.
Voto & voti redemptione. 1. 20.
Uſuris. 6. 21.
Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. 3. 19.
Ut lite non conteſtatâ, non procedatur ad teſtium receptionem vel ad ſententiam definitivam. 5. 18.
Ut lite pendente nihil innovetur. 5. 26.

PROOEMIUM

PROOEMIUM
DE
JURIS CANONICI ORIGINE, DIVISIONE ET AUTHORITATE.

SUMMARIA.

1. *Jus Canonicum quid?* 2. *Quæ ejus origo?*
3. *Corpus Juris Canonici habet VI. partes.*
4. *De Decreto Gratiani.*
5. *Qualem authoritatem habeat, disputatur latè.*
6. *De Paleis.*
7. *Alii antiquiores Gratiano SS. Canon. Collectores.*
8. *Decretales Greg. IX. eorumque divisio, materia, & obligatio.* 9. *Sextus Decretalium.*
10. *Clementinæ & Extravagantes.*
11. *Septimus Decretalium, & quænam ejus authoritas?*
12. *De Concilio Trid. & an obliget, ubi non receptum?* 13. *Bullarium & ejus authoritas.*
14. *Regulæ Cancellariæ.*
15. *Declarationes Cardinalium,*
16. *debent habere III. requisita, ut obligent.*
17. *Rota Romana, & ejus authoritas.*
18. *De Canonum contrarietate.*
19. *De confœderatione & contrarietate Juris Canonici & Civilis.*

Digitized by Google

ELeganter monet JC. Cajus *in L. 1. ff. de orig. jur.* inconveniens esse interpretationem promittentibus, omissis initiis, atque origine non repetitâ, & illotis, ut ita dixerim manibus, protinus materiam interpretationis tractare, cùm præfationes libentiùs nos ad lectionem propositæ materiæ inducant, & cùm eò ventum est, evidentiorem præstent intellectum. Hujus celeberrimi Jurisperiti consilium sequentes antequam ad specificas Juris Canonici materias descendamus, priùs quædam scitu necessaria de Jure Canonico in genere, ejúsque Origine, Divisione, & Authoritate præmittemus.

JURI *operam daturum*, inquit Ulp. *in L. 1. ff. de just & jure, priùs nosse oportet, unde nomen* JURIS *descendat, est autem á justitia appellatum, & est ars aqui & boni. justitiam námque colimus*, pergit Ulp. *aquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, Philosophiam, non simulatam affectantes.* Unde & *Justitiam* definit Imp. *in print. Inst. de I. & I.* quòd sit *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* & mox *in* §. 1. describit *Jurisprudentiam* quòd sit *divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia.* Circa quas definitiones seu descriptiones plures speculativas quæstiones passim accumulant Interpretes, quibus, utpote non multum utilitatis habentibus, supersedemus. Illud verò se ipsum insi-

insinuat, quod *jus* aliquando accipiatur pro ipsis legibus seu constitutionibus, aliquando pro legum notitia & scientia, & aliquando pro materia & objecto legum, ut, in illis verbis: *jus suum cuique tribuendi. Juris* quatenus pro lege seu constitutione accipitur, varias divisiones in sequentibus prolegomenis trademus, ad propositum verò, & quatenus sive pro legibus, sive pro legum scientia sumitur, nota & vulgaris est divisio in Jus *Canonicum* & *Civile*: illud in *Corpore Juris Civilis* sedem habens suis expositoribus relinquimus, illud quantum cum Deo poterimus fundamentali brevitate explicaturi.

1 IGitur Jus Canonicum si nominis Ethymon spectes à gtæca voce Canon quæ regulam significat denominatum est, *c.* 1. *dist.* 3 unde definiri solet Jus Canonicum, quòd sit jus ex sacris Canonibus id est regulis Ecclesiasticis collectum, & ad rectè vivendum æternámque salutem acquirendam institutum.

2 Porrò prima origo Canonici Juris non ineptè à Deo desumi posse videtur, qui primus præcepta Decalogi, aliásque rectè vivendi regulas hominibus præscripsit, quas deinde summi Pontifices in suis Canonibus circa singulos casus & hypotheses latiùs exposuerunt. V. G. præceptum divinum est, *non occidere*, *non furari*, *usuras non exercere*, *&c.* sed quando & qualiter in singulis factis contra hæc præcepta peccetur, & peccatum puniendum sit, Canones declararunt, ut: propterea non immeritò studium Juris Canoni-

Digitized by Google

ci *ſtudium divini juris* appelletur *in c. 2. de privilegiis. in 6.* Canones autem iſti Jus Divinum declarantes, & reliqua ad gubernationem Chriſtiani populi pertinentia ſtatuentes in nova lege primum ab Apoſtolis introducti, & Clemente Primo Romano Pontifice (qui ſedit circa annum Domini nonageſimum primum) in unum congeſti, ac Canones Apoſtolorum nuncupati ſunt, ijque in decreto Gratiani ad finem ponuntur. Poſtea ſucceſſores Apoſtolorum SS. Pontifices alias & alias conſtitutiones, & ſanctiones Canonicas addiderunt, quibus Corpus noſtrum *juris Canonici* compoſitum eſt, cui noviſſimè Concilium Trid. & Bullarium acceſſit.

3 Ad *Corpus juris Canonici* quod attinet, facilè patebit inſpicienti, illud dividi in VI. partes: videlicet in *Decretum Gratiani, Decretales Gregorij IX. Sextum Decretalium Bonifacii Octavi. Clementinas Clementis V. Extravagantes Joannis XXII. & demùm Extravagantes communes.*

4 DECRETUM GRATIANI à ſuo Authore Gratiano Ordinis S. P. Benedicti ex Monaſterio S. Fœlicis Bononienſis nomen traxit, qui anno 1150. tempore Eugenii Tertii hoc opus ex diverſis ſummorum Pontificum & Conciliorum decretis, SS. Patrum ſcriptis, Imperatorum etiam legibus & ſanctionibus compilavit, ac *Concordiam diſcordantium Canonum* appellavit. Solet Gratianus in hoc ſuo opere dubias quæſtiones ab initio proponere, & pro utraque contradictionis parte diverſas authoritates adducere, atque in fine con-

conciliare; ut cautè advertendum sit legenti, ne indifferenter decisionem firmam ex primis occurentibus Capitulis desumat, sed etiam reliqua diligenter perlustret.

Constat Gratiani Decretum ex IV. partibus, prima pars habet 101. *distinctiones* divisas in *Canones* sive *capitula*. ex qua parte sic allegari solet. *c. omnes leges. distinctione* 1. secunda pars continet 36. *causas* (id est casus & controversias juridicas) divisas in *quæstiones*, subdivisas in *capitula* ubi citandi modus talis est *c. si quis suadente. causâ* (quod vocabulum tamen plerumque omitti & subintelligi solet) 17. *q.* 4. Tertia pars est tractatus de *pœnitentia*, qui includitur in causa 33. *q.* 3. & habet 7. *distinctiones*, divisas in *capitula*, ex quo loco talis est citatio *c. cogitationis. distinctione* 1. *de pœnitentia*. quæ ultima verba ad differentiam primæ & ultimæ partis etiam *in distinctiones* divisæ adduntur. Quarta denique pars decreti tractat *de Consecratione*, continet 5. *distinctiones*, divisas in *Capitula*. citatio fit hoc modo. *c. solemnitates. distinctione* 1. *de consecratione*.

§ Circa hanc primam Juris Canonici partem non levis est inter DD. altercatio, qualem in scholis & utroque foro authoritatem habere debeat? quidam existimant, cum hoc opus à privato Doctore privatâ tantùm industriâ compositum sit, non majorem habere authoritatem, quàm cujuscunque alterius Doctoris nominati, scilicet *probabilem* tantùm, cui Magister in schola, vel Judex in foro sive externo inhærere ne-

ceſſariò non teneatur, ſi putet pro ſua ſententia in contrarium meliores eſſe rationes, & juris fundamenta: nec allegationes Canonum Pontificialium in eo eſſe infallibiles niſi quatenus cum originali, unde deſumptæ ſunt, correſpondeant, ſiquidem plurimos errores in hoc Gratiani volumine præter Felinum *in c. 2. de reſcriptis. n. 43.* alii paſſim adverterint. Neque obſtat huic primæ opinioni, quod *Decretales Gregorij IX* à Reymundo ejusdem Pontificis Capellano & Pœnitentiario, IV. *libri inſtitutionum imperialium* à Triboniano & Dorotheo Magiſtris & DD. (ut notat Gothofredus *in proœmio inſtitutionum* § 3. *verbo anteceſſoribus*) compoſiti ſint, qui tamen libri indubitanter legis obtinent authoritatem: etenim iſti libri non ab his privatis compilatoribus, ſed à Pontifice & Imperatore, quorum juſſu & mandato compoſiti ſunt, (ut ex proœmiis Decretalium & Inſtitutionum apparet,) ſuam authoritatem deſumunt, qualem authoritatem Gratiano in componendo ſuo libro non conſtat datam fuiſſe. Ita enim antiquitùs certi Jurisperiti & DD. fuerunt, quibus ab Imperatore authoritas *de jure reſpondendi*, & dubias quæſtiones decidendi dabatur, eorumque deciſiones *Reſponſa Prudentum* dicebantur, & pro Lege cuſtodiebantur. §. 8. *Inſt. de jure Nat. Gent. & Civ.* ex quibus *Prudentum Reſponſis* L. digeſtorum libri repleti ſunt. cæteri verò DD. qui talem poteſtatem à ſummo principe non habent, per ſuas reſponſiones jus aliquod facere non poſſunt, ſed tantùm præexiſtens

ſtens allegare, & probabilibus rationibus confirmare.

Alii directè contrarium ſentiunt exiſtimantes, totum hoc *Gratiani Decretum* eſſe authenticum, & vim legis obtinere; idque non tantùm uſu ſcholarum & judiciorum, ſed etiam ab ipſis ſummis Pontificibus, qui illud in ſuis poſterioribus conſtitutionibus allegârunt, pro tali habitum eſſe, *arg. c. cum apoſtolica. de his, quæ fiunt à Prælatis. c. per tuas de ſent. excom. Clem. 1. ibi ſecundum formam in decretis &c. de jurejurando.*

Et quòd Decretum Gratiani ante hàc multis erroribus depravatum operâ Cardinalium & alioruur doctiſſimorum virorum à Sede Apoſtolica ad id deputattorum vetuſtiſſimis Codicibus undique conquiſitis, authoribusque ipſis, quorum teſtimoniis uſus erat Gratianus, perlectis emendatum & perfectum redditum ac diligentiſſimè retineri juſſum ſit, extant litteræ Papales Gregorii XIII. hodie ad principium Decreti impreſſæ.

Sed communiùs receptum eſt, quod cum pluribus citatis tradit Barboſa in *collect. DD. ad proœmium Decreti n. 6. & ſeq.* ut hæ duæ inter ſe pugnantes ſententiæ per tertiam mediam aliqualiter concilientur, & dicatur, non conſtare quidem, quod Decreto Gratiani univerſim authoritas legis atrributa ſit, propter emendationem tamen & approbationem Pontificis Gregorii XIII. mereri fidem, quod Canones ibidem allegati cum ſuis originalibus ſine errore aut falſita-

te correſpondeant: de reliquo autem eos Canones *revocari ad primævam authoritatem*, id eſt, illam, quam à ſuis conditoribus acceperunt.

Quare ſi Gratianus referat *ſummorum Pontificum vel Conciliorum generalium conſtitutiones*, illæ habent authoritatem legis, ſeu *deciſivam*; ſi referat *leges civiles* & conſtitutiones Imperatorum, illæ eatenus in foro Eccleſiaſtico obſervandæ erunt, quatenus ſupplent defectum Juris Canonici, & non contrariantur immunitati Eccleſiaſticæ: ſi *propriam ſententiam* ponat Gratianus ea probabilis ſolummodo habebitur; ſi *dicta SS. Patrum* v. g. Ambroſij, Hieron. Auguſtini adducat, magnæ quidem authoritatis, non tamen abſolutè infallibilia & deciſiva cenſebuntur, niſi quatenus à SS. Pontificibus recepta & approbata ſunt, cum in materiis diſputabilibus & judicialibus ſancti Patres plerumque ut privati DD. locuti, & ſæpius ſibi invicem contradicentes fuerint, ut *exc.* 1. & 2. *diſt.* 26. ac pluribus aliis locis apparet.

6 Speciale dubium eſt, quid ſtatuendum de illis Canonibus Decreti, qui *Palea* inſcribuntur? quid denotetur per hoc vocabulum *palea*, & qualem hi Canones nullius certi Authoris poteſtatem habeant, diverſi diverſa ſentiunt. Quidam hoc nomine res viles & inanes, alij ex Græco *Ta palaja*, id eſt, *antiqua*; alij *additiones* à græco adverbio *pàlin*, quod *rurſum* ſignificat, denominari putârunt; alij à ſuo authore, quem ajunt *Protopalea* Cardinalem dictum fuiſſe, qui hos Cano-

nes

nes Decreto Gratiani adscripserit, derivant. Sed hac in re observandum est, quod traditur in *Præfatione* ad Decretum Gratiani circa finem, has *paleas* in quibusdam vetustissimis Decreti exemplaribus non extare, ex eoque colligi posse, esse *additiones* non eodem tempore factas sed ad primam collectionem Gratiani in margine primum adscriptas, ac nonnullas fortassis ab ipsomet Gratiano, quas deinde librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerint, interdum conjunctas cum prioribus capitibus interdum separatas. falsam verò esse illorum opinionem, qui has *paleas* tanquam res leves contemnendas putant, ex eo constat, inquit citata *Præfatio*, quòd multæ in Decretalibus & apud vetustiores Gratiano collectores habeantur. ut propterea non incongruè utrâque supra positâ Græca derivatione & significatione retentâ *paleæ rerum antiquiorum additiones* dici posse videantur. quod item *paleæ* de rebus levibus non sint, legenti facilè patebit, prout in specie *palea*, quæ est *in c. 13. & 14. dist. 96.* totum Regnum Romani Pontificis Sylvestro Papæ à Constantino Imperatore donatum concernit.

7 Dixi, sæpe memoratas *paleas* apud *antiquiores* Gratiano Collectores haberi: nam hic obiter adnotandum, multis temporibus ante Gratianum fuisse aliquem Codicem Canonum de quo fit mentio *in c. 5. distinctione 19.* & alias Papalium Constitutionum collectiones factas ab Isidoro Burcardo Vormacienſi: Ivone Carnot: Epi-

Digitized by Google

te correſpondeant: de reliquo autem eos Canones *revocari ad primævam authoritatem*, id eſt, illam, quam à ſuis conditoribus acceperunt.

Quare ſi Gratianus referat *ſummorum Pontificum vel Conciliorum generalium conſtitutiones*, illæ habent authoritatem legis, ſeu *deciſivam*; ſi referat *leges civiles* & conſtitutiones Imperatorum, iſtæ eatenus in foro Eccleſiaſtico obſervandæ erunt, quatenus ſupplent defectum Juris Canonici, & non contrariantur immunitati Eccleſiaſticæ: ſi *propriam ſententiam* ponat Gratianus ea probabilis ſolummodo habebitur; ſi *dicta SS. Patrum* v. g. Ambroſij, Hieron. Auguſtini adducat, magnæ quidem authoritatis, non tamen abſolutè infallibilia & deciſiva cenſebuntur, niſi quatenus à SS. Pontificibus recepta & approbata ſunt, cum in materiis diſputabilibus & judicialibus ſancti Patres plerumque ut privati DD. locuti, & ſæpius ſibi invicem contradicentes fuerint, ut *ex c.* 1. *&* 2. *diſt.* 26. ac pluribus aliis locis apparet.

6 Speciale dubium eſt, quid ſtatuendum de illis Canonibus Decreti, qui *Palea* inſcribuntur? quid denotetur per hoc vocabulum *palea*, & qualem hi Canones nullius certi Authoris poteſtatem habeant, diverſi diverſa ſentiunt. Quidam hoc nomine res viles & inanes, alij ex Græco *Τὰ palaià*, id eſt, *antiqua*; alij *additiones* à græco adverbio *pàlin*, quod *rurſum* ſignificat, denominari putârunt; alij à ſuo authore, quem ajunt *Protopaleam* Cardinalem dictum fuiſſe, qui hos Canones

nes Decreto Gratiani adscripserit, derivant. Sed hac in re observandum est, quod traditur in *Præfatione* ad Decretum Gratiani circa finem, has *paleas* in quibusdam vetustissimis Decreti exemplaribus non extare, ex eoque colligi posse, esse *additiones* non eodem tempore factas sed ad primam collectionem Gratiani in margine primum adscriptas, ac nonnullas fortassis ab ipsomet Gratiano, quas deinde librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerint, interdum conjunctas cum prioribus capitibus interdum separatas. falsam verò esse illorum opinionem, qui has *paleas* tanquam res leves contemnendas putant, ex eo constat, inquit citata *Præfatio*, quòd multæ in Decretalibus & apud vetustiores Gratiano collectores habeantur. ut propterea non incongruè utrâque supra positâ Græca derivatione & significatione retentâ *paleæ rerum antiquiorum additiones* dici posse videantur. quod item *paleæ* de rebus levibus non sint, legenti facilè patebit, prout in specie *palea*, quæ est *in c. 13. & 14. dist. 96.* totum Regnum Romani Pontificis Sylvestro Papæ à Constantino Imperatore donatum concernit.

Dixi, sæpe memoratas *paleas* apud *antiquiores* 7
Gratiano Collectores haberi: nam hic obiter adnotandum, multis temporibus ante Gratianum fuisse aliquem Codicem Canonum de quo fit mentio *in c. 5. distinctione* 19. & alias Papalium Constitutionum collectiones factas ab Isidoro Burcardo Vormacienſi: Ivone Carnot: Epi-

Digitized by Google

ſcopo, Anſelmo & alijs; ſed iſti præcipuè in colligendis Decretis & Conſtitutionibus laborârunt: Gratianus verò deinde præter collectionem Canonum in conciliandas diſſenſiones operam impendit. ut *in cit præf.* habetur.

8 Secunda pars Corporis Canonici ſunt DECRETALES juſſu Gregorij IX. à Raymundo ejuſdem Pontificis Capellano & pœnitentario (quem ex Ordine Prædicatorum poſt obitum à Clemente octavo in Sanctorum numerum relatum fuiſſe refert Barboſa *ad proœmium decretalium n.* 4.) conſcripti ſunt. Iſti decretales libri à *decernendo* ſive ſtatuendo ſic dicti conſtant potiſſimùm ex *Decretalibus epiſtolis*, quas diverſi ſummi pontifices in dubijs quæſtionibus juris interrogati ſe conſulentibus reſcripſerunt, quæ jam in Corpus juris relatæ authoritatem publicæ & univerſalis legis obtinent, ad eum modum, quo Codex Juſtinianæus in Corpore Juris Civilis majori ſua parte ex diverſorum Imperatorum ad dubios Juris articulos reſcriptis compilatus eſt.

Dividuntur autem *Decretales in V. libros*, libri in *tutulos*, & tituli in *Capitula*. In citatione initium vel numerus *capituli* & *titulus*. allegatur, ex g. *c. Venerabilem. de electione*, qui titulus in quo libro, & quoto ejus libri numero ſit poſitus, in proprio *indice titulorum*, qui ad principium decretalium habetur, inquirendus eſt.

Antiquitùs quando ſoli erant *Decretales* Gregorij IX. ijque ſeparatim, & *extra Decretum* Gratianum, ſemper ad allegationem tituli ſolebat

addi

addi hæc particula *extra* V. g. c. 1. *extra de electione*: & in typo notari hoc signo X. quæ particula etiamnum hodie quando in uno Corpore Juris sunt *Decretum* & *Decretales*, nonnunquam usitari solet, & propriè Decretales Gregorij IX. ad distinctionem aliarum partium indicare, quod observandum, ne quis existimet, per illam particulam *extra* Extravagantes significari.

Materiam *Decretalium* Glossa proœmialis memoriæ causa sequentibus versiculis comprehendit.

Pars prior officia parat, Ecclesiaque ministros.
Altera dat testes, & cætera judiciorum:
Tertia derebus, & vitâ Presbyterorum,
Quarta docet, quales sint nexus conjugiorum,
Quintaque de vitijs, & pœnis tractat eorum.

Et brevius hoc versiculo

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Etenim in libro primo *Decretalium* postquam S. Pontifex de *Constitutionibus, rescriptis, & consuetudine.* adeoque in genere de obligatione Juris scripti, & non scripti, sive consuetudinarij præmisit, mox tractat *de electione Prælatorum, Ordinatione Clericorum, potestate & jurisdictione Judicum ordinariorum, delegatorum & arbitrorum, pactis* etiam *translationibus & restitutionibus judicialibus.* In secundo libro totus *Processus judiciarius* in I. & II. instantia traditur, qui propter bonum ordinem & æquitatem in utroque foro tam sæculari quàm Ecclesiastico observatur. In lib. 3. agitur *de vitâ Clericorum, de beneficijs Ecclesiasticis,*

de

de feudis, & plerisque contractibus tam super rebus Ecclesiasticis, quàm profanis & Laicalibus, item de decimis, sepulturis aliisque juribus & immunitatibus Ecclesiarum. In quarto causæ & quæstiones *matrimoniales* deciduntur. In quinto denique diversa *delicta* cum modo *accusandi, inquirendi, ac puniendi* recensentur. Quæ omnia in utroque foro versantibus scitu utilissima & necessaria sunt.

9 Tertia pars inscribitur *sextus Decretalium*, quod post V. libros Decretalium Gregorij IX. in lucem editus sit à Bonifacio octavo summo Pontifice. Subdividitur etiam in V. libros, quorum tituli habent easdem rubricas & materias, quas *Decretales* Gregorij IX. id quod etiam in sequentibus, scilicet *Clementinis* & *Extravagantibus* observatum est, citatio ex hac parte fit, ut citetur initium vel numerus c. & titulus cum addito in 6. ex. g. *c. ut animarum. de constitutionibus in* 6.

10 Quarta pars sunt CLEMENTINÆ, sic dictæ, à suo Authore *Clemente V.* hujus nominis Pontifice, qui multas constitutiones tum in Concilio Viennensi in Gallia, tum etiam ante & post illud Concilium à se editas in unum conjessit Volumen: quod tamen morte præventus in lucem edere non poterat. Quare Joannes XXII. ejus successor dictas Clementinas evulgavit, & Apostolica authoritate pro judicijs & scholis roboravit, ut patet *ex proœmio Clementinarum*. Continentur autem *Clementinæ* in 5. libris divisis in *titulos* & *capitula*; ad differentiam priorum additur

tur citationi *in Clementinis*, vel loco capituli ponitur *Clementina*, V. g. *clementina Romani. de jurejurando.*

Quinta & sexta pars Corporis Canonici sunt Extravacantes Joannis XXII. & *Extravagantes communes*, sic dictæ, quod antehac *extra* Corpus Juris incerta quasi sede *vagarentur*, & licet postea juxta ordinem librorum & titulorum, qui habetur in Decretalibus Gregorij IX. in Corpus Juris redactæ sint, pristinum tamen nomen retinuerint. citandi modus rursus talis est, qui in *Clementinis*, ut vel addatur *in extravagantibus Joannis XXII.* aut *inter communes.* vel loco *capituli* ponatur *Extravangante*, cum addito, *Joannis XXII.* vel *inter communes* Istæ Extravagantes, quamvis non satis constet, an alicujus summi Pontificis decreto publicatæ & in corpore Juris circumferri mandatæ sint, quia tamen sunt decisiones diversorum summorum Pontificum, famosorum Jurisconsultorum Romanorum Glossis & notis illustratæ, & à multis temporibus possessionem in Corpore juris acceperunt, passim apud DD. pro authenticis habentur.

Novissimè in lucem prodijt, & in recentiori- 11
bus exemplaribus corporis Canonici annexus est *septimus Decretalium*, operâ (ut testatur ejusdem libri præfatio) Petri Matthæi Jurisconsulti Lugdunensis, qui varias bullas & constitutiones Pontificias congessit, & secundùm formam Decretalium in *libros* ac *titulos* digessit. Porro hoc opus etsi meras constitutiones Pontificias continet,

Digitized by Google

neat, quia tamen ſine mandato aut approbatione alicujus ſummi Pontificis privatâ tantùm induſtriâ non ita pridem editum eſt, non cenſetur ex omni parte *authenticum*. Nam hujuſmodi *Extravagantes bullæ*, quas non conſtat debito modo promulgatas, vel in uſum deductas fuiſſe, vel an cum ſuis originalibus in omnibus & per omnia (una enim aliquando particula omiſſa maximæ conſiderationis eſſe poteſt) correſpondeant, in rigore non obligant, niſi producantur in forma authentica cum plumbo & ſubſcriptione; per ea, quæ notantur in proœmio Clementinarum ad finem, & tradit Franciſcus de Pavinis *in præludio ad Extravagantes Joannis XXII. verſiculo debent autem.*

Extra Corpus Juris plures alij libri ſanctiones Canonicas habentes extant: ſcilicet *Concilium Trid. Bullarium*, *Regulæ Cancellariæ*, *Declarationes Cardinalium & Deciſiones Rotæ Romanæ*: de quorum ſingulorum authoritate breviter etiam aliqua dicemus.

12 CONCILIUM TRIDENTINUM ſub tribus ſummis Pontificibus ſcilicet Paulo III. Julio III. & Pio IV. in Spiritu S. legitimè congregatum de anno 1546. uſque in annum 1564. continuatum plurimas Eccleſiæ Catholicæ & toti Chriſtianitati ſaluberrimas ac maximâ maturitate deliberatas conſtitutiones tum articulos fidei, tum morum reformationes concernentes complectitur, & propterea non eſt dubium, quin legis univerſalis authoritatem obtineat; Et cùm omnia exem-

Digitized by Google

exemplaria Concilij ubilibet impressa sint uniformia, meritò eis fides tribuitur.

Quòd verò dici solet, Decreta *Concilii*, quæ non sunt *Dogmatica*, & fidem concernentia, non esse ubique *recepta*, id quidem de facto verum est, an autem etiam de jure procedat, dependet ab eo, an in tali loco, ubi non receptum dicitur Concilium, fuerit illud debitè aliquando promulgatum, an justa causa non recipiendi, an consuetudo in contrarium non sit potiùs corruptela, & ad malos mores inducens: qua de re inferius *in tit. de constitutionibus & consuetudine*, ubi de promulgatione, receptione, & abrogatione legum tractabitur. Sanè nonnulli frequenter in materia sibi favorabili & aliorum præjudicium in jure ex privilegio vel præscriptione quæsito concernente alijs seriò Concilium Tridentinum inculcant, & si ipsimet ex eodem Concilio Tridentino super alijs causis redarguantur, mox id non esse receptum, ac stylum & praxim curiæ suæ in contrarium reponunt. Sed hi melius observare deberent illud juris axioma, quod habetur *in lib. 2. ff. c. 2. quod quisque juris in alterum statuit, ut eodem ipse utatur*, neque enim Legislator censendus est, unum potius quàm alterum obligare voluisse.

Bullarium Romanum seriem omnium summorum Pontificum, eorumque diversas bullas & constitutiones complectitur, primum operâ Laërtij Cherubini Jurisconsulti Romani compilatum, deinde ab Angelo Maria Cherubino 13

rubino ejus filio Monacho Cassinensi tempore Urbani VIII. cum novissimis Bullis denuò editum. Est quidem hoc opus Urbano VIII. dedicatum, ut in præfatione ad Lectorem refertur, & quod ductu & auspicio Sixti V. Laërtius Cherubinus id primum evulgárit, sed nulla apparet expressa & authentica alicujus summi Pontificis approbatio, vel de eo recipiendo decretum, nisi in principio libri solùm privilegium Urbani VIII. concessum Bibliopolæ, ne hoc opus aliquis sine ejus licentiâ imprimat aut vendat, quod utique nullam specialem authoritatem libro tribuit; aliàs etiam *Praxis Criminalis Prosperi Farinacij* de qua idem privilegium loquitur, authoritatem consequeretur, & omnes libri, qui Romano Pontifici dedicantur, vel ejus hortatu in lucem eduntur, aut simile privilegium typographicum ab Imperatore vel Pontifice habent, inter Canonicos & legales libros numerandi forent, quod haud dubiè nemo concederet. quare ego existimo, bullis in *Bullario* contentis posse quidem in scholis probabilem fidem adhiberi, cæterùm autem censeri nomine *Extravagantium*, quæ in judicijs, ubi de rebus magni momenti, & præjudicij ageretur, non aliter facerent plenam probationem, quàm si ab allegante in authentica forma producerentur; per ea, quæ superius de authoritate *Septimi Decretalium* diximus.

14 REGULÆ CANCELLARIÆ sunt certæ quædam constitutiones Pontificiæ majori ex parte causas beneficiales concernentes, quas primus

mus omnium Joannes XXII. dediſſe, & hoc nomine appellâſſe dicitur, eaſdem deinde Succeſſores Pontifices auxerunt, & declarârunt, harum natura eſt, ut cum morte ſummi Pontificis exſpirent, & nullam vim habeant, Sede Papali vacante (quod ſecùs eſt in alijs legibus & Canonibus, qui etiam poſt mortem Legislatoris durant) ſed à quolibet novo Pontifice reaſſumuntur, & renovantur. 15

Declarationes Cardinalium à S. Congregatione Cardinalium Concilii Trid. Interpretum poſciſcuntur. cum enim experientia doceat, per diverſas Gloſſas textum frequenter confundi, & contra mentem Legislatoris explicari, S. Pontifex Pius IV. in bulla confirmatoria Concilii Trid. graviter ſub cenſuris, Prælatis quidem ſub pœna inderdicti ingreſſus in Eccleſiam, aliis verò quibuscunque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuit, ne quis ſine authoritate & licentia S. Pontificis audeat ullos Commentarios, gloſſas, annotationes, vel quodcunque interpretationis genus in dictum Concilium Trid. edere, ſtatuit verò ut controverſiæ & dubia inde oriunda ad Sedem Apoſtolicam pro declaratione & deciſione deferantur, ad quam declarationem faciendam poſtea Congregatio Cardinalium erecta eſt.

De iſtarum porrò *Declarationum* authoritate graves DD. inter ſe diſſentiunt: quidam *probabilem* tantùm & *doctrinalem* aſſerunt, atque ad ſummum habere vim *deciſivam* in caſu illo particulari

cularí, qui fuit sacræ Congregationi propositus, & respectu illarum personarum tantùm quæ proposuerunt. Alii rectiùs *Declarationibus Cardinalium* authoritatem *legis universalis* adscribunt, *& Responsis prudentum* comparant, quibus olim à Principe dubias Juris quæstiones decidendi potestas data fuit §. 8. *I. de I N G. & C.* Non enim credibile est, quòd summus Pontifex non majorem potestatem dederit Cardinalibus, quam illam, quam habent privati classici DD. qui per suam doctrinam possunt sententiam probabilem constituere, neque opus fuisset Collegium Cardinalium instituere, Glossas & Commentarios in Concilium Trid. prohibere, si relicta declaratione Cardinalium, tanquam solum *probabili* non *necessariâ*, liceret cuilibet privato Doctori aliam confingere.

16 Interim tamen, ut hæ *Declarationes Cardinalium* vim legis obtineant, tres potissimùm conditiones concurrere debent. *prima* est, ut fiant consulto S. Pontifice: quia Sixtus V. in facultate interpretandi Concilium Congregationi Cardinalium concessa expressè addit clausulam, *nobis tamen consultis &c. Secunda*, ut Cardinales solùm *declarent*, & interpretentur, non verò dispensent, aut ultra verborum proprietatem legem augeant, nisi desuper habito speciali mandato S. Pontificis, cujus specialis mandati etiam in declaratione mentio inseratur, sicut hanc formam Pius V. & Greg. XIII. in suis bullis Congregationi præscripserunt. *Tertia*, ut appareant *in authen-*

Digitized by Google

authentica forma cum ſolito ſigillo & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejuſdem Congregationis. Nam quia compertum eſt, plurimas falſas *Declarationes*, & non nunquam in eadem quæſtione ſibi contrarias circumferri, mandavit Urbanus VIII. ne *Declarationibus Cardinalium* ſive impreſſis ſive manuſcriptis fides adhibeatur in judicio vel extra, niſi ut præmiſſum in authentica forma appareant. Qua de re videri poterit Barb. *Iuris Eccleſ. univ lib* 1. *c.* 4. *n.* 81 *& ſeqq* & alli apud eumdem citati. Quod ſi *Declarationes* omnia prædicta requiſita habeant, licet ad inſtantiam particularium perſonarum emanârint, nihilominus pro lege communi aut declaratione legis obſervandas eſſe, ſicut alias ſummorum Principum in cauſis particularibus controverſiis deciſiones rectè docet Garc. *de beneficijs in proœmio.* & probant textus notabiles *in c. in cauſis.* 19. *de ſententia & re judicata. & in l. ultima. in principio. C. de legibus*

17 Rota Romana eſt ſummi Pontificis in cauſis litigioſis tribunal ſive judicium. *Rotæ deciſionibus* nonnulli authoritatem legis communis adſcribunt, & textus in *in citato c. in cauſis & in L. ultima* nontantùm de deciſione ipſius Principis, ſed etiam Senatus ejus accipiunt. *Barb. in eodem c. in cauſis c.* 3. *Gutyrez practicarum quæſtionum lib.* 3. *q.* 16. *n.* 74. *& alij.* Verùm extra ſtatum & territorium ſummi Pontificis, quamvis magna authoritas tribuatur deciſionibus Rotæ Romanæ, potius tamen receptum eſt, quod

docet Franciſcus de Pavinis *in præludio extravagantium Ioannis XXII verſ. deciſiones.* quòd *Deciſiones Rotæ Romanæ* faciant quidem jus inter ipſas partes litigantes, ſed non jus univerſale, nec alii Judices præciſè ſecundum eas teneantur judicare, niſi quatenus meliora juris fundamenta aliunde adduci non poſſunt, ſed habeantur pro deciſionibus magiſtralibus, imò ipſa Rota ſæpius contra eas judicet teſte Cardinale *in c. paſtoralis. de fide inſtrumentorum. in ultima q.* quia præcitati juris textus *in c. in cauſis. & in l. ultima.* de ipſius Principis non Senatus ejus, vel Vicarii Judicis deciſione loquuntur. Subinde tamen ſi ſuper eadem juris quæſtione uniformes, & ſæpius repetitæ ſint *Rotæ* deciſiones faciunt conſuetudinem, & ſtylum in curia Romana. *L. cum de interpretatione ff. de Legibus.* Quod verò in fine *citati præludij* additur, tales uniformes Rotæ deciſiones extra curiam Romanam haberi pro *Reſponſis Prudentum*, haud facilè concederem: Quianon conſtat in forma authentica, quod ſummus Pontifex judicibus *Rotæ* dederit poteſtatem, jus aliquod novum condendi, qualis olim *Prudentibus* à Principe data fuit. prout in ſimili de deciſionibus Cameræ Imperialis Spyrenſis communiter ſentiunt DD. quòd Aſſeſſoribus Cameræ ab Imperatore fuerit data poteſtas *ſecundum leges* judicandi, non verò novas faciendi. Interim niſi Judex conſideratis particularibus circumſtantiis cauſæ coram ſe agitatæ habeat valde urgentes rationes, & aliorum DD. autho-

Digitized by Google

authoritatem in contrarium, non deberet facilè à decisione & præjudiciis tantorum tribunalium recedere.

Hactenus de libris Canonicis eorumque au- 18
thoritate dictum. Quod si in recensitis juris Canonici partibus constitutionum *antynomia* sive contrarietas reperiatur, eaque sit in unius Pontificis seu authoris compilatione, V. g. si uterque contradicens Canon sit in *Decretalibus* vel in *Sexto* aut *Clementinis* per congruam interpretationem conciliatio facienda est, quia in una eademque legum compilatione non debet esse contrarietas, *L. 1. contrarium C. de vet. jure enucl.* & notat Glossa *in proœmio Decretalium, verbo contrarietatem.* nisi Canon expresse terminos correctorios alterius Canonis habeat, sicut in *c. 2. & 3. de censibus in 6.* si verò inter priores & posteriores sit contrarietas v. g. inter *Decretales* & *Sextum* & *Clementinas*, *&c.* eaque manifesta sit, stabitur posteriori decisioni, quia jus posterius derogat priori, *c. ult. in prin. de sent. excom. in 6.* si dubia sit contrarietas, quæ commoda aliqua interpretatione salva verborum proprietate ac ratione recti sermonis conciliari possit, expedit Jura Juribus concordare, ut evitetur jurium correctio, & contrarietas. *c. cùm expedisat. de elect. in 6.*

Præterea cum inter jus Canonicum & Civile, 19
quandoque confœderatio, quandoque pugna sit, pro ejus rei notitia sequentes regulæ communiter à DD. traduntur. *Quia*, quoties casus

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

aliquis dubius eſt, in Jure Civili, Jure autem Canonico clarè deciſus, hæc Pontificii Juris deciſio etiam in foro Civili obſervanda eſt.

Secunda econversò, ſi quid Jure Canonico dubium & obſcurum (ſicut præſertim circa contractus & pacta perpaucæ ſunt in Canonibus deciſiones) Jure autem Civili clarum, ejuſque materia ſit profana, non ſpiritualis, in foro Eccleſiaſtico etiam Juri Civili locus eſt. Utraque hæc regula confirmatur *ex c. 1. & 2. de novi operis nunciat.* ubi ſummus Pontifex ait: *ſicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum Canonum ſtatuta Principum conſtitutionibus adjuvantur.* Imò quandoque etiam in materia ſpirituali leges in foro Canonico procedunt, non tamen aliter, quàm ſi expreſſè à SS. Canonibus recipiantur. ſicut *in Man. Paroch. p. 3. c. 5. ſect. 4. n. 9.* de cognitione *Legali*, quæ oritur ex adoptione, & conſtituit impedimentum dirimens matrimonium, pluribus explicatum.

Si ergò tanta ſit inter Jus Canonicum & Civile confœderatio, mirabitur fortaſſe nonnemo, cur *in c. ult. ne Clerici vel Monachi, &c.* ſub pœna excommunicationis interdicatur perſonis Eccleſiaſticis ſtudium Juris Civilis? R. id intelligi de tali ſtudio, quod abſtrahit à vita Eccleſiaſtica, & fit intentione ſubeundi munera & officia ſæcularium Advocatorum, vel Judicum, non autem quod fit in ordine ad perfectam Juris Canonici intelligentiam, *Joan. Hon. in dicto t. ne Clerici vel Monachi. n. 16.* ad majorem tamen cautelam

lam Universitates solent à S. Pontifice expressum privilegium admittendi Clericos ad publicas legum Civilium lectiones impetrare, quale etiam huic nostræ Universitati concessum est.

Tertia regula est, si inter jus Canonicum & civile sit pugna & contrarietas, vel diversitas, eáque sit de re profana, nec attingat conscientiam, vel peccatum, ut circa solemnitates testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorùmque similium actuum, *quodlibet jus in suo foro servandum est*, nimirum in terris summo Pontifici subjectis Jus Canonicum, in terris Imperii sæcularis Jus Civile, *c cum ad verum. dist.* 96. In causis tamen Clericorum etiam temporalibus & extra territorium Romani Pontificis Juri Canonico est insistendum, *c. quod Clericis* 9. *de foro compet.* sed hic textus juxta singularem interpretationem Barbosæ *in eodem c.* 9. *n.* 5. non procedit eo casu, quo Clericus actor convenit Laicum coram judice sæculari, quo casu, Clericus actor forum rei Laici, ita etiam ejusdem fori leges sequi debet, ut proinde illa verba *in c.* 9. posita, *si Clerici contra aliquos vel aliqui contra ipsos causas habuerint, &c.* intelligantur in eum sensum, si Clerici Parisienses (de quibus illud cap. inscriptum est) contra aliquos alios Clericos coram Judice tamen Ecclesiastico actionem instituant.

Quarta regula est ubi *de re conscientiæ, & materia peccati* agitur, si intet Jus Canonicum & Civile differentia sit, *tenendum est jus Canonicum etiam in terris Imperij*, quidquid enim sit de illa quæ-

ſtione, an S. Pontifex abſolutè ſit major & ſuperior Imperatore, quam tractant interpretes *ad c. ſolita de majorit. & obed.* certè univerſi Catholici DD. fatentur ſaltem in ſpiritualibus & ubi de ſalutè animæ agitur S. Pontificis Jurisdictionem tanquam Chriſti Vicarii, & communis animatum paſtoris etiam in terras Imperii & totum mundum extendi. *tex. in d. c. ſolita. verſ. quod autem. & in c. novit. de judicijs. Clem. Unam ſanctam. De majorit & obed.* Exemplum ad hanc regulam eſt *in c. ult. de præſcript.* ubi corrigitur Jus Civile permittens præſcriptionem longiſſimi temporis cum mala fide. *in c. ult de ſepult* & in *c. in literis. de raptoribus.* ubi ſtatuitur, heredes defuncti, qui aliis in vita damnum intulit, ad exonerandam conſcientiam ejus, (neque enim dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum *c. peccatum. de reg. Juris in 6.*) teneri juxta vires hæreditatis ad ſe devolutæ illud damnum reſarcire, contra leges civiles, quæ non obligant heredem ad damnum à defuncto datum, niſi in quantum ex tali damno V. g. furto aut rapina ad eum pervenit, vel lis cum defuncto jam conteſtata fuerit, *L. unica C. ex delicto defuncti, &c.* Denique ut plurima alia exempla, quæ in diverſis titulis occurrunt, prætereamus, leges Civiles permittentes impunè concubinatum *in t. t. ff. & C. de Concubinis. & in nov.* 18. per SS. Canones abrogatæ ſunt. *c. audite.* 6. *diſt* 34. & qualiter adverſus concubinarios locorum Ordinarii per cenſuras & invocationem brachii ſæcularis procedere

Digitized by Google

tedere debeant, traditur in Concilio *Trid. Seſſ.* 24. *de reform. c.* 8. *& Seſſ.* 25. *c.* 14. non obſtat *c. is qui. & c Chriſtiano. d.* 34. ubi ex ſententia antiquorum Patrum Chriſtiano una tantum aut uxor aut concubina permittitur : quia ibi nomine *concubinæ* non intelligitur ſcortum (quod Sancti Patres contra prohibitiones Juris divini permittere utique non potuiſſent) ſed uxor ducta quidem per verum conſenſum matrimonialem (qui ante Concilium Trident. abſque alia ſolemnitate ſufficiebat ad valorem matrimonii *c. is qui. de ſponſalibus*) at clandeſtinè ſine dotalibus inſtrumentis, qualis uxor in foro externo, ubi de matrimoniali conſenſu legitimè non conſtabat, concubina præſumebatur *arg. c. aliter.* 30 *q.* 5 & dicebatur : ut in annotatione *in dictò c. is qui. diſt.* 34. rectè exponitur.

Quinta regula eſt, *in materia Spirituali & Sacramentorum* neglecta diſpoſitione Juris Civilis *univerſim ad jus Canonicum recurrendum eſt.* hæc enim tractare & definire non ad ſæcularem ſed Spiritualem & Eccleſiaſticam poteſtatem pertinet. *c. decernimus. de judiciis.*

Quare licet jure civili invalidum ſit matrimonium quod filiifamilias contrahunt ſine conſenſu parentum in quorum poteſtate exiſtunt. *L. nuptiæ.* 2. *&* 18. *ff. de ritu nuptiarum.* Jure tamen Canonico & Concilii Trid. *Seſſ.* 24. *de reform. matrim. c.* 1. ſi non ſimpliciter licitum, ſaltem validum pronunciatur, pro ut in Manuali meo Paroch. *p.* 3. *c.* 5. §. 3. expoſitum.

Digitized by Google

ſtione, an S. Pontifex abſolutè ſit major & ſuperior Imperatore, quam tractant interpretes *ad c. ſolita de majorit. & obed.* certè univerſi Catholici DD. fatentur ſaltem in ſpiritualibus & ubi de ſalutè animæ agitur S. Pontificis Jurisdictionem tanquam Chriſti Vicarii, & communis animatum paſtoris etiam in terras Imperii & totum mundum extendi. *tex. in d. c. ſolita. verſ. quod autem. & in c. novit. de judiciis. Clem. Unam ſanctam. De majorit & obed.* Exemplum ad hanc regulam eſt *in c. ult. de præſcript.* ubi corrigitur Jus Civile permittens præſcriptionem longiſſimi temporis cum mala fide. *in c. ult de ſepult* & in c. *in litteris. de raptoribus.* ubi ſtatuitur, heredes defuncti, qui aliis in vita damnum intulit, ad exonerandam conſcientiam ejus, (neque enim dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum *c. peccatum. de reg. Juris in 6.*) teneri juxta vires hæreditatis ad ſe devolutæ illud damnum reſarcire, contra leges civiles, quæ non obligant heredem ad damnum à defuncto datum, niſi in quantum ex tali damno V. g. furto aut rapina ad eum pervenit, vel lis cum defuncto jam conteſtata fuerit, *L. unica C. ex delicto defuncti, &c.* Denique ut plurima alia exempla, quæ in diverſis titulis occurrunt, prætereamus, leges Civiles permittentes impunè concubinatum *in t. t. ff. & C. de Concubinis. & in nov.* 18. per SS. Canones abrogatæ ſunt. *c. audite.* 6. *diſt* 34. & qualiter adverſus concubinarios locorum Ordinarii per cenſuras & invocationem brachii ſæcularis procedere

Digitized by Google

cedere debeant, traditur in Concilio *Trid. Seſſ.* 24. *de reform. c.* 8. *& Seſſ.* 25. *c.* 14. non obſtat *c. is qui. & c Chriſtiano. d.* 34. ubi ex ſententia antiquorum Patrum Chriſtiano una tantum aut uxor aut concubina permittitur: quia ibi nomine *concubinæ* non intelligitur ſcortum (quod Sancti Patres contra prohibitiones Juris divini permittere utique non potuiſſent) ſed uxor ducta quidem per verum conſenſum matrimonialem (qui ante Concilium Trident. abſque alia ſolemnitate ſufficiebat ad valorem matrimonii *c. is qui. de ſponſalibus*) at clandeſtinè ſine dotalibus inſtrumentis, qualis uxor in foro externo, ubi de matrimoniali conſenſu legitimè non conſtabat, concubina præſumebatur *arg. c. aliter.* 30 *q.* 5 & dicebatur: ut in annotatione *in dictò c. is qui. diſt.* 34. rectè exponitur.

Quinta regula eſt, *in materia Spirituali & Sacramentorum* neglecta diſpoſitione Juris Civilis *univerſim ad jus Canonicum recurrendum eſt.* hæc enim tractare & definire non ad ſæcularem ſed Spiritualem & Eccleſiaſticam poteſtatem pertinet. *c. decernimus. de judiciis.*

Quare licet jure civili invalidum ſit matrimonium quod filiifamilias contrahunt ſine conſenſu parentum in quorum poteſtate exiſtunt. *L. nuptiæ.* 2. *&* 18. *ff. de ritu nuptiarum.* Jure tamen Canonico & Concilii Trid. *Seſſ.* 24. *de reform. matrim. c.* 1. ſi non ſimpliciter licitum, ſaltem validum pronunciatur, pro ut in Manuali meo Paroch. *p.* 3. *c.* 5. §. 3. expoſitum.

Digitized by Google

Sexta regula est, quòd *leges Civiles disponentes de personis & rebus Ecclesiasticis ex defectu juris dictionis invalidæ reputentur* tametsi favorem Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum concernant, *c. denique cum seq. dist. 96. c. Ecclesia* 10. *de constit.* etenim personas Ecclesiasticas & res earum jure divino à sæcularium dominorum potestate exemptos esse, apertè à summis Pontificibus, & Conciliis Universalibus (quibus utique competit de jure divino cognoscere) declaratum est *in c. nimis. de jurejurando c. quamquam. de censibus. in 6 & in Concilio Trid. Sess.* 25. *de reform. c.* 20 quod prolixè tractat Martha *de Jurisdictione parte* 2. *c.* 6.

Dixi tametsi leges civiles Ecclesiis *favorabiles* sint, ne prætextu favorabilis constitutionis Principes & potestates sæculares Jurisdictionem in Ecclesiasticos usurpent, *d. c. Ecclesiæ.* sed hoc ita accipiendum est, si lex *favorabilis* contineat aliquam obligationem, sive mandatum & Jurisdictionis speciem, prout *in l. jubemus. C de SS. Eccles.* de alienatione bonorum Ecclesiasticorum. in *l. sacris.* 47. *C. de Episcopis & Cler.* de electione Abbatum statuitur, & forma præscribitur. quæ leges non aliter vim habent quàm quatenus à SS. Canonibus receptæ sunt. At verò si leges nullam habeant annexam obligationem, sed sint merè favorabiles, & pura privilegia, non est dubium, quin valeant & subsistant, ne quòd in favorem Ecclesiarum est introductum, quod legibus sæcularium non subjaceant, in earum

odium retorqueatur, si nullo sæcularium Principum privilegio affici possent contra *c. non debet. de reg. juris in 6.* tale privilegium est in auth. *quas actiones C. de SS. Ecclesiis.* ubi contra Ecclesiam Romanam tantùm *centenaria*, contra alias *quadragenaria* præscriptio admittitur. In *auth. item nulla communitas C. de Episc. & cler.* ubi Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ ab exactionibus & oneribus realibus per sæculares Magistratus imponendis liberæ pronunciantur. In *Nov.* 5. *c.* 5 quòd bona ingredientium Monasteria sine prævia dispositione Monasteriis acquirantur. plura alia similia in primis titulis Cod. & Novell. passim occurrunt.

PROLEGOMENA
De Jure Divino & Humano.

TITULUS I.

Est & I. *in Lib.* I. *Decretal.*

De Summa Trinitate & Fide Catholicâ.

SUMMARIA.

1. *Authoritas S. Scripturæ & sensus Ecclesiæ de SS. Trinitate.* 2. *Pater cur prima Persona?*
3. *Filii Generatio duplex.*
4. *Filius quo sensu alibi à Spiritu Sancto, & alibi à tota Trinitate incarnatus dicatur.*
5. *Spiritus Sanctus vivificans, & ex Patre Filióque procedens.* 6. *Fides Catholica, quæ?*
7. *Ver-*

7. *Verba Sacræ Scripturæ non applicanda ad vana ſcurilia & impia.*
8. *Libri non imprimendi ſine nomine authoris, & licentia Ordinarii.*
9. *Ad Profeſſionem Fidei, qui teneantur.*
10. *De obligatione cujuslibet hominis circa internam vel externam fidei confeſſionem remiſſivè.*
11. *Tranſiens per loca hæreticorum cum periculo an poſſit in die jejunii veſci carnibus.*

A Sanctiſſima TRINITATE fonte & origine omnis ſapientiæ & juſtitiæ ſcientiam Juris Canonici & titulos auſpicamur, atque à cujus diviniſſima gratia accepimus, ad Ejusdem honorem, & gloriam referimus, illius humillimè imploramus auxilium, illi conſecramus labores.

Porrò myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis prolixiùs tradere ad Theologiam ſpeculativam pertinet, Ejus immenſitatem capere ſupra humani intellectus caliginem, & anguſtias eſt, neque in *ullius re, quam hujus omninò altiſſimæ, ac difficillimæ notitia ac explicatione* (ait Cathec. Roman. Pii V. c. 3.) *aut periculoſiùs verſari, aut gravius errare poſſumus:* qui enim *ſcrutator eſt Majeſtatis opprimetur à gloria, Proverb.* 15. captivemus igitur intellectum noſtrum in obſequium fidei, & credamus, Trinitatem unius & individuæ ſubſtantiæ eſſe; idque ex divino Evangelii oraculo *Matth.* 28. *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Joan.* 10. *Ego & Pater unum ſumus*, juncto c. 16. *Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt, propterea dixi vobis, quia Spiritus veri-*

veritatis de meo accipiet & annuntiabit vobis. Item Epistola 1. *Joan. cap.* 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Credamus quod sancta Mater Ecclesia à Sancto Spiritu omnem veritatem edocta in Conc. Lateran. quod habetur in *c.* 1. *hoc tit.* confitetur, & declarat, hanc sanctissimam Trinitatem secundùm communem essentiam, individuam, & secundum personalitates proprias distinctam esse. PATREM à nullo, FILIUM à solo PATRE genitum, & SPIRITUM SANCTUM ab utroque procedentem, consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæternos, unum universorum visibilium, & invisibilium, corporalium, & spiritualium principium.

PATER *prima persona* dicitur, non quòd in 2
TRINITATE aliquid majus aut minus, prius aut posterius tempore sit, sed quòd ipse sit principium sine principio, FILIUM ab æterno generans.

FILII nativitas seu generatio duplex est, una 3
(circa quam nihil terrenum aut mortale cogitandum) secundùm *Deitatem*, quâ ab æterno, & ante omnia sæcula Deus de Deo ex PATRE natus est, ejusdem naturæ, potestatis & sapientiæ cum PATRE. Nativitatem ipsam licet potiùs sanctâ fide credere, quàm perfectè intelligere valeamus, *generationem enim ejus quis enarrabit*, *Esa.* 53. pro humana tamen capacitate aliqualiter adumbrare possumus per illam similitudinem, quæ ab animi nostri cogitatione sumitur,

ut

ut enim mens noſtra ſe ipſam quodammodo intelligens ſui effingit imaginem, quam Theologi *verbum mentis* appellant, ita Deus (quantùm tamen divina humanis conferri poſſunt) ſe ipſum intelligens *Verbum æternum* generat, & inde in Evangelio *Joan.* 1. *Verbum fuiſſe apud Deum, & Deus Verbum, & Verbum Incarnatum* dicitur. Altera prætereà Nativitas FILII eſt, qua propter noſtram ſalutem de cœlo deſcendens, divinam ac humanam naturam conjungens *incarnatus de Spiritu Sancto, & homo factus eſt*; cùm enim homines omnes in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti, ut Apoſtolus *ad Epheſ.* 2. & *ad Rom.* 6 inquit, *naturâ Filii iræ*, ſub poteſtate diaboli, & mortis, miſit cœleſtis Pater miſericordiarum Filium ſuum multis ante temporibus ſanctis Patribus in veteri Teſtamento promiſſum ad hominum redemptionem, & viam vitæ æternæ demonſtrandam.

4 Quod verò FILIUS in ſymbolo fidei tantùm *à Spiritu Sancto* & in dicto c. 1. *hoc tit.* communiter *à tota Trinitate* incarnatus dicatur, ita intelligendum eſt, quòd licet omnes divinæ TRINITATIS Perſonæ concurrerint ſecundum Chriſtianæ fidei regulam; *quòd omnia, quæ Deus extra ſe in rebus creatis agit, tribus perſonis communia ſint, neque una magis quàm alia, aut una ſine alia agat.* ſacræ tamen litteræ earum rerum, quæ omnibus tribus perſonis communes ſunt, aliam aliis tribuere ſoleant, ut rerum omnium poteſtatem PATRI, ſapientiam FILIO, amorem SPIRI-

TUI

tui Sancto, & ideò cùm divinæ Incarnationis Mysterium immensum Dei erga nos amorem ostendat, hoc opus cooperante tota Trinitate factum, peculiaris amoris consideratione Spiritui Sancto adscribatur.

Tertia ergo in Trinitate Persona est Spiritus Sanctus ab inspirando, vel quòd Spiritualem vitam (unde & in symbolo fidei *vivificans* dicitur) in nos infundat, sic appellatus. Hunc Deum esse, atque unius cum Patre & Filio substantiæ, præter loca Scripturæ superius allegata apertè probat illud *Act. 5. Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te* Spiritui Sancto? *non es mentitus hominibus, sed Deo, Item 1. ad Corinth. 12.* ubi Apostolus *divisiones*, inquit, *operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur*; & mox subjungit; *hæc autem omnia operatur unus atque idem* Spiritus. Præterea in Symbolo fidei Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem credimus, quod iterum ex sacris litteris manifestum redditur, in quibus Spiritus Sanctus interdum *Spiritus Patris* vocatur, interdum *Spiritus Christi*, & modò à Patre, modò à Filio mitti dicitur *ad Galat. 4. junctis cap. Matth. 10. & cap. 15. Joan.*

Circa alteram partem Rubricæ, quæ *de Fide Catholica* inscribitur, breviter adnotandum est, quòd *Fides Catholica* dicatur, quam Ecclesia Catholica (id est, universalis) Romana, cujus caput est Romanus Pontifex, Vicarius Christi, & D. Petri successor nobis proponit. estque teste D. Pau-

D. Paulo *ad Hebr* 11. *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Hæc continetur partim in Sacris Scripturis ſive libris Biblicis, partim in traditione & definitione Eccleſiæ. quænam verò Scripturæ & libri Biblici haberi debeant pro Sacris, Canonicis & Authenticis, declaravit Concilium Tridentinum *ſeſſ 4 d. Canon. Script.* ubi etiam *in ead. ſeſſ in decret. de edit.*
7 *& uſu, ſac lib.* ſeverè prohibet ſub pœnis juris & arbitrariis per Ordinarios infligendis, ne quis publicè aut privatim Sacram Scripturam contra communem Eccleſiæ ſenſum interpretari audeat, aut verba Sacræ Scripturæ ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, ſortes, libellos famoſos &c. applicare vel uſurpare præſumat.

8 Item ne quicunque libri ſine nomine Authoris, atque approbatione Ordinarii, quæ in Scriptis & gratis detur, in principio vel fine libri apponenda imprimantur, Regulares verò ultra approbationem Ordinarii etiam licentiam ſuorum Superiorum impetrare teneantur.

9 Prætereà ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *de ref. c.* 1. profeſſionem *fidei Catholicæ* facere tenentur promoti ad Epiſcopatum. atque *in ead. ſeſſ.* 24. *de ref. c.* 12. ſtatuitur; *ut provisi de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus Epiſcopi, vel eo impeduto coram generali ejus vicario orthodoxæ ſuæ fidei faciant profeſſionem & in Romana Eccleſiæ obe-*

dientiâ

dientiâ ſe permanſuros ſpondeant ac jurent. Proviſi autem de canonicatibus & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, non ſolùm coram Epiſcopo ſeu ejus Officiali, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur, aliaquin prædicti omnes proviſi fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

Quibus Concilii Conſtitutionibus Pius IV. in bulla: *Injunctum.* & Pius V. in bulla: *In ſacroſancta.* addidêre, ut eadem *fidei profeſſio* etiam fieret ab illis, qui de Monaſteriis, Conventibus, domibus & aliis quibuscunque bonis Regularibus quorumcunque Ordinum etiam militarium quocunque nomine vel titulo providerentur. Item ut ad hanc fidei profeſſionem teneantur omnes Doctores, Magiſtri, Regentes & alii cujuscunque artis & facultatis profeſſores ſive Clerici ſive Laici, vel cujuscunque ordinis regulares ſint, qui docere vel promoveri voluerint. *Declarat. Card. ad d. ſeſſ. 24. Trid. c. 1. Zyp. in Anal. h. t. n. 1.*

Qualiter verò & quando quilibet homo vel Chriſtianus obligetur ad internam vel externam fidei confeſſionem vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 1. *& ſeqq.* Sanch. *lib.* 2. *Mor. c.* 3. *& ſeq.* Paul. Laym. *in Theol. Mor. lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 9. *& ſeqq.* ubi etiam *cap.* 11. docet, quod quamvis nullo caſu licitum ſit, externa voce aliove ſigno veram fidem negare, aut falſam profiteri juxta illud *Matth.* 10. *qui negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* Præceptum tamen de facienda poſitiva externæ fidei confeſſione eſſe ex præceptis

ptis *affirmativis*, quæ regulariter obligant quidem *ſemper*, ſed non *ad ſemper*: ideoque ex gravi cauſa & imminenti periculo, ac ubi ex fidei profeſſione nulla ſperatur ſecutura utilitas, ſed magis perturbatio, licitum eſſe quandoque fidem
1-1 tacere & diſſimulare, atque *n.* 5. inter alia exempla ponit de tranſeunte cum periculo loca hæreticorum & veſcente carnibus in die jejunii, ſi talis comeſtio ab ipſo non petatur expreſsè in contemptum fidei. aliàs enim comedere carnes actus indifferens eſt, & præceptum Eccleſiaſticum abſtinendi in die jejunii tanquam humanum non obligat cum tanto periculo. Cætera quoque, quæ ad fidem Catholicam, & authoritatem univerſalis Eccleſiæ, Romanique Pontificis ſpectant, ad Theologiam & Controverſias fidei, item ad alios titulos Juris Canon. ubi de adminiſtratione Sacramentorum, de Majoritate & obedientia, de hæreticis &c. agemus, remittimus.

TITULUS II.

Eſt & 2. in Lib. I. Decretal.

De Conſtitutionibus.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Conſtitutio ac quænam ejus cauſa?

SUMMARIA.

1. *Quid & quotuplex jus naturæ?*
2. *Quid & quotuplex jus gentium?*

3. *Quid*

3. *Quid Lex positiva?* 4. *De Lege Divina.*
5. *Leges veteris testamenti, quales, & an etiam hodie obligent.*
6. *De Lege divina novi Testamenti, & Epistolis Apostolorum.*
7. *Quid Lex humana positivia & quotuplex.*
8. *De conditionibus & causis legum humanarum.*

CONstitutio à constituendo sive statuendo dicta in sensu ordinario solùm legem positivam & scriptam denotat, & non nisi valdè impropriè *jus naturæ* vel *consuetudo* constitutio diceretur. Est enim *jus naturæ* inquit Isid. in c. 7. dist. 2. *commune omnium nationum ex instinctu naturæ non constitutione aliqua procedens.* Et *consuetudo quæ non de statuto sed moribus solum tracta est*, c 4. *ead. dist.* 2. Quia verò in constitutionibus frequens juris *naturalis* mentio fit & pleræque leges ac constitutiones in Jure naturæ fundamentum aliquod habent, ideo prænotare oportet, hoc jus naturæ dividi solere in *primævum* & *secundarium*; *primævum* sive *materialiter sumptum* est, quod natura omnia etiam bruta animantia docuit, ut maris & fœminæ conjunctionem, prolis educationem, contra violentiam defensionem &c. *Secundarium* autem quod à ratione dependet, & hominibus proprium est, uti sunt liberorum hereditaria saltem in legitima successio, pactorum & contractuum observatio, alieni injusti damni evitatio. unde non ineptè Gratianus *in princ. dist.* 1. summam juris naturalis in illo Evangelii præcepto *Matth.* 7. asserit, quo *quisque*

1

Digitized by Google

jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri. Dummodo ea interpretatio adhibeatur, ut illa voluntas, qua sibi quis vult aliquid fieri, vel non fieri, sit secundum rectam rationem, & circa talem rem, in qua quis, si casum in propria sua persona fingeret, debitum justitiæ agnosceret, non vero ex inordinato affectu vel habendi cupiditate. E. g. debeo Titio centum ex mutuo, quod ille, quia nullum habet à me chyrographum probare non potest. cogito. an tenear solvere? invertam casum, & ponam Titium mihi debere mutuum, quod probare nequeam, mox dictabit naturæ instinctus, quid vellem mihi fieri, quod justum & æquum sit, ergo idem in eodem casu & iisdem circumstantiis faciam alteri &c. Aliud est, si cuperem à Titio mihi donari centum, non ego propterea teneor Titio donare centum, quia hæc voluntas circa alterius bona cum damno ejus vel non est secundùm rectam rationem, vel per se clarè constat, quòd non habeat materiam debiti & obligationis. Unde etiam Lex naturalis apud Theologos *recta hominis conscientia & participatio quædam Legis æternæ in creatura rationali* convenienter appellatur.

2 Porro Jus naturale *secundarium* etiam *Jus gentium* vocatur, quod omnibus gentibus inditum sit. hinc in Jure obligationes ex contractibus, item modi acquirendi, qui habentur *in lib. 2 Inst. tit. 1.* promiscuè & Juris naturalis & gentium dicuntur. Sed & *Jus gentium* dividi solet, quod aliud

Digitized by Google

aliud sit *primævum*, aliud *secundarium*, sive aliud *rationis*, & aliud *ratiocinationis*. Jus gentium *primævum* & *rationis* est ipsum Jus *naturale secundarium*, sive illa ratio æquum ab iniquo dijudicans à natura sive Deo Authore naturæ hominibus infusa. Jus verò gentium *secundarium* est, quod ex ratione non simplici, sed *ratiocinata*, & per discursum practicum necessitate hominum ita exigente introductum est. Quo pertinere videntur ea, quæ referuntur *in c. Jus gentium dist.* 2. nimirum sedium occupatio, munitio, bella, captivitates, postliminia, Legatorum non violandotum Religio &c. Similiter quæ ponit JC. *in l. ex hoc jure. 5. ff. de l. & l. ex hoc jure gentium*, inquit, *introducta bella, discretæ gentes; regna condita, dominia distincta; agris termini positi, ædificia collocata; commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ, exceptis quibusdam, quæ à Jure Civili introducta sunt.* unde consensum & obligationem ex contractu Jure *naturæ & gentium primario* ttingere, modum autem contrahendi *jure gentium secundario* introductum, stipulationem verò, & litterarum obligationem, item & præscriptionem Juris Civilis inventum esse dicimus. & hoc Jus non tam constitutionibus, quàm consuetudini & mori, sive usui hominum annumerandum est: nisi quod multa, quę Juris naturę & gentium sunt, lege etiam positiva & constitutione Imperatoria vel Pontificia confirmentur.

Plurimùm autem interest, sitne aliquid præcisè Juris positivi humani, vel etiam Juris natu-

Digitized by Google

ralis. nam quæ Juris naturæ ſunt, contraria inſtitutione vel conſuetudine abrogari nequeunt, §. *ſed naturalia l. de l. N. G. & C. c. ult. de conſuet.* ſecùs vero illa, quæ Juris tantùm humani ſunt *c. 1. hoc tit. in 6* quòd verò Ulp. *in l. jus Civile 6. ff. de l. & l* dicit, Juri naturali à Jure Civili addi & demi poſſe: non intelligendum eſt eo ſenſu, quod pro arbitrio Jus naturale abrogari valeat, ſed quod Legislatores propter certas circumſtantias in materia vel objecto poſſint declarare hunc vel illum caſum ſub præcepto Juris naturalis non comprehendi. V. g. præſcriptionem ſub illo præcepto, *ne quis cum damno alterius locupletetur*, eo quod hoc præceptum tantùm intelligatur *de injuſta locupletatione*, præſcriptio autem propter publicam utilitatem & ad incertitudinem dominiorum, ac copiam litium evitandam non ſit *injuſta*. item quæ Juris naturæ ſunt, ſemper in conſcientia ſtringunt, *d. c. ult. de conſuet.* Leges verò humanæ quandoque ſolum in foro externo non interno obligant, ut ſi merè pænales, ſi in falſa præſumptione fundatæ ſint &c. qua de re inferius in §. 3. plura tractabimus.

3 Lex *poſitiva* eſt conſtitutio ſcripta ait Iſidorus *in c. 3. diſt. 2.* unde & ſecundum aliquos Lex *à legendo*, cum *in ſcriptis* proponatur, vel ſecundum alios *à ligando*, quod populos *liget*, aut ab *eligendo*, quod ſit electa vivendi norma, denominatur. Nam cùm effrœnata hominum cupiditas in vitia & jurgia prona ſit, ideò legem dare neceſſe fuit, ait Pontif. *in proœm. Decret.* ut appetitus no-

Digitized by Google

gius sub Juris regula limitetur, per quam genus humanum ut *honestè vivat*, *alterum non ledat*, *jus suum cuique tribuat* informetur.

Est autem constitutio *positiva* duplex, *divina* & *humana*: divina quæ à Deo lata est; & hæc rursus subdividitur, quod alia sit veteris, alia novi testamenti. Inter Leges Veteris Testamenti denuò discrimen est constituendum, aliæ enim sunt *cæremoniales*, aliæ *judiciales* & aliæ *morales*. *Cæremoniales* sunt, quæ ad cultum divinum & ritus sacrificiorum Judaicorum pertinent: *judiciales*, quæ circa causas judiciales & debitum ordinem ac æquitatem in populo Judaico servandam præscriptæ erant: *morales*, quæ ex dictamine & instinctu naturæ procedunt, uti sunt Decalogi præcepta. 4

Leges *cæremoniales* & *judiciales*, quia vel specialiter pro gente Judaica eorumque moribus latæ, vel præfigurativæ Christi, & *umbra futuri luminis* erant, per Adventum Christi & veri luminis disparuerunt, & vim obligandi amiserunt, ut ex D. Paulo *ad Gal. 3. & 4.* satis probatur, & docent Interp. communiter *ad c. un. de purif. post partum*. imò cæremonialium legum observatio non tantum mortua, sed etiam mortifera & interdicta est Christianis. *Judiciales* verò licet ex se non obligent tempore gratiæ, propter moralem æquitatem tamen vel honestatem possunt etiamnum hodie vel constitutione vel consuetudine introduci *c. 1. de homicidio. c. 1. & seqq. de injuriis.* illæ quoque leges *cæremoniales*, quæ non 5

tam mysteria nascituri Christi præfigurabant, uti sunt immolatio Agni, circumcisio &c. quàm potius ad devotionem & cultum Dei decenter peragendum pertinebant, veluti vestes sacerdotales &c. etiam in nova lege per Ecclesiam repeti possunt, ita tamen ut non ex Lege divina sed Ecclesiastica obligent. *Moralia* præcepta veteris Testamenti adhuc vim habent, & perpetuò habebunt, non tam ex auctoritate veteris Legis, quàm ex eo, quod sint à natura ipsa instituta & à Christo in Evangelio passim præcepta & *mandata servare* jubente repetita. Demum aliquæ sunt leges *mixtæ*, quæ partim sunt cæremoniales vel judiciales & partim *moralis*, cujusmodi sunt *decimæ* quæ quo ad quantitatem, scilicet decimam partem, legibus *judicialibus* quo ad congruam sustentationem ministrorum Ecclesiæ *moralibus* rectè annumerantur, ut in Man. Paroch. *ad trinc. tit. de Decim.* dictum, item Sabbathi sanctificatio, quæ quo ad diem Sabbathinum cæremonialis, quo ad cultum divinum, qui aliquibus saltem diebus soli Deo debetur, moralis est. istæ leges mixtæ non obligant quidem hodie ex Jure divino, in quantum sunt cæremoniales vel judiciales, sed in quantum sunt morales. qua de re videri poterit Cov. *variar. resolut. l. 1 c. 17.*

6 Leges divinæ novi Testamenti sunt, quæ à Christo Domino circa fidem, Sacramenta & Sacrificium constitutæ sunt, atque ab ipso vel ab Apostolis promulgatæ. Circa epistolas & scripta Apostolorum advertendum est, quod illa

tantum

tantum ibi contenta sint Juris divini, quæ talia esse ex verbis Apostolorum sufficienter colligi potest, v. g. si Apostolus dicat, *ego accepi à Domino, Dominus ordinavit &c* cæterum verò ipsi Apostoli tanquam suo tempore Primates & Antistites Ecclesiæ multa separatim à præceptis divinis pro rationabili fidelium directione sicuti hodie solet summus Pontifex & Episcopi statuerunt. Ita præter Canones Apostolorum exemplum est in Epistola prima Pauli *ad Tim. c.* 3. *& ad Titum c.* 1. ubi Apostolus prohibuit ordinari Episcopum, vel Presbyterum, qui sit *bigamus, criminosus, percussor &c.* tamen id solum pro lege Ecclesiastica agnoscitur, & ideò in bigamia summus Pontifex, in criminibus non valde enormibus post peractam pœnitentiam aliquando Episcopus dispensare potest, *c. at si Clerici. § de adulteriis. de judiciis. Hen. Zoes. ad tit. de bigamis non ordinand. n.* 14.

Lex *humana positiva* describi potest, quod sit, 7
recta agendorum ratio à publica potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuò obligandi. dividitur in *ecclesiasticam & sacularem*, illa à potestate Ecclesiastica, hæc à Magistratu sæculari descendit. Utraque subdividitur in *generalem & particularem*; *generalis*, quæ ordinario nomine Legis vel Canonis appellatur, est illa, quæ à summo Pontifice vel Principe Ecclesiastici vel sæcularis status lata universim in tota Ecclesia Catholica vel toto Imperio obligat: *particularis* verò, quæ communiter *statutum* vocari solet, ab

Digitized by Google

inferioribus Episcopis aut Prælatis vel Principibus superiorem recognoscentibus promanat.

8 Dixi I. Legem esse, *rectam agendorum rationem*; quibus verbis causa materialis & finalis legum insinuatur, *erit enim Lex*, ait iterum Isidorus *in c. 2. dist. 4. honesta. justa, possibilis secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem loco temporique conveniens, necessaria, utilis, nullo privato commodo sed pro communi civium utilitate conscripta.* In dubio autem si de manifesta legisin justitia non constet, sicut aliàs mandatum superioris præsumitur justum, ita etiam à subditis lex justa censeri debet, licet fortassis aliquæ rationes in contrarium opponi possent, cogitandum enim, à prudente legislatore Interdiversa rationum momenta ad tollendam ambiguitatêm & disputationis materiam illa selecta fuisse, quæ pro Republica utiliora visa sunt. *cor enim Regis in manu DEI est*, & per *sapientiam divinam Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt. Prov.* 8. Unde & D. August. *in c. in istis. dist. 4. in istis temporalibus legibus*, inquit, *de illis homines judicant cum eas instituunt, cum autem fuerint institutæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*, adde textum *in L. non omnium. cum L. seq ff de Legibus.*

Dixi II. à *publicâ potestate*. ex quo causa *efficiens* legum colligitur, nam in statu Ecclesiastico, & circa spiritualia ac Ecclesiastica negotia nunquam potestas legem ferendi penes privatos & populum fuit: in statu autem sæculari & veteri Imperio Romano populus quidem auctoritatem

leges

leges & plebisscita faciendi habebat, *c* 1. & 2. *dist.* 2. *L. de quibus. ff. de LL.* postquam verò populus sibi Reges & Imperatores constituit, omnem illam auctoritatem à se abdicavit & lege Regia in Principes suos transtulit. *L.* 1. *ff. de constit. Principum.*

Dixi III. *cum voluntate eos obligandi*: quibus verbis *forma* & *effectus* legum denotatur. Ad formam enim legis pertinet, ut Legislator per apta verba declaret mentem suam, quod non tantùm consulendo, vel suadendo aliquid dicat (quale consilium necessariam obligationem non habet, nec transgressores ejus regulariter peccatum vel pœnam incurrunt) sed jubendo & præcipiendo, & ita quidem clarè, ne Lex per obscuritatem captionem aliquam contineat *de. c.* 2. *dist.* 4. Cum autem circa causas præsertim *materialem & officientem* plura adhuc notatu digna occurant, sit

§. II.

De Causa materiali & efficiente Legum.

SUMMARIA.

9. *Quales actus virtutum possint per Legem præcipi.*
10. *Quæ possint prohiberi.*
11. *Permittuntur quandoque injusta.*
12. *Lex prohibitoria habet saltem pœnam arbitrariam.*
13. *Delicta quædam mixti fori.*
14. *Actus interni & occulti qualiter possint esse materia legum.* 15. *De causa efficiente legum.*
16. *S. Pontifex circa salutem animarum Legislator univer-*

Digitized by Google

universalis & quid circa Judæos, Gentiles, & hæreticos. (*gislativa.*

17. *Concilia quotuplicia, & de eorum potestate le-*
18. *Episcopus in sua diœcesi an possit id, quod Papa in Ecclesia.*
19. *Quare non detur potestas Episcopis statuendi contra Jus commune Eccles. & tamen valeat consuetudo.* 20. *De Legatorum statutis.*
21. *De statutis Capitulorum sede vacante, eorumque revocatione.*
22. *De statutis Capituli cum Juramento.*
23. *De statutis Ordinum Regularium.*
24. *Reformatio Ordinis an ab omnibus professis acceptanda.*
25. *Conventus & Capitula inferiorum Ecclesiarum an habeant potestatem statuendi. alia Summaria sub §. 3.*

CUm legis virtus sit *imperare*, *vetare*, *permittere & punire* teste Jurisconsult. *in l. 7. ff. de LL.* ideò legum debet esse *materia*, quæ justè *imperetur, prohibeatur vel permittatur.*

9 Possunt igitur inprimis præter actus justitiæ & ut suum cuique reddatur, etiam opera aliarum virtutum, ut temperantiæ, continentiæ, Religionis, &c. & quæ ad has virtutes consequendas tanquam media sunt, ut certarum dierum jejunium, decens in vestitu incessus, concionum, Missarum frequentatio, *imperari* & *præcipi*, dummodo virtutes non sint tales, quarum sectatio populo sit nimis ardua, & difficilis; prorsus erunt actus consiliorum Evangelicorum, ni-

mirum

mirum paupertas, cælibatus, &c. hæc enim, licet ex poſt facto rectè præcipiantur illis, qui ad eorum obſervationem ſe prius per votum, aut per profeſſionem religioſam voluntariè obligârunt, univerſaliter tamen & ante ſpontaneam obligationē rationabiliter præcipi non poſſent.

Ex adverſo *prohibuoriæ* legis materia ſunt o- 10
mnia illa, quæ juſtitiæ aliisque virtutibus, quarum obſervatio Reipubicæ utilis & facilis eſt, contrariantur, nec intereſt, an jam prius lege divina, aut naturali ſimiles actus præcepti vel prohibiti exiſtant, nihil enim impedit, quin idem actus pro meliori juris divini aut naturalis obſervatione, vel declaratione, jure inſuper humano contineatur.

Permitti per leges poſſunt ea, quæ juſta, quæ 11
honeſta ſunt. Imò etiam aliquando injuſta & inhoneſta ad evitationem majoris mali, ſi utrumque in Reipublica poſt omnem poſſibilem diligentiam nequeat evitari, non quidem approbando minus malum tanquam licitum, ſed diſſimulando ejus pœnam. Ita multi exiſtimant *Deu.* 23. conceſſum fuiſſe Judæis exercere uſuras cum extraneis, ne cum ſuis fratribus exercerent, ita ad præcavenda majora & atrociora carnis delicta apud quaſdam calidiores nationes, minora, ut fornicationes, tolerantur, & exempla ſunt *Geneſ.* 19. *Judicum.* 19. textus quoque notabiles *in c.* 1. *&* 2. *diſt.* 13 *c.* 12. 32. *q.* 7.

Puniunt demùm leges malefactores in Repu- 12
blica. Et ſi lex ſimpliciter aliquid prohibeat, quam-

quamvis pœnam determinatam non addat, ejus tamen violator Judicis prudentis arbitrio punietur, frustra enim leges prohibitoriæ concederentur, nisi malefactores formidine pœnæ coercerentur. *Julius Clarus lib. 5. sentent. q. 83. & ibi additio prima. Menoch. de arbitrar. lib. 2. cas. 365. n. 2.*

13 Sunt autem quædam delicta *mixti fori*, quibus tam à Jure Canonico, quàm Civili certæ vel arbitrariæ pœnæ præstitutæ sunt. Et in his inter Judicem Ecclesiasticum & sæcularem locus est prævention̄i : ita tamen, ut in majoribus criminibus, in quibus jure Canonico pœna plerumque potiùs *medicinalis* quam *vindicativa*, infligitur ; punitus in foro Ecclesiastico adhuc ad terrorem, malis hominibus incutiendum, in foro sæculari puniri possit. *c. 2. de maledicis. c. felicis. vers per hoc quoque. de pœnis in 6. l. placet. C. de SS. Eccl* De consuetudine in enormibus criminibus circa Laicos Ecclesia ordinariè totam punitionem Judici sæculari relinquit. Plura de punitione delictorum in lib. V. decretalium atque in tit. de pœnis traduntur.

14 Difficilis est quæstio, an & qualiter actus *interni* vel *occulti* hominis materia legum humanarum esse possit? Etenim *in l. 8. ff de pœnis. in c. cogitationss. de pœnit. dist. 1.* dicitur, quod *cogitationis pœnam* (intellige in foro externo) *nemo patiatur.* In *c. sicut. c. tua n. s. de simonia.* in *Trid sess. 24. de refor. matr. c. 1.* habetur, quòd *Ecclesia de occultis non judicet*, ita in lib. V. decretalium docuimus,

Digitized by Google

cuimus; simonicum, hæreticum, vel usurarium *purè mentalem* pœnas juris non incurrere. Econtra in *c. dolent. de celeb. Miss.* præcipit Pontifex, ut officium divinũ â Clericis *devotè* recitetur, devotio autẽ & *elevatio mentis* ad Deum actus utiquè *internus* est: similiter in *Clem* §. 1. *verum. de hæret* excomunicatio statuitur in eos, qui ex odio, gratiâ, vel avaritiâ omittunt inquisitionem contra hæreticos; cùm tamen odium, gratia, vel avaritia actus plerumquè *interni* & *occulti* sint. item in Concilio Trid. *sess.* 24. *de refor. c.* 6. privilegium datur Episcopis; ut possint absolvere à censuris & irregularitatibus ex delictis *occultis* provenientibus. demùm quis neget, peccaturum contra præceptum Ecclesiæ, qui diebus jejunii clam & nemine vidente comederet carnes. Clericum, qui occultè omitteret recitare divinum officium, &c. aliàs haud dubiè futurum, ut subditi obedirent suis superioribus ad oculos; & privatim omnia mandata Ecclesiastica & sæcularia violarent.

In hac celebri quæstione utendum est distinctione, nam alii sunt actus *merè interni & per se* occulti, qui in solo animo & cogitatione mentis consistunt, atque hi ordinariè soli Deo subjecti sunt, humanum autem judicium eos cognoscere non potest, consequenter nec præcipere, nec punire. quò faciunt exempla de simoniacis, hæreticis, & usurariis purè mentalibus. Alii sunt *externi*, qui præter animi cogitationem etiam ad opus vel actum externum processerunt, & hi li-

cet sint *per accidens* occulti, quia secretò facti, testibus vel aliis documentis probari non possunt, subjacent tamen jurisdictioni & potestati legislativæ, quamvis ex defectu probationis aliquando per accidens judicium humanum effugiant. Sic si Episcopus censuram ferat, ut *quisquis furtum sacrilegum fecerit, excommunicationem incurrat*, in hanc censuram incidet, qui etiam nemine vidente furatus fuerit. Pariter qui libros hæreticos clam legerit, excommunicationem Bullæ cœnæ (supposito quòd ea Bulla in illo loco recepta sit, de quo dubitari potest in Germania. vid. quæ dixi *in Man. Paroch. par 3. c. 2. circa 1. casum Bullæ*) incurret: tametsi interim tales in judicio externo ob defectum probationis puniri non possint, quod per accidens contingit. Alii denique sunt actus *mixti*, partim externi, partim interni, in quibus præter actum externum etiam interna anima præparatio sive intentio concurrit, & ad operis externi moralem petfectionem, & substantiam necessaria est, ut in Sacramentorum administratione, perceptione, & celebratione divini officii, &c. propterea si Ecclesia præcipere potest opus externum v. g. celebrationem Missæ, Sacramentorum administrationem & perceptionem, &c. potest etiam saltem *indirecte* præcipere id, quod est necessariò connexum, & sine quo opus externum *validè & rectè* non perficitur, ut devotionem, intentionem consecrandi, contritionem, &c. *de connexis enim idem judicium*, & homo non tantùm quo ad

directio-

direct onem corporalium & materialium externarum actionum, ſed etiam quo ad directionem animæ ſuperioribus ſubjectus eſt juxta illud Apoſtoli *ad Rom.* 13. *omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit*, & paulò poſt, *ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram* (ſcilicet Judicis externi) *ſed etiam propter conſcientiam, &c. & ad Hebr.* 13. *ipſi* ſuperiores, *pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Prætereà ſicuti lex præcipere poteſt actum internum concomitanter cum externo, ita etiam actum malum internum punire valet, quatenus operi externo connexus eſt, quo ſenſu interpretandus eſt textus *in dicta Clemen.* 1. §. *verum. de hæreticis* & exemplum in Jure Civili eſt ex tit. *de injurijs.* ubi tunc demùm injuria punitur, ſi *ex animo & intentione injuriandi* proceſſerit. *l. ſi non convitij.* 5, *C. de injurijs.* Cauſa efficiens legum humanarum, ut jam in priori §. inſinuatum, publica poteſtas eſt, quæ in ſtatu Eccleſiaſtico penes ſummum Pontificem, & reliquos Prælatos, in ſtatu ſæculari penes Imperatorem & alios Principes ac Dominos reſidet, ita tamen, ut quilibet Legislator pro modo tantùm & termino ſuæ jurisdictionis legem ferre poſſit, *extra territorium enim & ſupra jurisdictionem ſuam jus dicenti impunè non paretur, l. ultima ff. de jurisdictione.* 15

Summus Pontifex in materia ſpirituali & concernente ſalutem animæ ac rectam Eccleſiæ gubernationem in toto orbe Chriſtiano legem ferre poteſt: quia ipſi omnium ſuarum ovium cu- 16

ram in beato Petro Christus commisit *Matth* 16. Porrò etiam hæretici, quàmvis de facto resistant, de jure tamen lege Pontificiâ obligantur; non item judæi & gentiles, nisi quatenus illa lex jus divinum vel naturale contineret, ex ea differentiæ ratione, quod hæretici per Baptismum in Ecclesiam ingressi, ejus subditi, licet rebelles, effecti sint. Unde etiam DD. inferunt, quod ad fidem Ecclesiæ Catholicæ suscipiendam, sicuti rebelles subditi, ad obedientiam compelli possunt, secus verò Judæi & gentiles, quibus nunquam per Januam Baptismi in Ecclesiam ingressis, rectè accomodatur illud Apostoli *ad Cornit. 5. quid mihi de iis, qui foris sunt* (id est extra Ecclesiam) *judicare, nam eos Deus judicabit, &c.* quid verò de hæreticorum matrimoniis, vel quæ in locis hæreticorum à Catholicis contrahuntur, dicendum, tradidi in man. Paroch. *p. 3 c. 5. §. 5. sect 6. & in §. 6. n* 20. plura item de S. Pontificis authoritate inferius hoc eodem libro in tit. *De majoritate & obed.* explicabuntur.

17 Cæterùm quod de summo Pontifice, etiam de *Conciliis generalibus Oecumenicis* sentiendum est, nam & his jurisdictio in totam Ecclesiam & omnes Christianos competit, neque aliter legitima sunt, quam si authoritate Romani Pontificis congregentur & confirmentur *c. significasti. 4. de electione.* Alia sunt Concilia *Provincialia*, quæ Archiepiscopi unacum suis Suffraganeis in suis Provinciis instituunt. alia *Diœcesana* vel *synodalia*, quæ Episcopi celebrant in suis Diœcësibus.

sibus. Et hæc quidem potestatem leges & statuta condendi habent, sicut ipsi Archiepiscopi & Episcopi, sed ita, ut eorum jus & obligatio ultra terminos Provinciæ, aut Diœcesis non extendatur: adeò ut tametsi in Decreto Gratiani quidam Canones ex aliquo Concilio provinciali vel diœcesano allegentur, eos tamen non esse universaliter obligatorios, omnes illi adnotârint, qui nobiscum docent, Decretum Grati: ad primævam suam authoritatem revocari: Deinde etiam advertendum est, quod inferiores Prælati, nec soli, nec in Conciliis suis sine licentia summi Pontificis aliquid statuere valeant contra jus commune Canonicum. Inferior enim legem superioris abrogare non potest; & condere ac tollere legem, ab eadem potestate procedunt, *Clem. ne Romani in princ. de electione.* Circa ea proinde solùm leges ferre possunt, quæ ad reformationem morum, vel cultum divinum pertinent, aut quæ jure communi apertè decisa non sunt. Non obstat vulgare dictum, quòd 18
Episcopus in suâ Diœcesi possit ea, quæ Pontifex in tota Ecclesia: quia id universaliter concedendum non est, sed cum dependentia & subordinatione ad Papam tanquam Superiorem, & salvis illis, quæ summo Pontifici specialiter reservata sunt. Nam Ecclesia Romana, quæ prima est, & Diœceses ac Episcopatus inferiores divisit, ita reliquis Ecclesiis, earúmque Prælatis vices suas largita est, ut in partem vocaret solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. *c. qui sc. 12. causa 2. q. 6.*

Digitized by Google

19 Quærit ad propoſitum hujus loci Panormit: *in c. ult. de conſuet n.* 9. quare Imperator potius Principibus ſæcularibus concedere ſoleat, ut in ſuis terris poſſunt facere ſtatuta contra jus commune Civile, quàm Pontifex Epiſcopis? Item quare in aliqua Diœceſi poſſit introduci conſuetudo contra jus commune Canonicum, & non etiam ſtatutum? Reſponderi poteſt ad primum, quia majus eſt periculum in abrogatione Juris Communis Eccleſiaſtici, hoc enim cùm principaliter ordinetur ad finem ſalutis æternæ, timendum foret, ne forſan cum periculo animarum erraret Epiſcopus, dum contra S. Pontificis Chriſti vicarii & Paſtoris univerſalis judicium & legem ſuo arbitrio ſtatuere permitteretur. Jus autem ſæculare ordinatur principaliter ad ſtatum externum politicum, quem inferiores principes poſſunt ſecundùm naturam & mores ſingularum nationum ſine gravi periculo faciliùs dirigere. Quod ſi etiam lex communis Eccleſiaſtica non poſſit certo populo cum fructu accommodari, S. Pontifex ea de re informandus eſt, atque ejus deſuper cognitio, & mutatio vel remiſſio legis exſpectanda. Reſponderi poteſt ad ſecundum cum eod. Panorm. quòd conſuetudo, ſi ſit tamen rationabilis, habeat tacitum conſenſum ſumi Pontificis, rationabiles enim conſuetudines tolerantur *ex tot. tit. de Conſuet.* quem conſenſum S. Pontifex potius (ſaltem per modum diſſimulationis) factis rationabilib⁹ hominum impendit, quàm ſtatutis Epiſcoporum,

cò

eò quòd uti poteſtate legislativa contra Papalia decreta etiam ex cauſa rationabili videatut ſapere aliquam ambitionem, quæ ſucceſſivè aperit viam ad plures inobedientias. Addi etiam poteſt, quòd plerumque difficilius ſit impedire conſuetudinem, quæ ex diuturno tempore & inveteratis moribus proceſſit, quam ſtatutum vel legem particularem.

Legati Sedis Apoſtolicæ etiam ſtatuta facere poſſunt in Provinciis & locis ſuæ legationis, quæ durant etiam poſt officium eorum finitum, *c. ult. de officio Legati.* 20

Capitula Cathedralium Eccleſiarum, ſede Epiſcopali vacante, etiam ſtatuta & conſtitutiones facere poſſunt, quia ſuccedunt in Jurisdictionem Epiſcopi, ex quâ dimanat poteſtas ſtatuendi, & illa ſtatuta etiam durant in tempus futuri Epiſcopi. quamvis enim Jurisdictio Capituli ſit tantùm temporalis, quàmdiu ſedes vacat, quod tamen ex ea rectè geſtum eſt, perpetuum haberi debet, *arg. c. fi. de officio Legati. & c. factum legitimè. de R. I. in* 6. Sed Capitulum ſede vacante poteſt quidem ſtatuere circa ea, in quibus tunc habet Jurisdictionem, ut circa negotia ipſum Capitulũ concernentia, circa reformationem morum, cauſas judiciales, &c. non verò circa talia, per quæ præjudicetur juri, authoritati vel reditibus ſucceſſuri Epiſcopi, ut ſi vellet ſtatuere, quòd *Charitativum* ſubſidium totum, vel pro parte minueretur, quòd reditus Epiſcopales eſſent inter capitulares diſtribuendi, &c. nam in perſonã Epi- 21

Digitized by Google

ſcopi ejuſque jura & reditus Capitulum nullam habet Jurisdictionem, conſequenter in iis ſtatuere nihil poteſt. Epiſcopus quoque ſucceſſor poteſt ex causâ rationabili ſtatuta à Capitulo, ſede vacante facta, revocare, non ſecùs ac alia ſtatuta ſuorum Anteceſſorum, quia Capitulum vel Anteceſſor non poteſt Epiſcopo ſucceſſori legem perpetuam præfigere, *cum par in parem non habeat imperium* aut Jurisdictionem, *c. innotuit. 40. de electione.* videatur Quara. *in ſumma bull. verbo Capitulum ſede vacante. Frid. de ſen. Conſ. 16.* & Pavin. *in ſpeciali tractatu de poteſtate Cap ſede vacante.*

22 Aliquando autem Capitulares ſede vacante ſpeciali pacto aut juramento ſe obligant, ut quiſquis in Epiſcopum eligendus fuerit, certa ſtatuta inviolabiliter obſervare debeat: quæ pacta aut Juramenta obligant novum Epiſcopum ad præſtationem fidei interpoſitæ, niſi forent manifeſtè in præjudicium Canonum vel Eccleſiæ, vel animarum, vel dignitatis Epiſcopalis, *c. ult. de pactis.* textus ad propoſitum notabilis, ubi Panormit. & Barb. *in c. ſicut noſtris. 27. de jurejurando.*

23 *Ordines etiam Religioſi*, eorumque *Prælati* leges & ſtatuta facere poſſunt juxta conſuetudines ſuas, privilegia & modum ſuæ Regulæ. Utrum autem Religioſi teneantur ſemper acceptare nova ſtatuta Reformatoria? Reſpondeo eſſe diſtinguendum, an tales reformationes ſint contra pravas conſuetudines, quæ tendunt ad diſſolutionem diciplinæ monaſticæ, violationem votorum, & ſcandalum aliorum hominum, & haud dubiè

dubiè dicendū eſt, Religioſos teneri, ac compelli poſſe ad neceſſarias iſtas reformationes acceptandas, quæ tamen primam regulam duriorem non conſtituant, *c. relatum. & ibi Gloſſ ne Clerici vel Monachi c. 1. de Regularibus in 6.* An verò reformationes fiant contra conſuetudines & mitigationes rationabiles, quæ primævum regulæ rigorem juxta patriæ & hominum naturā citra animārum periculum temperârunt, v. g. quod matutinum oretur de mane, quod liceat carnibus veſci, &c. & probabilius videtur, quod Religioſi ſimilem reformationem acceptare non teneantur, quamvis enim ſimpliciter profeſſionem fecerint ſecundùm regulam, tamen nec in noviciatu experientia, nec in profeſſione intentio fuit aliter ſe obligandi, quàm ad regulā juxta præſentem uſum rationabiliter mitigatam. neque enim perfectio religioſi hominis in maximo rigore & vitæ auſteritate conſiſtit, quam multi ſine corporis & etiam frequenter animæ ac deſperationis periculo ferre non poſſent, ſed in perfecto amore Dei, & in *declinando à malo* ac *faciendo bonū*, ad quod aſſequendū etiam in ordine mitigatore ſufficientiſſima media ſunt, & conſiderandum, quod ſæpè primi regulæ fundatores certæ nationi & terræ, ubi vixerunt, regularia ſtatuta accomodarint, quæ alibi ob diverſam terræ & hominum naturam utiliter obſervari non poſſunt. Si quis verò aliter, quàm per auſteritatem ſe minimè perfectionem conſecuturum credat, is vel rigoroſas ſui mortificationes voluntariè & pri- 24

vatim ſuſcipere, vel ſecundùm *c. licet. 18. de regularibus* etiam poſt profeſſionem ad alium ſtrictiorem Ordinem tranſire valebit.

25 *Conventibus & Capitulis Regularium ac collegiatarum Eccleſiarum ſede vacante* Jurisdictionem (ex qua poteſtas ſtatuendi deducitur) aliqui negant, aliqui tribuunt, ut inferi⁹ in tit. *Ne ſede vacante, &c.* hoc libro dicemus. ideò conſuetudo locorum præcipuè attendenda erit. Cæterùm ſi quid ab his ſtatueretur, vel mediante pacto aut juramento firmaretur, circa ſucceſſorem prælatum, ejusque revocandi poteſtatem, illa huc accomodari poſſunt, quæ ſuperiùs de ſtatutis *Capituli Cathedralis Eccleſiæ ſede vacante* tradita ſunt.

§. III.

De obligatione Legum in utroque foro.

SUMMARIA.

26 *An Legislator teneatur ſuis legibus.*
27. *Princeps tenetur ſtare ſuo pacto.* (*legibus loci.*
28. *An & quatenus peregrini & viatores teneantur*
29. *Hiſpanus an extra ſuam Patriam poſſit diebus Sabbathinis edere inteſtina animalium.*
30. *Abſens modico temp. quando habeatur pro præſente.*
31. *Peregrini probabiliter non obligantur particularibus ſtatutis.* (32. *Excipiuntur caſus aliquot.*
33 *Reſpondetur ad contraria.*
34. *An peregrini teneantur alibi legibus domeſticis.*
35. *Clerici quatenus ligentur legibus laicorum.*
36. *Lex humana quatenus obliget in conſcientia.*
37. *De Lege fundata in præſumptione.*

38. *Heres*

38. *Heres non conficiens inventarium, an in conſcientia teneatur ultra vires hereditatis.*
39. *Litterarum obligatio, de qua* in tit. Inſt. de Lit. oblig. *an procedat in conſcientia.*
40. *Leges in præſumptione fundatæ qua ratione ſint juſtæ in foro externo.*
41. Fictio & præſumptio *juris differunt, illa etiam in Conſcientia locum habet.*
42. *De Lege pœnali, quando obliget in conſcientia.*
43. *Ad pœnam incurrendam quando requiratur ſententia judicis declaratoria, & quid interſit inter ſententiam judicis condemnatoriam & declarateriam.* 44. *Pœnæ corporales quatenus obligent.*
45. *Incarceratus etiam juſtè an poſſit fugere.*
46. *Ad tributa & vectigalia an quis teneatur in conſcientia.*
47. *Leges infirmantes actus inter vivos aut ultimarum voluntatum quando procedant in foro interno.*
48. *Pacta nuda obligant in conſcientia.*
49. *Actus illicitus non ſemper eſt invalidus.*
50. *Si lex actum prohibeat, an in dubio cenſeatur etiam invalidaſſe.*
51. *Actus aliquando invalidatur civiliter tantùm.*
52. *Lex poteſt actum invalidare civiliter & naturaliter. & ibi exempla.* (*Conſcientia.*
53. *Ex S. C. Vell. & Maced. non eſt obligatio in*
54. *Potiſſima difficultas, quando irritatio fit propter omiſſas ſolennitates juris.*
55. *Lex eſt domina rerum.* (*tia agentis.*
56. *Ad actûs valorem requiritur voluntas & poten-*
57. *Illegitimas occulta impedit in conſcientia à dignitate.*

Digitized by Google

58. *Prohibitio de rebus Ecclesiæ non alienandis etiam in conscientia stringit.*

59. *Legum Civilium, quæ relicta in testamento non solenni & soluta repeti negant, vel solvi jubent, singularis interpretatio.*

60. *Relictum in testamento non solenni an possit retineri usque ad condemnationem judicis.*

61. *Solennitates actuum non fundantur in præsumptione.*

62. *Actum invalidare, & denegare actionem ex eo, differunt. Alia Summaria sub §. 4.*

26 QUæritur I. utrum Princeps vel legislator ipsemet sua lege obligetur? pro negativa est textus *in l. Princeps ff. de legibus.* ubi dicitur, *Principem legibus solutum esse*, & facit ratio, quod leges ferantur & dirigantur in subditos, non in legislatorem, *sibi enim imperare nemo potest* teste Jurisconsl. *in l. penult ff de recept. arb.* & sicut aliàs *nec par in parem*, ita nec quisquam *in se ipsum* habere jurisdictionem videtur. Econtra pro affirmativa adducitur *L. digna vox. C. de LL.* ubi Imperatores rescripserunt, *dignam esse vocem majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, & majus imperio esse, submittere legibus principatum.* Isidorus quoque *in c. justum. dist. 9. justum est*, inquit, *Principem legibus obtemperare suis, tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse eis reverentiam præbet.* & *in l. ex imperfecto testamento.* ait Paulus Juris Consl. *legata Imperatorem vindicare inverecundum est, decet enim tantam majestatem, eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur.*

In

In hac q. respondeo & dico, Princeps & Legislator simpliciter obligatur illis legibus, quæ continent Jus *divinum* aut *naturale* quia hæc Jura, cum à Deo Authore naturæ procedant, supra Principem sunt, quamvis ab eo populo proposita & declarata. Unde quia Princeps suo contra- 27
ctui vel pacto stare debeat, non eximitur per plenitudinem potestatis suæ propter consensum præstitum, qui jure naturæ servandus est, *l. 1. ff. de pactis. And. Gail. pract. obser. libro 2. obser. 55. n. 7.* Dico 2. in legibus *merè positivis* humanis, sive civilibus sive Ecclesiasticis, quædam sunt, quæ propriè tantùm ad populum feruntur & Principis sive Legislatoris personam propter ejus eminentiam, aut aliam specialem rationem non concernunt, & hæ sine dubio Principem non obligant, ut si prohibeatur populo armorum aut vestium nimis pretiosarum gestatio &c. & exemplum esse potest *in l. sancimus. C. de donationibus.* ubi prohibetur donatio *ultra quingentos solidos* sive aureos fieri sine insinuatione apud Magistratum, excipitur autem ibidem donatio à Principe facta.

Dico 3. in legibus merè positivis, quarum observatio æquè Principem decet ac populum, uti est frumenti & aliarum mercium taxatio, solemnitates actuum inter vivos & ultimarum voluntatum, jejunium ecclesiasticum, confessio annua &c. communis DD. distinctio inter vim *Coactivam & directivam*, ita ut Princeps vel alius Legislator *vi coactiva* non teneatur stare suis legibus,

gibus, cùm nemo sit, qui eum cogat, & is potestatem mutandi, vel abrogandi legem habeat, teneatur autem (nisi habeat rationabilem causam excusantem) *vi directivâ*, hoc est, non ex vi jurisdictionis propriè dictæ, quam in se ipsum nemo propriè exercet, sed ex dictamine & directione rectæ rationis, quâ se Princeps tanquam caput & membrum principale toti corpori communitatis conformat, nam teste August. *in c. quæcontra. dist. 8. turpis est omnis pars suo universo non congruens*, & ne etiam à populo facilè violentur leges, si ipse Legislator omnium primus in easdem committat. minor tamen culpa est, & sæpe cessante scandalo tantum venialis, si Legislator contra suam legem veniat, quàm si populus, quia ille tantùm ex congruentia, hic autem etiam ex obedientia ad servandas leges obligatur.

28 Quæritur 2. utrum peregrini & viatores obligentur legibus illius loci, per quem transeunt. si non ibidem intendant habitare? Si de legibus *juris divini aut naturæ* loquamur res dubio caret, quia istæ leges ubique terrarum obligant. Idem est, si loquamur de *legibus humanis* juris communis, nam & his peregrini in omnibus locis obligantur, in quibus illæ leges vigent & observantur, quia istarum legum communium subditi sunt. Imo si ponamus, aliquam legem Juris communis in Patria, sed observari in loco peregrinationis, per quem aliquis transit, tenebitur peregrinus ad hujus loci observationem, quia consuetudo contra Jus commune, cum sit odiosa, restrin-

Digitized by Google

reſtringitur ad locum, & extra eum non extenditur, ſicut ſtatutum vel aliud privilegium locale. arg. *c. 2. hoc tit. in 6.* unde licet in Hiſpania 29
moris ſit, diebus ſabbathinis comedere inteſtina animalium, ſi tamen Hiſpanus per alias Regiones tranſeat, eum ad abſtinentiam à Jure communi Eccleſiaſtico præſcriptam ſub peccato teneri cum plerisque DD. docet Navar. *in Man. Confeſſ. c. 23. n. 120. & Paulus Laym. de legibus c. 12. n. 12* Non obſtat, quòd abſens modico 30
tempore fictione Juris reputari ſoleat pro præſenti in illo loco, à quo abeſt, & conſequenter etiam illius loci privilegiis & conſuetudinibus gaudere poſſit, ſicut in contrarium argumentatur Sanch. *de matrim. libro 2. diſpu. 18. n. 7.* quia illa fictio Juris non procedit in omnibus, ſed in certis tantum caſib⁹ in jure expreſſis, ut ſi Canonici vel Beneficiati à reſidentia ſuorum beneficiorum modico tempore abſint *juxta Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 1.* aliàs etiam procederet in caſu *dicti c. 2.* & excommunicatione per ſtatutum Epiſcopi lata teneretur, qui extra Diœceſim ejus modico tempore exiſtens delinqueret: item à ſæcularibus Judicibus capi non poſſet, qui malefactor extra Eccleſiam immunitate locali gaudentem mox reverſurus exiret, quod certè contra communem doctrinam & praxim eſt. Interim licet hæc ſententia Navari & aliorum ordinariè maximè ad evitationem ſcandali tutior ſit, propter authoritatem tamen Sanch. & aliorum virorum DD. qui eum ſequuntur, non auderem ſemper

ali-

alicujus gravis peccati damnare eum, qui contrariam teneret, præſertim rationabili aliqua cauſa v. g. conſervandæ valetudinis, accedente, & remoto ſcandalo, ut ſi Germanus tempore quadrageſimæ in Italia privatim comederet ova, caſeum, & alia lacticinia, quæ prohibentur *inc. denique verſ. par autem diſt. 4.*

31 Potiſſima igitur difficultas quæſtionis noſtræ eſt de legibus & ſtatutis particularibus locorum. Reſpondeo, probabiliorem eſſe ſententiam, quam præ cæteris diligenter examinat, & ſequitur Sanch. *d. diſp* 18 q. 1. peregrinos & forenſes non obligari particularibus ſtatutis vel conſuetudinibus loci, in quo per modum hoſpitii reperiuntur. Ratio eſt: ubi deficit ordinaria jurisdictio, deficit legum obligatio, quæ jurisdictionem ſupponit, ſed in peregrinos ob brevem hoſpitii moram deficit ordinaria jurisdictio, *arg. l. heres abſens. ff. de judiciis.* ergo &c.

32 Attamen hæc regulariter procedunt, nam ab hac regula aliquot caſus excipiuntur, ut primò ſi ex transgreſſione legum loci aliis detur ſcandalum, quod tamen ſcandalum plerumque evitari poteſt, inquit Sanch. *c. l* vel transgrediendo occultè, vel admonendo adſtantes, ſe legibus loci ex communiori DD. ſententia adſtrictum non eſſe.

2. Si mora in aliquo loco ſit longior, uſus communis docet, tales peregrinos debere ſe accommodare legibus & conſuetudinibus loci præſertim in rebus ſpiritualibus, ut obſervatio-

Digitized by Google

ne festorum; jejuniorum &c. tum quod id exigat quies Reipublicæ, quæ aliàs ex diversis hominum moribus perturbatur, tum quod habitatores ad tempus longius in aliquo loco ibidem quasi domiciliũ & forum competens sortiantur.

Quantum autem tempus requiratur ad hanc obligationem DD. inter se non conveniunt, mihi videtur probabilius maximè circa leges ecclesiasticas, quod cum Navar. *in tract. de jubil. not. 32. n. 43.* docet Laym. *d. l. n* 1. sufficere, quod aliquis non merè tanquam Viator mox pertransiens in loco sit, sed ibidem certo permanendi proposito etiam ad breve tempus aliquot v. g. septimanarum aut mensium alicujus negotiationis causâ habitationem aliquam fixerit vel conduxerit *d. l. heres absens. §. proinde ff de judiciis*, & tunc statim prima die qua cum hoc proposito habitationem sibi constituit tenebitur, nam sicut ad *verum*, ita etiam ad *quasi* domicilium constituendum & sequentem obligationem ac fori competentiam inducendam nullius certi temporis lapsus, sed *animus* tantùm habitandi & *factum* ipsum habitationis inchoatæ requiritur, ut ex *ex l. domicilium 20 ff. ad municipalem.* in materia *de foro compet* tradidimus.

3. Contractuum aliorumque actuum solemnitates etiam à forensibus instituendæ regulantur secundum leges loci ubi celebrantur, *l. si fundus. ff. de evictionibus. l. 2. quemadm. testam. aper. l. 1. C. de emancip. liber.*

4. Ob bonum publicum & ad evitandum damnum

mnum po ſunt viatores certis legibus conſtringi v. g. ut ſolvant vectigalia, ne frumentum aut arma vel armorum materiam extrahant, ne ultra triduum in loco commorentur &c. hæc exceptio paſſim quidem à DD. traditur, ſed quare vel quomodo in hoc caſu jurisdictio in viatores detur, non aſſignant. forſan iſta ratio non incongruè ſtatui poteſt, quòd Jure naturæ & gentium teneatur aliquis evitare alterius damnum, & qui ſentit commodum tranſitus, ſentire etiam debet onus legum pro bono publico introductarum, item quia tranſitus non aliter à Magiſtratu conceditur, quam ſub conditione obſervandarum talium legum, hinc qui tranſire volunt ipſo facto in ſe prorogant, & agnoſcunt Magiſtratus Jurisdictionem *arg. l. 1. ff de juvenis.* accedit etiam conſuetudo locorum, quæ dare poteſt in multis caſibus Jurisdictionem, *dicti de arbitris.*

Quintam exceptionem aliqui addunt in *vagis hominibus* nullum certum domicilium habentibus, ſed hos non improbabiliter excuſat Leſſ. *libro 4. c. 2. n. 49* ex eadem ratione, qua alios peregrinos, quòd ſcilicet non ſint propriè ſubditi illius loci, quem tranſeunt, & non ſit in eos Jurisdictio niſi ex cauſa *delicti* vel *debiti* propter quod ubique in Jus trahi poſſunt ob publicam utilitatem, ne à delicto impunes, vel à ſolutione immunes evadant.

33 Porrò contra datam reſponſionem ad principalem quæſtionem, contrariæ ſententiæ authores, quibus abſolutè placet, peregrinos omnibus legibus

legibus loci adſtringi, plura argumenta opponunt, quæ Sanch. *diſp.* 18. *n.* 4. adducit & *n.* 16. reſolvit, ex quibus duo tantùm principaliora referam: Primum eſt *ex c. illæ. diſt.* 12. ibi, *cum Romam venio ſabbathum jejuno, cum Mediolani ſum, non jejuno, ſic & tu ad quamcunque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva.* Reſpondetur hunc textum in primis eſſe SS. Patrum Auguſt. & Ambroſij, quorum authoritas magna quidem eſt, ſed non ſemper *deciſiva*, ut dixi *in proœmio* & textus eſt notabilis *in c.* 5. *diſt.* 9. vel poſſe explicari, ut contineat conſilium non præceptum, quatenus ſcilicet utiliter tanquam opus bonum ſuaderi poteſt hominibus ut ſecundum particulares loci uſus feſtum aut jejunium obſervent, non imperari: vel intelligi de caſu conjuncto cum ſcandalo, vel quo aliquis moram longiorem in aliquo loco trahit.

Secundum argumentum ſumitur ab inſtantia, quod nimirum peregrinus Sacerdos, ſi veniat ad locum interdictum, non poſſit ibidem divina celebrare, aut mortuus ſepeliri; ergo ſequitur, quod leges loci obligent etiam peregrinos. Reſpondeo negando conſequens, quia antecedens non provenit ex directa obligatione interdicti reſpectu peregrinorum, ſed ex incapacitate ipſius loci, qui tali interdicto directè affectus eſt, quà de cauſa ne quidem infantes vel amentes (qui tamen interdicti & cenſuræ incapaces ſunt) in loco interdicto ſepeliri poſſunt teſte *Cov. in c. Alma mater. de ſent. excom.*

in 6. p. 2. §. 4. n. 6. reliqua argumenta pleraque diſſolvuntur per exceptiones ſupra poſitas, ut de illis caſibus exceptis explicentur.

Quæritur 3. an peregrini teneantur legibus
34 domeſticis ſuæ Patriæ quamdiu in externis locis verſantur? Reſpondeo negativè, quia ſtatuta particularia etiam reſpectu ſubditorum non extenduntur ultra territorium ſtatuentis *c. 2. hoc tit. in 6. l fin. de jurisd.* quare non peccabit, qui feſtum aut jejunium in ſua Patria ab Epiſcopo ſtatutum alibi non ſervat, ubi feſtum aut jejunium ſecundum jus commune non eſt, nec incurret cenſuram Epiſcopi per ſtatutum latam qui extra Diœceſim delinquit. Dico ſi cenſura *per ſtatutum* lata ſit, nam ſpecialiter *per ſententiam* in perſonam lata ſubditum etiam extra territorium ſtringit, ut in titulo, de ſententia excommunicationis explicavi. Exceptio eſt, niſi ſtatuti transgreſſio vergat in detrimentum vel injuriam loci. v. g. ſi ſtatutum ſit, ne quis verba injurioſa contra Prinicipem vel Magiſtratum ſub certa pœna loquatur, &c. *arg. l. ult. ff de decret. ab ord. faciend.* qua ratione etiam ſtatutum, quod Clerici abſentes certo anni tempore ad ſynodum vel Eccleſiam comparare debeant, ſuſtinetur. *c. ex tua, de Clericis non reſid.* cum enim quilibet civis & incola naturali quadam æquitate teneatur defendere commodum ſuæ Patriæ, honorem ſui Magiſtratus, hinc eſt, quod ad eum finem legibus rectè conſtringi valeat, tametſi extra Patriam exiſtat.

Sed

Sed quid si jus commune in Patria observetur in loco autem transitus contrariâ consuetudine abrogatum sit? etiam hoc casu peregrinum, quamdiu in tali loco vivit, non teneri ad observationem juris, cum aliis tradit Sanch. *d. disputat.* 18. *n.* 118. *& seq.* & Suar. *libro* 2. *de festis c.* 15. *in fine*, eo quod hoc sit quasi privilegium *locale*, quo gaudent etiam advenæ & peregrini, & quilibet possit (quamvis non semper teneatur) se consuetudini locorum accomodare. unde inferunt, Germanum v. g. transeuntem per Hispaniam posse die sabbathi intestina comedere.

Quæritur 4. an & quatenus Clerici legibus vel 35
statutis sæcularium Magistratuum obligentur? Respondeo regulare esse, quod sæculares Magistratus suis legibus directè obligandi clericos & personas Ecclesiasticas, vel ipsas Ecclesias potestatem non habeant. *c. Ecclesia* 10 *hoc tit.* propter defectum Jurisdictionis, à qua Clericos jure divino exemptos esse sæpius alibi probavimus. *c. nimis de jurejur. c. quamquam. de censibus. in* 6 præsertim si in specie & nominatim de Clericis disponat, quamvis in eorum favorem v. g. ne alienatio rerum Ecclesiasticarum valeat, &c. *d. c. Ecclesia.* nisi dispositio esset in *merum* favorem vel privilegium sine omni obligationis aut præcepti onere annexo v. g. ut Ecclesia gaudeat quadragenaria præscriptione, vel alia immunitate, &c. Idque ex veriori DD. sententia extenditur, ut ne quidem circa bona patrimonialia *allodialia* (secus est de *feudalibus*, quæ non absolutè

lutè, ſed ſub certis reſervationibus & ſalvo Jure feudali in Clericos tranſeunt. *c. ex transmiſſa. de foro comp.* ſtatutis Laicorum Clerici ſubjaceant. tum quod exemplo & argumento ducto à Levitis Veteris Teſtamenti *Exodi* 30. *& Num.* 18. Clerici non tantùm in perſonis, ſed etiam rebus ſuis exempti ſint *d. c. quamquam. & c. ultimo. ubi Gloſſ. notabilis in verbo ſuis facultatibus de vita & honeſtat. Cleric* tum etiam quod lex civilis non poſſit aliquid ſtatuere in bona, niſi obligando ſimul perſonas ad ejuſmodi ſtatuti obſervationem, ſed perſonæ Clericorum à ſæcularibus obligari non poſſunt, ergo nec bona. quæ amplius confirmantur ex vulgatis juris regulis, quod *acceſſorium ſequatur ſuum principale*, quod *quæ Religioſis adhærent, religioſa cenſeantur*, quod *de connexis idem ſit judicium*, &c. Non obſt, quod aliqua ſint privilegia Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum bonorum, quæ bonis patrimonialibus Clericorum non competunt, uti quadragenaria præſcriptio, reſtitutio in integrum, & ſimilia: non enim eſt bona conſequentia, ſi privilegium unum ſcilicet exemtionis eſt communicatum bonis patrimonialibus Clericorum, ergò omnia debent eſſe communicata: aut econtra, ſi aliqua non ſunt communicata, ergò nullum eſt communicatum: à particularibus namque ad univerſale regulariter non eſt bona illatio. ſanè licet Clerici quoad ſuas perſonas indubiè exempti ſint, ſicut Eccleſiæ, non tamen ſequitur, quod Eccleſiarum inſtar habeant Privilegium immu-

immunitatis localis, ut maleficos ad se confugientes semper protegere possint, quod majorennes in judicio, vel contractu læsi in integrum restituantur.

Dixi autem Clericos regulariter & *directè* non obligari sæcularibus legibus : obligantur tamen *indirectè* communibus legibus Reipublicæ, in qua ipsi etiam tanquam membra & concives censentur, in quantum tales leges non repugnant SS. Canonibus, aut immunitati Ecclesiasticæ, quales sunt Leges contractuum, taxatio mercium, restitutio ex causa læsionis sive delicti, &c. est tamen hæc obligatio non ex radice sæcularis Jurisdictionis, sed solùm secundùm vim directivam, quatenus tales leges in æquitate naturali fundatæ sunt, & congruentia est, ut ad communem pacem in Republica servandam omnes inibi degentes communibus legibus utantur, item quia leges & constitutiones Principum sæcularium in defectu Canonum generaliter à summis Pontificibus recipiuntur in *c. 1. de novi oper. nunciat.* Unde etiam secundùm vim *coactivam* Clerici à Magistratibus sæcularibus ad observationem legum sæcularium constringi, aut ob transgressionem puniri non possunt ; hoc enim esset in eos directam Jurisdictionem exercere. Imò etiam leges, qua pœnam aliquam continent, & irritant testamenta, contractus, vel reddunt homines inhabiles ad contrahendū vel testandum ob admissum crimen, non obligare Clericos, eo quod contineant vim *coactivam*,

Digitized by Google

cum communi docet Navar. *de constitut. consilio 43. n. 5. nisi à Jure Can recepta sint.*

Quæritur 5: An & quando leges humanæ sive Ecclesiasticæ sive civiles obligent in conscientia? Respondeo sicut subditi tenentur in conscientia obedire suis superioribus & Magistratibus tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis justa præcipientibus, ita etiam leges Ecclesiasticæ & sæculares, si sint justæ in foro & externo regulariter sunt etiam justæ in foro interno sive conscientiæ, *Omnis anima*, inquit Paulus *ad Roman. 13 sublimioribus potestatibus subdita sit, non est enim potestas* nisi à DEO, *itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et Paulò inferius: *Judex Dei Minister est, vindex in iram ei, qui malè agit, ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et S. Petrus *in Epist. 1. c. 2 subjecti igitur estote*, ait, *sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquã ab eo missis ad vindictã malefactorum laudem verò bonorũ, quia sic est voluntas Dei, &c.*

36

Videtur quidem circa leges civiles in contrarium obstare, quod leges sicut alii actus non agant ultra Legislatorum & agentium intentionem, arg. *c. ult de præbendis. & l. non omnis. ff. si certum petatur*, sæcularium autem Legislatorum intentio non sit, ferre leges in ordine ad conscientiam, sed tantùm ad externũ statum politicum.

Responderi tamen potest licet leges sæculares non semper obligent ex intentione Legislatoris secundi in conscientia, qui est Magistratus sæcularis,

Digitized by Google

cularis, obligent tamen ex intentione & voluntate Legislatoris primi, qui est Deus, secundum allegata Scripturæ loca, hinc S. Thomas 1. 2. q. 96, a. 4. ait; leges hominum justas habere vim obligandi in conscientia à lege æterna DEI, à quâ mediante derivantur.

Verùm ab hac recepta sententia, quod leges 37
justæ in foro externo sint etiam justæ in foro interno *duæ* communiter statuuntur *exceptiones*; prima est, *si lex sit fundata in præsumptione*, tunc enim non aliter obligat in conscientia: quam si id, quod lex præsumit, in rei veritate subsit v. g. *in Novel 1. c. 2.* heres non conficiens inventarium tenetur creditoribus ultra vires hereditatis etiam emergentia debita solvere, quamvis tot & tanta bona in hereditate non invenerit, quia præsumptio Juris est, quod cum non confecerit inventarium, clam aliqua bona de hereditate subtraxerit, ut ex textu *dicti c. 2.* non obscurè colligitur, ibi in principio, *& non per ea, quæ fortè surripiunt, aut malignantur, &c.* item in §. 2. *dabit eis pœnam exactio suæ malignitatis, &c.* propterea si revera heres non conficiens inventarium nihil in hereditate *surripuerit aut malignatus* fuerit, ex communiori DD. sententia ultra vires hereditatis in conscientia non obligatur. Li- 38
cet verò aliqui existiment constitutionem Novel. fundari potius *in quasi contractu* aditæ hereditatis, quòd heres adeundo hereditatem censeatur tacitè promittere creditoribus omnibus satisfactionem, & consequenter ex hac

Digitized by Google

promiſſione in conſcientia obligetur, prius tamen quod de præſumptione fraudis dictum probabilius videtur; eo quod omnis quaſi contractus ſupponat intentionem ſe obligandi ad naturalem æquitatem, nemo autem in dubio cenſeri poſſit ſe velle obligare cum tam gravi ſuo damno, nec æquitas naturalis id ſuadeat. creditores quoque multum conqueri haud poſſunt, quia ſi confectum fuiſſet inventarium, ipſi non plus quam in hereditate repertum, accepiſ-
39 ſent. Similiter, ut innumera alia prætereamus, quorum aliqua *ex lib. 2. decretal. ex titulo de præſump.* deſumi poſſunt, familiare exemplum eſt ex §. 1. *Inſtit. de litter. oblig.* ubi relinquens chirographum ſuum, in quo ſe debitorem fatetur, per integrum bienium apud creditorem non acceptâ pecuniâ, poſteà in foro externo ſimpliciter ad ſolvendum condemnatur, nec amplius cum exceptione *non numeratæ pecuniæ* auditur. Quia tamen hæc obligatio, quæ ex *ſolemnitate litterarum* oritur, non habet æquitatem naturalem nec conſenſum, niſi ſub tacita conditione, ſi pecunia numerata fuerit, & in foro externo præſumptio ſit, numeratam fuiſſe, quòd aliàs tanto tempore debitor litteras ſuas apud creditorem non reliquiſſet, ideo ſi veritas hujus præſumptionis à parte rei non ſubſit, & debitor nihil acceperit, in conſcientia quoque ad nihil reſtituendum tenebitur.

40 Non tamen idcirco ejusmodi Leges in præſumptione fundatæ in foro externo tanquam iniquæ

iniquæ reprobandæ sunt, quia licet in uno vel altero particulari casu ob defectum veritatis præsumptæ materialiter injustæ esse possint, formaliter tamen & in genere regulariter justæ sunt. nam ad tollendum aliquod malum vel procurandum bonum in Republica (v.g. ut in exemplis propositis heredibus malignandi & debitoribus debita injustè negandi occasio subtrahatur) leges rectè ob defectum vel difficultatem aliarum probationum in præsumptione se fundare possunt, quia & præsumptio probationis species est.

Præterea etiam hic advertendum, quod ea, 41
quæ de *præsumptione* Juris dicimus, non sint pariter de *fictione juris* accipienda: nam *præsumptio* supponit veritatem, *fictio* autem etiam cognitâ falsitate aliquid certum statuit, ut propterea lex in *fictione* fundata si de cætero manifestè injusta non sit, etiam in conscientia locum habeat. Ita Canonicus & alius Clericus de Jure communi ex legitima causa à suo beneficio absens, qui fictione Juris pro præsente habetur, optimâ conscientia tanquam præsens fructus sui beneficii lucratur, ita ratihabitio etiam quo ad effectus fori interni *fictione Juris* retrotrahitur, & mandato æquiparatur *c.* 10. *de regulis juris in 6.* si v. g. procurator Titii sine mandato ejus fundum aliquem vendiderit, quam venditionem Titius primum post annum vel biennium ratam habeat, emptor non tantum à die ratihabitionis, sed primæ emptionis fructus ex tali fundo perceptos in conscientia etiam suos faciet.

42 Altera exceptio est, quod *lex merè pœnalis* ante Judicis sententiam non obliget in conscientia, post sententiam verò latam obliget ad non resistendum, & suscipiendam pœnam. cum enim lex debeat moribus & naturæ hominum esse congrua, plerumque non foret rationabile, ut Legislator aliquem obligaret, ut sui ipsius esset accusator, reus, Judex & executor, quod naturæ admodum grave, & contrarium existeret.

Sed ad hujus exceptionis plenum intellectum sciendum est, leges pœnales alias esse *merè & purè* pœnales, alias verò *mixtas*: Lex purè pœnalis est, quando legislator non intendit ad culpam vel reatum in conscientia obligare, sed tantùm ad pœnam, quod ordinariè contingit circa tales actus, qui absolutè non contrariantur juri divino aut naturali, sunt tamen contra bonos mores politicos, & eorum intermissio confert ad Reipublicæ statum tranquillum & pacatum conservandum. v. g. ne quis noctu sine lumine ambulet, certum vestium ornatum portet &c. sicut etiam in Religiosorum Ordinum statutis quædam censentur *merè pœnalia*, quæ ad peccatum grave non obligant (neque enim consultum, imò nec semper justum aut validum est, ut in materia leviori Prælati conscientias suorum sub gravi culpa onerent) sed tantùm ad pœnam ob meliorem disciplinæ monasticæ conservationem v. g. ne Religiosi certo tempore loquantur, opus quamvis honestum sibi tamen eo tempore non concessum faciant &c. Dices, quomodo in hujus-

hujusmodi actibus vel legibus potest statui pœna, si nulla sit culpa aut peccatum, cum tamen pœna describatur esse noxæ delictorum & peccatorum vindicta ac coercitio *in l. aliud 131. in principio & § 1. ff. de verb. signif.* Respondetur, hic quidem non intervenire culpam vel peccatum, quod significet defectum coram Deo culpabilem, intervenire tamen culpam & peccatum significans defectum in genere moris & contra laudabilem Reipublicæ ordinationem. Aliquando verò etiam accidere potest, ut transgressio legis pœnalis inducat verum peccatum coram Deo si scilicet fiat ex contumacia & contemptu Magistratus cum aliorum scandalo vel perturbatione in Republica.

Aliæ sunt leges *pœnales mixtæ*, quando aliquid prohibetur sub culpa, & pœna; quod ut plurimùm accidit in illis delictis, quæ juri divino aut naturali adversantur, ut in furto, homicidio, & similibus. in his porrò duplex est obligatio, una ad culpam etiam in conscientia, altera ad pœnam, quæ regulariter ante Judicis & juris sententiam non obligat in conscientia, neque tenetur aliquis sui ipsius esse accusator, Judex & executor; dico autem *regulariter*, nam aliquæ pœnæ sunt, quæ ipso jure, & ipso facto admissi criminis incurruntur, & ista si aliam executionem externam non requirant, statim, ut factum illud cui talis pœna ipso Jure annexa est committitur, in conscientia locum habent, uti sunt censuræ ecclesiasticæ & irregularitates, quæ ipso facto

facto incurruntur, inhabilitas vel impedimentum ad electionem activam vel passivam, ad
43 contrahendum matrimonium &c. Si verò pœnæ ipso Jure illatæ etiam externam aliquam executionem requirant veluti amissio dominii, confiscatio bonorum juxta *c. cum secundum leges. 19. de hæret. in 6* privatio beneficii aut fructuum beneficialium &c. tunc ad obligatonem in conscientia producendam sententia Judicis *declaratoria* requiritur, ut rectè docet Sanch. *libro 2. moralium c. 6. num.* 11. nisi lex in specie addat clausulam: *alia etiam declaratione non secuta*, ut in Concilio Trid. *Sess. 23. c. 1. versiculo si quis autem:* ibi *eum* (scilicet Episcopum vel Curatum non residentem legitimo tempore.) *pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere nec tutâ conscientiâ, alia etiam declaratione non secuta retinere posse.* Ex quo textu bonum argumentum desumitur, quod sicut aliàs *exceptio firmat regulam in casibus non exceptis*, ita etiam hic exceptio specialis & insolita clausula, *alia declaratione non secuta*, circa hunc casum arguit & confirmat, quod aliàs ad pœnas etiam ipso jure inflictas in conscientia præstandas sententia *declaratoria* requiratur. Si quæras, quæ sit ergo in effectu differentia, an per sententiam Judicis *condemnatoriam*, vel an per *declaratoriam* inferatur pœna? ne gratis alia pœna per Judicem alia per ipsam legem imponatur? R. hanc esse differentiam, quod pœna illata per sententiam Judicis debeatur primum à die sententiæ, pœna autem illata à Jure & postea per sententiam

tiam declarata debeatur non tantum à die declarationis, ſed retro à die commiſſi criminis ipſo jure pænam annexam habentis. ſed ais, ergo ſaltem fruſtraneum eſt illud Jus retinendi pænam v. g. fructus beneficiales ipſo Jure amiſſos in conſcientia, ſi poſt declarationem omnes etiam retro percepti reſtitui debent? R. quòd illud Jus retinendi in conſcientia hoc operetur, quod res aut fructus ipſo Jure amiſſi non extantes, ſed interim conſumpti ſive eorum æſtimatio aut pretium, ſi exinde poſſeſſor tempore declarationis non ſit locupletior effectus, in reſtitutionem non veniant, ſicut de confiſcatione bonorum ipſo Jure ſtatuta ob crimen hæreſis vel aliud tradit Syl. *verbo hared.* 1. *n.* 13. *verſ pro his tamen.*

Quod ſi pæna mortis aut mutilationis vel alia 44
corporis afflictiva ſtatuta ſit, non poteſt quidem reus obligari, ut directè tales pænas exequatur v. g. ut venenum bibat, famis inediâ ſe ipſum conficiat &c. quia talis obligatio utpote naturæ ſui conſervativæ valde contraria cenſeretur moraliter impoſſibilis, tenetur tamen poſt ſententiam latam non reſiſtere executioni, & debet etiam indirectè cooperari, quatenus eſt neceſſarium ad executionem faciendam v. g. ſcalas aſcendere, collum præbere &c. non eſſet tamen gravis peccati arguendus, qui potius naturali mortis aut ſupplicii horrore, quàm ex contemptu Magiſtratus executioni minus promptè obſequeretur. Imò etiam fugientem ex carcere 45
decli-

Digitized by Google

declinandi gravis ſupplicii cauſa quamvis juſtè incarceratum quàm plurimi DD. à peccato excuſant, nimis enim durum videtur obligare homines in conſcientia, ut media ſalvandi vitam ſuam, quæ Juri divino non repugnant, intermittant; licet per accidens cuſtodes carcerum damnificarentur, tum quod id eorum culpâ eveniret, tum etiam quod utens Jure ſuo non cenſeatur alicui injuriam vel injuſticiam facere. *l. nullus videtur ff. de regulis juris*, qua de re videri poterit Paulus Lay. *de legibus c. 15. n. 7.* & alii apud eum citati.

46 Quæritur 6. an leges tributorum & vectigalium, quæ à Dominis Territoriorum imponuntur, obligent in conſcientia? Non deſunt apud Cov. *in relect. c. peccatum de regulis juris in 6. p. 2. §. 5* qui ſimpliciter negent, tales leges in conſcientia obligare, adeoque vectigalium & tributorum defraudatores in foro interno tutos eſſe, & tantùm in foro externo ſi deprehendantur pœnâ commiſſi, vel confiſcationis mulctari poſſe. Fundamentum eſt eorum, quòd omnes leges humanæ habentes aliquam pœnam annexam non obligent in conſcientia, cum Legislator annectens pœnam videatur non intendere ad culpam & reatum conſcientiæ obligare, ſed ſolâ pœnâ contentus eſſe. Verum contraria ſententia quam tenet. Cov. c. l. n. 5. & P. Lay. in Theol. mor. *l. 3. tract. 3. p. 1. c. 3. n. 5. & alii communiter.* probabilior & tutior eſt, quod nimirum leges tributorum & vectigalium ſi juſtæ ſint, hoc eſt, ſi

latæ

latæ ab habente authoritatem, si ex justa causa & secundum quantitatem communem non iniquam, obligent in conscientia non tantùm ad solvendum, sed etiam ad non solutum seu defraudatum restituendum. ratio est, quia lex vectigalium & tributorum fundatur in justitia commutativa, ex qua Principi vel Magistratui pro sua sustentatione debetur compensatio, & reditus annuus propter onera publica & curam regiminis publici, ab iis quorum gratia sustinetur. Id quod valde efficaciter confirmatur ex sententia Christi de tributo à Judæis interrogati *Matthæi 22. reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, item ex verbis Apostoli *ad Rom. 13. necessitate subditi estote etiam propter conscientiam, ideò enim* (nota connexionem cum eo quod dixit de conscientia) *& tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal &c.* Non obstat ratio in contrarium allata, quia illud fundamentum ita generaliter positum communiter à DD. rejicitur, præsertim circa leges, quæ ex æquitate naturali aut justitiâ commutativa procedunt, cum in similibus additio pœnæ principalem obligationem & præceptum non infirmet, sed potius ejus gravitatem arguat, & declaret, mentem Legislatoris fuisse sub gravi culpa adstringere. Licet interim ipsa pœna in conscientia ante Judicis sententiam non obliget, & quamvis in conscientia sit obligatio solvendi tributum, non tamen tenetur defraudans, antequam condemne-

demnetur, bona ſua proprio motu in commiſſum dare, vel pœnam ſtatutam exſolvere.

Addunt verò præcitati DD. & cum illis Syl. *verbo gabella* 3. *n.* 17. ſi vectigal vel tributum communi famâ vel perſuaſione populi reputetur iniquum, aut ſub prætextu ſuſtentationis congruæ vel alterius neceſſitatis impoſitum in uſus non neceſſarios ad nutriendam pompam ſuperfluam vel avaritiam cederet, non oriri conſcientiæ obligationem. Quòd ſi conſideratis omnibus dubitetur de juſtitia tributi aut vectigalis, maximè ſi fuerit noviter impoſitum, & non antiqua conſuetudine introductum, monet *Syl. d. l. n.* 29. *& Mol tomo* 3. *diſp* 674. *n.* 7. *&* 9. ut confeſſarii ante factum inclinent populum ad ſolutionem faciendam, ne ſe periculo injuſtitiæ erga Principem exponant, ſicut & aliàs in dubio ad obedientiam & reverentiam Principi præſtandam inducendus eſt populus: poſt factum autem nec ſemper gravis peccati arguant, nec cogant reſtituere, quia in dubio melior eſſe poteſt poſſidentis conditio. Minor plerumque videtur difficultas facienda cum forenſibus & externis: quibus ob ſolum tranſitum per aliquem locum vectigalia ac pedagia imponuntur; his enim minor eſt obligatio conſervandi alienum Principem, quam ſubditis ſuum proprium, niſi in quantum cura alieni Principis etiam in iſtorum commodum redundat, videlicet ex reparatione viarum, pontium, ſecuritate itinerum, vel quod in tali loco tutò merces emi & evehi poſſint,

sint, *Syl. d. l. n.* 18. ubi etiam *n. seq.* resolvit, eos, qui exigunt vectigalia à transeuntibus teneri ad satisfactionem, si per suam negligentiam itinera & loca sui Territorii minus tuta conservarint, & exinde transeuntibus damnum evenerit. & generaliter communis est sententia imponentem nova atque injusta tributa ac vectigalia ad restitutionem, vel aliam æquivalentem compensationem teneri. Qua de re plura apud prænominatos authores videri poterunt.

Quæritur 7. an leges infirmantes contractus 47
vel testamenta, aut alias defunctorum ultimas voluntates propter omissam solennitatem, vel aliam causam, etiam locum habeant in foro interno, ut ex tali contractu vel testamento infirmato nihil in conscientia debeatur, aut retineri possit?

In celebri controversia DD. tam Theologi quam Jurisperiti in diversas sententias abierunt. oportet autem prænotare in quo conveniant, & in quo dissentiant, ut status quæstionis & difficultas accuratius percipiatur.

Conveniunt igitur primo, si contractus vel 48
alius actus Jure naturæ aut gentium valeat, eundem verò lex civilis seu positiva non approbet quidem, sed nec improbet, quod tunc non detur actio in foro externo ad multitudinem litium evitandam, sit tamen naturalis obligatio etiam in conscientia stringens, & in foro externo exceptionem pariens, eo quòd Jure naturæ talis actus vel pactum subsistat, prout circa pacta nu-

da concorditer tradunt interpretes ad *tit. de obligat. & ad tit. decret. de pactis.*

49 Conveniunt 2. quod aliquando lex expresse prohibeat contractum vel alium actum celebrari, celebratum tamen non irritet, & annullet, adeóque faciat quidem *illicitum*, sed non *invalidum*, cujus propterea observatio etiam in conscientia obliget, quod patet ex *c. ad Apostolicam: de Regularibus.* ubi dicitur, *quod multa fieri prohibeantur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem.* sicut ibidem deciditur, quod professio religiosa non debeat fieri ante annum probationis expletum, facta tamen valeat, & sustineatur. Quod ante Concilium Trid. ita obtinuit in eodem verò Concilio *sess. 25. de regular. c. 15* omnis professio facta ante annum 16. ætatis, vel unum probationis expletum non tantum prohibita, sed etiam annullata est. Sic matrimonium contractum non præmissis in Ecclesia denuntiationibus, vel in fraudem priorum sponsalium de futuro, vel cum voto simplici castitatis, aut alio impedimento impediente, illicitum est & peccaminosum, non verò invalidum. pro ut in Man. paroch. *p. 3. c. 5* explicavi.

50 Imò communiter receptum est, quod in dubio, quando ex verbis aut circumstantiis aliter de mente Legislatoris non apparet, leges *prohibitoriæ* ita exponi possint, ut actum solummodo *prohibeant*, non *invalidum* reddant, si de cætero Juri naturæ aut bonis moribus non repugnet, *teste Suar. libro. 5. de legibus c. 25. & 29. per notata*

margi-

marginalia ad Gloss. in l. 6. C. de pactis. n. 2. tum argumento *d. c ad Apostolicam*, tum etiam ob vulgata Juris axiomata, quod abrogatio Juris communis & præsertim naturalis sit strictè interpretanda, neque in dubio inducenda, quod infirmatio contractus sit odiosa, & præjudicans: in similibus autem, ubi Jura non sunt clara, quod *minimum* hoc est, *minoris præjudicii, vel minoris pœnæ* sit tenendum *per regulam* 30. & 49. *de regulis juris in* 6. Verum huic sententiæ obstat textus valde clarus *in l. non dubium C. de legibus.* ubi Imperator expresse rescribit: ea, quæ *lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam haberi, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Idque confirmatur *ex l. 6. C. de pactis. ex c. imperiali causa. 13. q. 2. ex c. quæ contra. 64. de regulis juris in 6.* in quibus locis simpliciter asseritur; *quæ contra legis prohibitionem fiunt, inutilia, infecta, & sine viribus æstimanda esse.* quare ego magis credo Juri conformem doctrinam *Gloss.* & Hen. Can. *in dicto c. quæ contra, de reg. jur. in 6.* quod regulariter actus contra juris prohibitionem celebratus etiam invalidus sit, nisi speciali aliquo Jure sustineatur, vel ex circumstantiis, aliisve conjecturis colligi possit, mentem Legislatoris fuisse, actum solummodo prohibere, non irritare, ut in exemplis superius adductis. Ad rationes in contrarium facilius est respondere, quam ad textus Juris claros pro hac parte allegatos, nam quod dicitur *in c. ad apostolicam*, obti-

net in casibus in quibus habetur Juris decisio, vel de mente Legislatoris præsumptio. alia verò Juris axiomata possunt intelligi, quando dubitatur, an certus aliquis contractus propter particulares circumstantias in specie cadat sub Juris prohibitionem, si autem constet, esse prohibitum, jam propter *cit. legem. non dubium. cum concordantibus.* non videtur amplius esse dubitandum, de ejus invaliditate.

51 Conveniunt 3. quod lex humana possit invalidare actum *civiliter* tantùm, denegando actionem, vel concedendo rescissionem ejus per officium Judicis manente interim *naturali obligatione*, usque dum actus in foro externo rescindatur. veluti si minor tutore authore hereditatem lucrosam repudiârit, aut damnosam adiêrit, & postea restitutionem in integrum postulet. *l. 1. & seq. C. si tutor vel curat interven.* si v. g. prohibeatur, sub certa pœna venditio frumenti aut aliarum mercium extra territorium &c. in similibus casibus is, qui accepit rem alienam retinere potest usque dum à Judice revocetur. dummodo contra justitiam commutativam ob defraudationem justi pretii, vel metum illatum nihil peccatum sit, tunc enim in foro interno etiam ante sententiam Judicis restitutio facienda est, & quidem ex sententiâ Sanch. *de matrim. lib. 4. disp. 9. n. 4* tametsi metus fuerit levior, qui in foro externo non meretur restitutionem, modo fuerit causa, *sine qua non* fuisset contractum. Ille verò, qui promisit, & necdum tradidit nec in foro externo,

terno, nec in interno obligatur; est enim illa naturalis obligatio propter justam prohibitionem fori externi inefficax, & etiam in foro interno parit justam exceptionem contra adversarii petitionem, sicut regulariter, cui competit actio ad dati repetitionem, vel contractus rescissionem, eidem multò magis datur exceptio ad retinendum. *l. nihil interest. & l. invitus* §. 1. *ff de regulis juris.* & dolo petitur, quod mox restitui debet *l. dolo. ff. de doli mali & metus exceptione.*

Conveniunt 4. quod lex humana possit actum 52
aliquem Jure naturæ vel gentium subsistentem ita annullare, ut nulla prorsus nec naturalis, nec civilis sive in foro externo sive interno obligatio inde nascatur, imò nec tutâ conscientiâ in tali actu persisti, aut aliquid exinde retineri possit. ita Concilium Trid. annullavit contractum matrimonii sine Parocho & testibus celebratum. ita lex civilis irritat contractum à pupillo infantiæ proximo sine authoritate Tutoris initum. *l. quod pupillus.* 41. *ff. de condict. indeb. l. pupill.* 59. *& ibi Gothof. ff de oblig. & act.* etenim Jus naturæ in genere quidem producit obligationem ex consensu, non simpliciter, sed quatenus consensus est *justus*, in quibus autem particularibus casibus consensus justus vel injustus sit, lex humana declarare & decidere potest. hucque referri 53
potest privilegium *SC. Vellejani* fœminis concessum, ne pro aliis efficaciter intercedere seu fidejubere valeant. Item constitutio *SC. Macedoniani*, ex qua filiusfam. non tenetur reddere Mu-

tuum acceptum, nisi cum consensu patris acceptum, vel in rem seu utilitatem ejus, aut sumptus aliàs à patre suppeditandos versum sit. *Molina de I. & I. tom. 2. Disp. 30. n. 2, Bess. lib. 2. c. 20.*

54 Sed jam in quinto magna est dissensio, quando lex humana præscribit certam formam actui v. g. electioni, alienationi rei ecclesiasticæ, testamentis aut codicillis &c. quâ formâ non servata actus in foro externo invalidus reputatur, utrum in tali casu ob omissam formam actus non tantum *civiliter* sed etiam *naturaliter* annullatus sit, ut nec in foro interno ullum effectum habeat, ut qui v. g. ex non solemni electione dignitatem, ex mala alienatione rem ecclesiasticam, ex imperfecto testamento hereditatem vel legatum consecutus est, ne quidem in conscientia retinere possit?

Sanè Fachin. *lib. 4. controv. cap. 5.* acriter contendit, solemnitates testamentorum nullam vim habere in foro interno, si constet de voluntate defuncti, adeoque institutum vel legatarium in testamento non solemni in conscientia tutum esse, imò heredem ab intestato in conscientiâ obligari, ut sequatur voluntatem defuncti, quamvis deficiat Juris positivi solemnitas. Argumentum est, quòd ex voluntate defuncti etiam *non solemni*, dummodo ex sana & deliberata mente procedente jure naturæ, & ex naturali obligatione debeatur id, quod defunctus voluit, licet in foro externo pro eo consequendo actio non detur. id quod non leviter hoc modo proba-

probatur, ubi solutum repeti non potest, ibi saltem naturalis est obligatio, ubi enim nulla prorsus solvendi est obligatio, quocunque errore solutum repeti potest. *l. quod indebitum. & l. quod pupillus ff. de cond. indeb.* sed relicta in testamento non solemni, & soluta repeti non possunt *l. 2. C. de fideicommissis. l non dubium C. de testamentis.* ergo naturali obligatione debentur. Eandem opinionem alio fundamento adjuvat Panor. *in c. cum esses. de testamentis. & in c. quia plerique de immunit. Eccles.* quod solemnitates actuum & testamentorum à jure civili ex præsumptione & evitatione fraudis, quæ circa talia committi solet, inductæ sint, leges autem fundatæ in præsumptione locum non habeant in conscientia, quando de veritate & enixa voluntate defuncti constat *per tex. notab. in l. fin. C. de fideicom.*

His tamen non obstantibus probabilius videtur quod docet Cov. *in dicto c. cum esses. de testam. n.* 12. *& seq.* solemnitates testamentorum (idem est de aliorum actuum vel contractuum substantialibus solemnitatibus, quibus non observatis in foro externo annullantur) etiam in foro animæ vim & effectum suum habere, neque retineri posse in conscientia, quod ex contractu vel testamento nullo (citra spontaneam agnitionem heredis, de qua infra) acceptum est, è contra tutum esse heredem ab intestato, si testamentum defuncti nullum expugnaverit, utcunque de voluntate ejus constiterit. Ratio est primò, quod leges & præcepta Legislatorum atque etiam Judicum

dicum juſta in foro externo etiam ſint juſta in foro interno ut ſuperius in q. 5. probavimus. neque eſſet conveniens, ut Judex alicui in foro externo juſtè adjudicaret hereditatem contra voluntatem defuncti in teſtamento non ſolemni expreſſam, & tamen in conſcientia accipiens tutus non eſſet.

55 2. Lex eſt domina rerum, & poteſt ex cauſa uni dominium auferre, & contra voluntatem ejus in alium transferre, ut accipiens etiam in conſcientia tutus ſit, ſicut in Jure *præſcriptionis & uſucapionis* manifeſtum eſt, & docet idem Fach. *lib.* 1. *c.* 24. ergo multò magis ex defectu ſolennitatum ob publicam utilitatem introductarum poterit impedire dominii translationem contra voluntatem transferre volentis, & aliis, ſcilicet legitimis heredibus, præſertim filiis (quibus Jure naturæ & gentium potius quam extraneis debetur *l. cum ratio. ff. de bon. dam.*) adjudicare: cum minus præjudicii ſit non acquirere, quam acquiſitum perdere.

56 3. Ad valorem cujusque actus etiam in foro interno duo requiruntur ſcilicet *voluntas & potentia* per tex. *in c. cum ſuper. de offic. deleg* prout in Phyſicis non movetur ex mea *voluntate* lapis, ſi pondus virium *poteſtati* reſiſtat. quidquid ergo teſtator in teſtamento non ſolemni *voluerit*, effectum non habebit, ſi *poteſtas* id faciendi Jure prohibente non fuit. *l. hac conſultiſſima* §. 1. *C. de teſtamentis.* ibi *ex imperfecto teſtamento voluntatem tenere defuncti non volumus, &c.*

4. In

4. In *c. innotuit. de electione.* non obscurè col- 57
ligitur, quod illegitimè natus absque dispensatione electus non possit salvâ conscientia dignitatem acceptare, licet hoc impedimentum illegitimæ nativitatis jure tantum humano statutum sit.

5. In *extravag. ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non* 58
alien. non tantùm alienans res Ecclesiasticas sine solennitate, sed etiam malè alienatas recipiens excommunicationem incurrit, quod fieri non posset, si accipiens in conscientia non peccaret, siquidem excommunicatio non nisi ob peccatum mortale incurratur. quæ duæ postremæ rationes valde obstant illis, qui putant, electionem vel alienationem rei Ecclesiasticæ contra jus tantùm humanum celebratam in conscientia observari posse.

Ad primum & potissimum argumentum in contrarium respondet Cov. non esse *naturalem* sed *moralem* tantùm & *honestatis* obligationem. Mihi salvo meliori judicio videtur etiam dici posse, non probari absolutè in allegatis legibus, nec *in l. ultima C. de fidei comiss.* quòd relicta in testamento non solemni & per errorem soluta repeti nequeant, cum regulare sit, quod ex omnibus causis, quæ jura non voluerunt, vel non habuerunt effectum soluta per errorem repeti possint. *l. ex his omnibus.* 54. *De Cond. indeb.* Sed hoc, quod heres, de cujus principali præjudicio agitur, possit suo juri, quo haberet contra testamentum non solenne, renunciare, & *agno-*

ſcere (quod verbum in ſenſu juris ſignificat *acceptationem, conſenſum. &c* prout DD *agnoſcere & acceptare* Legatum in teſtamento relictum pro ſynonimis accipiunt. *Hart. ad §. 2 l de Legatis n. 14.*) voluntati defuncti, idque Juris interpretatione cenſeatur facere ſolvendo minus ſolenniter relicta poſt quã agnitionem non ſit ampli⁹ locus Pœnitentiæ *jux. reg. 21. in 6 quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt.* ita non obſcurè colligitur ex ipſis textibus allegatis, *in d. l. non dubium. 16. C. de Teſtam ibi: etſi voluntas defuncti, circa legata, & fideicomiſſa legibus ſubnixa non ſit, tamen ſi heres ſua ſponte agnoverit, implendi eam neceſſitatem habeat.* Similis textus eſt *in l. 2. C. de fideicomiſſ* ubi heres comperiens voluntatem defuncti non ſolennem, & tamen ſolvens, juris interpretatione cenſetur eandem approbare. Denique *in l. fin. C. eod* quæ clarius repetitur *in §. fin. 1. de fideicom. hered.* dicitur, quod teſtator *fidem heredis elegerit, &c.* ideòque ſupponendum, quod heres de præſtando fideicommiſſo fidem ſuam interpoſuerit, aliàs enim ſi contradixiſſet, non potuiſſet teſtator *ejus fidem elegiſſe.* & hoc, ſi de foro *externo* loquamur.

59 Quantum ad forum *internum* quæſtio eò recidit, an dicta *juris interpretatio* ex qua ſolvens inutile relictum cenſetur approbare voluntatem defuncti, in effectu ſit *præſumptio* aut potiùs *fictio* juxta tradita ſuperius §. 3. *q* 5. quod cum dependeat à voluntate Legislatoris, quæ diverſimodè à DD. explicatur, ideo non eſt facile certum

tum aliquid ſtatuere, Ferme mihi videtur, dictam interpretationem in effectu *fictioni* comparari, quia leges citatæ ſimpliciter volunt, ut defuncti voluntas, ſemel agnita, firma maneat, ex qualiquali obligatione inde exorta. nolim tamen contrarium erroris damnare: nam illa verba *in l. 2. C. de fideicom. cum non ex ea ſola ſcriptura, ſed ex conſcientia relicti fideicommiſſi defuncti voluntas ſatisfactum eſſe videatur.* valde etiam probabiliter de *præſumptione*, quòd ſcil. heres ſponte renunciaverit juri ſuo voluntarem defuncti ſequendo, & fideicommiſſum inutiliter relictum præſtando intelligi poſſunt, qualis *præſumptio* in foro quidem externo foret *juris & de jure* non admittens probationem in contrarium per tex. *in d. l. 2. ubi fruſtra ab heredibus ea de re* (ſcil. de præſtito fideicomiſſo inutiliter relicto) *ubi quæſtio movetur.* in foro autem interno cederet veritati, ſi tale fideicommiſſum heres non cum animo renunciandi juri ſuo, ſed merè ex errore juris ſolviſſet.

Cœterùm verò ſi ponatur caſus, quòd heres, non habuerit certam ſcientiam voluntatis defuncti, ſed ſolummodo confiſus ſcripturæ aut depoſitioni teſtium (quæ à parte rei potuit eſſe falſa, ſubornata, contra vel præter mentem defuncti) non ſolenniter relicta per errorem juris ſolverit, an tunc repetitionem non habeat? id in dictis legibus non deciditur, neque etiam, an ex ſola conſcientia voluntatis defuncti, qui necdum ſolvit, ad ſolvendum teneatur? licet enim

nim ex voluntate defuncti ſive naturalis ſive moralis obligatio naſcatur, ea tamen (*ſine ſpontanea agnitione heredis d l. non dubium.*) inefficax eſt, ſicut obligatio pupilli ſine tutoris authóri-
60 tate. Quod autem quidam ajunt, hanc obligationem operari retentionem per remedia juris etiam in conſcientia avocabilem, puto ita intelligendum, quòd rem ex teſtamento non ſolenni ſine vi aut fraude obtentam liceat quidem retinere, quamdiu dubium aliquod de valore teſtamenti, vel an heres ab inteſtato ſecuturus ſit, & agniturus voluntatem defuncti ſupereſſe poteſt, non autem, ſi manifeſtè conſtet de invaliditate teſtamenti, & ſimul de facto heres ab inteſtato declarârit voluntatem ſuam, quòd jure ex lege ſibi competente contra voluntatem defuncti uti velit, tametſi decretum Judicis non intervenerit, cum enim ſciam me perditurum cauſam in judicio, planè æquitas naturalis non admittit, adverſarium juſtam cauſam foventem per moleſtam litem cum jacturâ temporis, expenſarum, amicitiæ, animi pacationis vexare.

61 Ad alterum reſpondetur negando, quòd leges præſcribentes actibus formas ſubſtantiales fundentur in præſumptione, licet motivum condendæ legis fuerit evitatio fraudis. Neque ceſſante ratione legis in particulari caſu ceſſat lex generalis formam actui ſtatuens, niſi ratio generaliter ceſſet, ſicut ſi matrimonium hodie poſt Concilium Trid. coram centum teſtibus abſque

Paro-

Parocho contraheretur, non ideò valeret, tametsi in hoc casu periculum abnegandi matrimonium cessaret. Alias instantias, quas adducit Fach. *l. c.* quòd multa negentur in foro externo, quæ non obligant in foro interno, sicut exempla ponit de denegata actione ob læsionem infra dimidium justi pretii de actione *quanti minoris* vel *redhibitoria* ultra annum vel medium non extensa, facile est resolvere ex superius dictis, quod nempe aliud sit ad minuendas lites actionem in foro externo denegare, & aliud ipsum actum ejusque obligationem annullare. 62

§. IV.

De promulgatione, acceptatione, & abrogatione Legum.

SUMMARIA.

63. *Scriptura non est de Substantia Legis.*
64. *Publicatio Legum qualiter fiat.*
65. *Scientes legem non obligantur ante lapsum 2. mensium.* (*mensis.*
66. *Constitutiones inferiorum ligant etiam ante duos*
67. *Leges Pontificiæ Romæ tantum promulgatæ quo sensu de stylo ligent ubique.*
68. *Legis effectus an dependeat à populi acceptatione.*
69. *Contra legem dissimulante legislatore non acceptatam currit consuetudo.*
70. *Legem abrogare quis possit.*
71. *Statuta inferiorum à S. Pontifice confirmata quis possit abrogare.* 72 *Derogatio legis quid sit.*
73. *Declarare legem quis possit.*

74. *Regu-*

74. *Regulæ quædam utiles circa declarationem & interpretationem legum.*
75. *Mens legis præferenda est verbis.*
76. *Epikia seu interpretatio ex bono & æquo cui competat.* 77. *Æquitas rigori juris præferenda.*
78. *Epikia non admittitur circa solennitates substantiales actuum.*
79. *Cessante ratione legis, quando cesset ipsa lex.*
80. *Odia restringenda, favores ampliandi.*
81. *Correctio juris stricte accipienda.*
82. *Ex paritate rationis potest aliquando fieri extensio juris.*
83. *Verba legis non facile impropriandæ.*
84. *Jura juribus concordanda.*
85. *Dispensatio quid.*

63 QUàmvis absolutè ad substantiam legis non desideretur, ut in scripturam redigatur, & lex vel constitutio positiva tantum accidentali & extrinseca denominatione *Jus scriptum* dicatur, ad distinctionem juris consuetudinarii, quod absque constitutione per mores hominum
64 inducitur, sicut cum communi tradit Harp. *ad §. 6. Instit. de I. N. G. & C.* requiritur tamen, ut sive per scripturam publico loco affixam, sive per præconis proclamationem ita publicetur, ut in hominum ex lege obligandorum notitiam devenire possit, *cur enim culpabimus eos*, inquit Imperator *in Nov.* 66. *c.* 1. *qui positas ignoraverint constitutiones.* Porrò de promulgatione legum Imperialium habetur *in d.* 66. *Nov.* quod non obligent, nisi postquam fuerint promulgatæ in

cujus-

cujusque Provinciæ Metropoli, & insuper duo menses elapsi, ut intra hoc temporis spatium sufficiens notitia haberi possit.

Quare tametsi aliquis prius in notitiam talis 65
legis devenerit, tamen ante lapsum duorum mensium ad ejus observationem non adstringetur. quod generaliter obtinet, quoties Legislator ad obligationem suæ legis vel longiorem vel breviorem terminum præscripsit. prout in Concilio Trid. *Sess. 24. de refor matr c. 1. in fine* statuitur, quod irritatio matrimonii clandestini primum post 30. dies à die promulgationis vim habeat.

Non ignoro, quod multi DD. contrarium doceant apud *Barb. in c. 2. hoc tit. n. 6.* existimantes, quod lex sive Imperialis, sive alia habens certum tempus annexum obliget eos, qui ante finitum illud temporis spatium notitiam legis acquisiverunt per textum *in c. 1 de postulat. Pral.* ibi: *sufficit, ut ad constitutionis observantiam teneatur. qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam, &c.* cui addi potest *regula 31. juris in 6. quod certus certiorari ulterius non debeat.* Sed recto 66
juris & verborum sensui magis consona est nostra sententia, quam præter alios etiam docet Nav. *de constit. Cons. 1. n. 8. Menoch. de arbitrariis judicum lib. 2 casu 185. n. 20.* etenim *in citata Novel. 66.* dicitur, leges primum *post duos menses valere*: in citato loco Concilii, quod decretum de reformatione matrimonii primum *post 30. dies robur habere incipiat* in Bulla Pii 4. super declara-

claratione temporis ad obſervanda decreta Concilii Trid. *jure communi ſancitum eſt*, ait Pontifex, *ut conſtitutiones novæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant, &c.* quæ ſanè verba in propria ſignificatione ſatis indicant, quod tempus legi adjectum univerſim ſine diſtinctione tam reſpectu ſcientium, quam ignorantium obligationem ſuſpendat. Accedit, quod mens Legislatoris tempus legi adiicientis fuerit, tollere confuſionem in populo, ne aliqui propter ſcientiam prius, aliqui propter ignorantiam ſerius obligentur, quæ confuſio minimè tolletur, ſi tempus adjectum reſpectu ſcientium obligationem legis non remoretur. Ad contraria reſpondetur ea procedere ex ſuppoſito jã negato, quòd lex ante lapſum temporis obligare inceperit: neque enim *in c.* 1. propoſitum fuit ſummo Pontifici noſtram quæſtionem decidere, ſed aliam, nimirum, quòd ad obligationem legis ſufficiat promulgatio in communi, & non requiratur, ut ſingulis per mandatum ſpeciale inſinuetur.

67 Deinde *illud c.* loquitur de Conſtitutione alicujus Cardinalis. quâ in re eſt advertenda communis doctrina tradita à Panor: *in c* 2. *hoc tit. n.* 7. quod in Conſtitutionibus Legislatorum inferiorum à ſummo Principe non habeat locum illa *Novell.* 66 ſed ſi tempus certum expreſſum nõ habeant, obligent ſcientes ſtatim, ignorantes verò poſt tempus arbitrarium, quo rationabiliter poteſt præſumi de ipſorum notitia, & poſt quod

quod tempus non debuiſſent conſtitutionem ignorare, ſicut dicitur *in c. 1. de præbendis in 6.*

Speciale eſt de ſtylo Curiæ Romanæ circa Bul- 67
las ſummi Pontificis, quod vim habeant obligandi, quàm primum in eadem Curia Romana publicantur, & in *acie Campi Floræ*, ac ad valvas Baſilicæ Apoſtolorum affixæ ſunt, & in Cancellaria Apoſtolica pro publicatis habentur, teſte *Barb d. n. 9. cum citatis ibidem.* Attamen hic ſtylus limitandus eſt, ut in primis potiſſimum procedat circa cauſas beneficiales & ſimiles in quibus S. Pontifex liberam poteſtatem habet, non autem circa ea, quæ proximè conſcientiam tangunt, ut circa cenſuras Eccleſiaſticas, jurisdictionem Confeſſariorũ in foro pœnitentiali, &c. nam ſimilia debent etiam in partibus innoteſcere & públicari, ne ignorantes peccati arguantur, vel periculum animarum incurrant. *arg. c. cum infirmitas de pœnit.* Præterea ſi V. g. circa beneficiales cauſas aliquid novi Romæ conſtituatur, habebit quidem effectum, ſi cauſa ex partibus Romam perveniat, ſi verò in partibus præſertim ultromontanis agitetur, ſecundum Jus ordinarium & conſuetudines ibi vigentes judicabitur, ſi talis bulla ibidem publicata, & recepta non ſit: nam ſtylus Curiæ non in omnibus extenditur extra Curiam, maximè cum naturali æquitati ſit conveniens, ut leges non publicatæ, adeoquè ignoratæ, non ligent, & Pontifex per generales leges non intendit ſemper particu-

laribus locorum ſtatutis & conſuetudinibus derogare, niſi exprimat *c. 1. hoc titulo in 6.*

68 De *acceptione* legum quotidiana quæſtio & controverſia eſt, an legis effectus & obligatio à populi acceptione dependeat, & qualiter illud accipiendum ſit, quòd vulgò circumfertur, legem non acceptatā non obligare? enim verò aliqui cum Nav. *hoc tit. conſilio 1. q. 5.* ſimpliciter aſſerunt, vim & ſubſtantiam legis à populi acceptatione pendere, & omnes leges habere tacitam conditionem, *ſi acceptentur.* pro quibus facit textus *in c. iſtis. §. leges diſt. 4.* ibi *leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Item *in l. de quibus ff. de legibus, iſtæ leges,* ait Juris Conſ. *nulla ex cauſa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ ſint.* Verum rationi magis conſentaneum eſt, quod cum populus in omnibus juſtis præceptis obedientiam Legislatori tam in foro interno, quàm externo debeat, ut in priore §. demonſtratum, non eſſe in poteſtate populi, an legem acceptare vel reiicere velit: non acceptari autem aliquando legem poſſe vel ex ignorantia, quia V. g. Romæ tantùm lata per Ordinarios locorum in partibus nunquam promulgata fuit, vel ex cauſa, quia continet aliquot notabile gravamen, propter quod utiliter in ſingulis locis obſervari non poteſt; & inſuper Legislator, qui non ignorat, vel facile ſcirè poteſt neglectum ſuæ legis ſaltem tacitè connivendo acquieſcit. Vid etiam tex. *in c. ſi quando. 5. De præſcript.* ubi declarat S. Pontifex

tifex, quòd juſtè ſuſpendatur executio Mandati Apoſtolici, ſi videatur continere aliquod notabile gravamen, uſque dum S. Pontifex ea de re certioratus obligationem aut remittat, aut repetat. Similes textus ſunt *in c. paſtoralis. De fide inſtrum. c. cum teneamur. De Prabendis.* Non obſtant, quæ in contrarium allata ſunt, nam ille textus *in d. §. leges.* in primis eſt Gratiani, cujus authoritas non eſt deciſiva: deinde explicari poteſt de confirmatione legum *extrinſeca* & accidentali, non *intrinſeca* & ſubſtantiali, quatenùs ſcilicet leges moribus utentium receptæ, extrinſecam ſuam perfectionem & vigorem conſecutæ ſunt, non verò quòd ante hanc receptionem vim propriam obligandi ex ſe non habuerint. Alter textus *in l. de quibus. ff. de Legibus.* procedit de illo antiquo tempore, quando poteſtas leges ferendi, & magna pars imperii penes populum Romanum fuit, poſtea verò quando populus *lege Regia* omnem poteſtatem ſuam in Principem transtulit *juxta l. 1. ff. de Conſtitut.* nulla fuit relicta populo authoritas legem aut ferendi, aut approbandi. Maximè autem in cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus *dicta lex 32.* locum non habet, quia in iſtis poteſtas ferendi legem immediatè à Chriſto Apoſtolis eorumquè ſucceſſoribus data eſt, & nunquam penes populum fuit.

Illud quoque circa acceptationem legum ad- 69
vertendum eſt, quod ſi lex diſſimulante Legislatore non obſervata ſit, lapſu 10. annorum ab-

Digitized by Google

oleatur: ſed hoc ſi nunquam recepta ſit, ſi verò aliquando recepta, & poſtea per contrarium uſum intermiſſa, ad eam, ſi *Eccleſiaſtica* ſit, 40. annorum ſpatium requiretur. *Laym. in Theol. mor. tract. 4. cap. 3. n. 4. Garc de benef. p. 7. c. 1. n. 137.* qua de re inferi[9] in titulo de conſuetudine plura dicemus. Sin autem Legislator inſtet & urgeat, legem ſuam recipi, non obſtante gravamine à populo propoſito, nec iniquitas legis manifeſta ſit, ſecundum obedientiam ei debitam parendum erit. ſæpe enim homines veteres corruptelas & malas conſuetudines difficulter relinquunt, non tamen propterea ſemper eis indulgendum, ſi aliud pro Reipublicæ utilitate expedire Principi videatur.

Inter *abrogationem*, *derogationem*, *declarationem legis & diſpenſationem* in lege differentia facienda eſt. Nam *abrogatio* ſignificat totalem caſſationem & ſublationem legis. Fit autem *abrogatio* 70 aliquando per conſuetudinem contrariam, de qua inferius: aliquando per ipſum Legislatorem vel ſucceſſorem ejus ob mutatas circumſtatias temporum, rerum & cauſarum: *nonnunquam enim* ait Joannes 22. *in extravag. 2. de verb. ſignif. quod conjectura profuturum credidit ſequens experientia nocivum oſtendit, ideò non debet reprehenſibile judicari, ſi Canonum Conditor Canones à ſe vel ſuis prædeceſſoribus editos revocare ſtudeat, ſi obeſſe potius viderit quàm prodeſſe.* Dico, etiam per ſucceſſorem poſſe revocari conſtitutionem anteceſſoris: idque tametſi haberet clauſulam, *hac*

immuta-

immutabili & in perpetuũ validura lege ſancimus, &c. cum enim par in parem, aut anteceſſor in ſucceſſorem æqualis dignitatis non habeat imperium vel Jurisdictionem, ideò etiam lex aliqua ſucceſſori ab anteceſſore præſcribi non poteſt, à qua ei recedere non liceat. *c innotuit. 20. de elect.*

Et hoc non tantum de conſtitutionibus imperatoriis, aut pontificiis, ſed etiam inferiorum Principum & Legislatorum accipiendum eſt, prout ſuperius diximus ſtatutum prædeceſſoris Epiſcopi vel Capituli ſede vacante poſſe à ſucceſſore Epiſcopo revocari.

Sed quid. ſi talia ſtatuta inferiorum Legislato- 71
rum à ſummo Pontifice vel Imperatore confirmata ſint, anne nihilominus ab inferioribus revocari poterunt? Diſtinguendum putat Decius *in c. cum acceſſiſſent. hoc tit. n.* 18. an ſtatuta inferiorum ſint lata *contra* jus commune in quibus propterea ex defectu poteſtatis ſtatuendi confirmatio ſuperioris fuit neceſſaria, vel an ſtatutum fuerit *præter jus*, & per ſe validum, ac confirmatio ſuperioris tantùm accidentalis & corroborativa; illo caſu cenſet, ſtatutum ab inferiore amplius revocari non poſſe, cum per confirmationem, à qua totam ſubſtantiam accepit, facta ſit lex ſuperioris, cui inferior derogare non poteſt. *Clement. ne Romani. in princip. de elect.* ſecus verò in caſu poſteriori, in quo ſubſtantialiter eſt inferioris. Sed quia huic diſtinctioni obſtat, textus in eodem *c cum acceſſiſſent.* ubi ſuppreſſio *Primiceriatus* in Eccleſia Cathedrali, & e-

ſus fructuum inter Canonicos diſtributio fuit ſtatutum Capituli *contra jus* commune teſte Gloſſ. *ibidem in Verb. confirmatum* : cum Jure communi non liceat Capitulo præbendam canonicalem præſertim verò dignitatem ſupprimere, & tamen hoc ſtatutum licet à ſummo Pontifice neceſſariò confirmatum potuit à Capitulo ipſo facto contraveniendo revocari. ideo circa primum diſtinctionis à Decio aſſignatæ membrum alia diſtinctione utitur Abbas *in dicto c. cum acceſſiſſent. n. 2* quam etiam probat Proſper Fag. *in eod c. n. 12* nimirum, ſi ſtatutum confirmatum à ſuperiore concernat favorem publicum, vel aliorũ, quàm ſtatuentium, non poſſit revocari ab inferiore, poſſit autem, ſi concernat principaliter favorem ipſorum ſtatuentium *ut in d. c. cum acceſſiſſent.* ubi reditus dignitatis ſuppreſſæ accreverunt reliquis Capitularibus: eo enim caſu fit revocatio ad illum modum, quo quilibet poteſt favori aut privilegio ſuo renuntiare.

72 *Derogatio* ſignificat particularem legis imminutionem, quæ ſe habet vel ex parte ipſius legis, quando Legislator unum legis articulum mutat, vel à generali conſtitutione certos caſus ſpeciales excipit; vel ex parte ſubditi, quando eidem Legislator reſcriptum, privilegium, aut diſpenſationem contra legem concedit.

73 *Declaratio* eſt vera legis interpretatio ſecundũ mentem Legislatoris, hæc etiam aliquando inferioribus in lege ſuperioris competit. Sic ſummus Pontifex quamvis inferior ſit jure divino &

natu-

naturali, & illud abrogare, vel in eo dispensare nequeat, declarare tamen potest, & verum ejus sensum exponere. licet verò etiam alii viri docti possint interpretationes legum divinarum & humanarum facere, eæ tamen probabiles solummodo sunt, non authoritativæ sicut summi Pontificis.

Cæterùm circa hanc privatam interpretationem, quam faciunt privati DD. aliquod utiles regulæ traduntur, quæ tum in judiciis tum in scholis frequentissimè adduci solent: ut quòd *interpretatio* legum potiùs menti quàm verbis Legislatoris convenire debeat, *non* enim *debet intentio verbis, sed verba intentioni deservire. c. secundò requiris. 41. de appell. & scire leges non est verba callere, sed vim & potestatem, L. scire. 17. ff. de legibus.* textus notabilis *in l. scire* 13. §. 2. *ff. de excus. tutorum.* ibi *sed etsi maximè verba Legislatoris hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult.* unde *in l. contra legem ff. de legibus*, in fraudem legis facere dicitur, qui *salvis verbis legis mentem ejus circumvenit*; ut in vulgari exemplo, si prohibitus noctu ambulare sine lumine, lumen quidē deferat sed ita absconditum ut à nemine agnoscatur, &c & in *c. ult. de R. I., in 6. certum est*, ait Pontifex, *quod is committat in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.* 74 75

2. Juxta vero similem mentem Legislatoris leges universales vel admodùm rigorosæ nonnunquàm benigna aliqua interpretatione secundum *bonum & æquum* explicandæ sunt, & ab his 76

Digitized by Google

aliqui casus in specie excipiendi ob rationabiles considerationes, de quibus, si Legislator interrogatus fuisset, ipsemet excepisset, non enim possunt omnes casus legibus comprehendi, sed illi qui plerumque & ordinariè accidunt, *l. non possunt. l. nam ad ea ff. de Legibus*, atque ista interpretatio secundum *bonum & æquum Epichia* aut præsumpta mens Legislatoris vocatur.

Huc etiam pertinet textus in *l. placuit. C. de Judiciis*, ubi Imperator rescripsit, quòd *in omnibus causis potior esse debeat æquitatis, quàm stricti juris ratio.* 77 verum quia in *l. 1. C. de legibus*, idem Imperator interpretationem *inter æquitatem & jus scriptum* sibi reservavit, & in *l. profexit. ff. qui & à quibus appell.* Jurisconsl. vult legem etiam *duram* observandam esse, si *ita scripta* sit, & Aug. *in c. 3 dist. 4.* ait: *non de legibus, sed secundum leges judicandum esse*, ideò Fach. *l. 1. controv. c. 3.* sequenti distinctione rem componit; vel enim verba legis ejusque mens adeò clara sunt, ut salva ratione recti sermonis non possint aliam interpretationem habere, & servanda est lex *quamvis dura*: vel verba legis sunt generalia, quæ in particularibus casibus salva verborum generalitate & ratione recti sermonis possunt habere interpretationem ex bono & æquo, & procedit *d. l. placuit*: vel denique dubitatur, quid justum quid æquum sit, & juxta d. l. 1. *C. de LL.* Princeps consulendus est.

78 Præterea in legibus quæ formas substantiales actibus præscribunt, ex communiori DD. senten-

sententia Epichia aut interpretatio contra verba & formam legis admittenda non est, quia rigor talium legum bonum publicum concernit, nisi aliter mens Legislatoris colligi possit. ita docent non valere matrimonium etiam quacunque urgente necessitate sine Parocho & testibus contractum, *Barb. ad Conc. Trid. sess. 24. c. 1. n. 160. Sanch. de matr. lib. 3. disp. 17.*

3. Similiter ob cessantem rationem legis re- 79
ctè nonnunquàm fit interpretatio ex mente legislatoris cessare ipsam legem. *c. cum cessante. c e appell. l. adigere. ff. de jure patronatus.* quod tamen ita intelligendum est, ut si totalis & adæquata (non particularis aut impulsiva solum) legis ratio generaliter cesset, tunc etiam lex generaliter cessare dici possit, si verò ratio in particulari tantum casu cesset, frequens est, ut præsertim in Legibus formas substantiales præscribentibus, vel aliàs conformitatem publicam respicientibus obligatio legis adhuc etiam in illo particulari casu perseveret. si verò ex non observatione legis cujus ratio in particulari cessat, nullum oriatur in communi scandalum, ut maximè accidit in Legibus in falsa præsumptione fundatis, dicendum etiam est, talem legē in particulari casu, præsertim verò in conscientia non obligari.

4. Leges pœnales odiosæ aut magnum præ- 80
judicium afferentes sunt strictæ interpretationis & non ulterius quàm secundum verborum strictam proprietatem sonant etiam ex paritate

rationis extendendæ: è contra leges favorabiles ampliori interpretatione adjuvandæ. *c. in pœnis. c. odia. de regul. jur. in 6.*

81 5, Etiam leges exorbitantes à jure communi, & aliarum legum correctoriæ ſtrictè interpretandæ ſunt, neque regulariter cenſetur plus de priore lege mutatum quàm expreſſum, *l. præcipimus C. de appell.* & ſi ex pluribus prioris Legis articulis unus ſolus mutatus, aut una ſola exceptio addita, in reliquis lex immutata manet juxta dictum Gloſſ. communiter receptum *in l. in iis. 15. ff. de legibus, quod exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis.*

82 6. Ex paritate rationis, rerum, perſonarum & aliarum circumſtantiarum, quod deciſum eſt in uno caſu per interpretationem etiam ad alios caſus dubios & non deciſos extendere oportet juxta vulgare, quod ubi eadem eſt ratio (adæquata ſcilicet ſine apparente diſparitate) eadem ſit juris conſtitutio, *l. non poſſunt. 12. cum l. ſeq. & l ideo ff. de LL.*

83 7. Verba legis accipienda ſunt ſecundum propriam ſignificationem & non improprianda, niſi aliter conſtet de mente Legislaoris, *l. non aliter. 69. ff do Legatis 3.* in dubia autem & ambigua ſignificatione verbi præferenda eſt, quæ communi hominum acceptationi, vel mentis legis aut æquitati magis correſpondet, vel ad pœnas & odia minuenda, favores autem ampliandos magis convenit.

84 8. Correctio jurium non facile admittenda,

Digitized by Google

de sed si Canones aut leges inter se discrepantes proferantur, nec ex contextu de manifesta correctione appareat (solet enim quandoque jus posterius derogare priori) de aliqua conciliatione seu concordia cogitandum, *c. cum expediat. de elect. in 6* quid autem, si inter jus Canon. & Civile discrepantia sit, superius in proœmio *sub n.* 19 dictum est.

Demùm consuetudo præsertim secundum quam jam aliquando in contradictorio judicatum est optima legum interpres censetur, *l. si de interpretatione. 27. ff. de legibus.*

Dispensatio est relaxatio legis in aliquo speciali casu, vel particularibus personis publica authoritate facta, hæc regulariter illi tantum competit, qui supra legem est, scilicet Legislatori vel successori ejus, inferioribus tamen etiam nonnunquam vel ex speciali privilegio, aut consuetudine, aut ex præsumpta mente superioris ob magnam causam & datâ morali impossibilitate superiorem adeundi conceditur. Qua de re inferius hoc eodem libro in tit. *de majoritate & obedientia.* plura dicemus. præsertim in §. 4. ubi de potestate dispensandi, quæ competit Episcopis agemus. De dispensatione etiam circa impedimenta Matrimonii actum est in Man. paroch. *p. 3. cap. 5. §. 5. sect. 13.* Et ad dispensationes pertinent multa, quæ paulò post in seqq. titulis *de Rescriptis.* & *de Privilegiis* trademus, in aliis quoque specialibus titulis, de particularibus dispensationum casibus tractandi occasio se offeret. Si 85

Si denique casus aliquis in materiâ dispensationis difficilior emerserit, videri poterit Thomas Sanchez. *de Matrim. toto lib.* 8. Suarez *de Legibus. lib.* 6. Paulus Layman. *in Theol. Mor. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22.

TITULUS III.

Est 3. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Rescriptis.

SUMMARIA.

1. *Rescriptum quid.*
2. *Rescriptum aliud Gratiæ, aliud Justitiæ.*
3. *Differentia inter Rescripta, Privilegia, & Mandata.*
4. *In quibus conveniant rescripta gratiæ & justitiæ.*
5. *Excommunicatus an & quale rescriptum impetrare possit.*
6. *Rescripta constant narratione, supplicatione, & conclusione.*
7. *Rescripta Pontificia habent tacitam conditionem,* si preces veritate nitantur.
8. *Narrativæ qualiter probandæ, & ibi, quod narrata à Papa non probent, si desuper non fundetur principalis intentio ejus.*
9. *Narrata, super quibus fundatur intentio Papæ, qualiter probanda.*
10. *Narratorum probatio quando non requiratur, & ibi de clausula* : si est idoneus?

11. *Epo-*

11. *Exponitur text.* in c. ſuper litteris. h. t.
12. *An etiam conveniat reſcriptis gratiæ?*
13. *Error latinitatis quando vitiet reſcriptum.*
14. *Fratres & Filii qui appellentur à Papa.*
15. *Raſura quando vitiet reſcriptum.*
16. *Reſcripta non valent in præiudicium reip. vel tertii.*
17. *Reſcripta gratiæ & juſtitiæ in quibus differant.*
18. *In Reſcriptis gratiæ attenditur tempus* datæ, *in juſtitiæ*, præſentatæ.
19. *Reſcripta juſtitiæ fiunt inter partes communia.*
20. *Reſcripta gratiæ non expirant morte concedentis.*
21. *Reſcripta quatenus tranſeant in Succeſſorem.*
22. *Reſcriptū poſterius non faciens mentionem de priori, quando validum.*
23. *Reſcripta juſtitiæ & gratiæ quando de jure communi, & ex concord. German. præſentanda.*

REſcriptum in genere deſcribi poteſt cum Hoſtienſi *in Summa hoc tit.* quod ſit illud, quod à Papa vel Principe reſcribitur ad conſultationem, relationem, vel ſupplicationem alterius. Sunt enim reſcripta directè in favorem rantùm privatorum, qui ea à Principe impetrant, ordinata: quædam tamen etiam in conſequentiam jus commune faciunt, quando nimirum Princeps ſuper dubio aliquo Juris articulo à privatis conſultus ſuam ſententiam edicit, *c. in cauſis. 19. de ſent. & re jud. L. ult. in princ. C. de LL.* ex qualibus Reſcriptis Decretales Pontificii, & Codex Juſtinianeus majori ex parte compoſiti ſunt, at in præſenti titulo de illis potiſſimùm reſcriptis negotium eſt, quæ ad ſuppli-

ſupplicationem pro impetrando beneficio, vel alia gratia, aut pro obtinenda cauſæ judicialis delegatione conceduntur.

2 Hinc reſcripta communiter per interpretes in duas claſſes diſtinguuntur, quod ſcilicet alia ſint *reſcripta gratiæ*, quæ dantur ad beneficia, & ſimiles gratias; ac alia *reſcripta juſtitiæ* quæ dantur ad lites & deciſionem, vel delegationem cauſarum, faciunt quidem Doctores in rigore differentiam inter *reſcripta privilegia & mandata*, quòd *reſcriptum* propriè ſit ad juris obſervantiam, quo præſcribitur forma, cauſam ſecundum jus decidendi: *privilegium* verò contra jus, & *mandatum*, quò jubet Pontifex alicui provideri de beneficio vel præbenda, ſicut pluribus explicat Petrus Rebufus *in praxi beneficiorum tit. differentiæ inter privilegium, Reſcriptum & Mandatum*: ſed rectè etiam iſta communi *reſcriptorum* appellatione veniunt, & ad prædictas duas ſpecies, reſcripta nimirum *juſtitiæ & gratiæ* reducuntur, ut per eundem Rebufum in tit. *diviſio reſcriptorum.* apparet. Si utriuſque reſcripti gratiæ ſcilicet & juſtitiæ convenientias ac differentias enaravero, totam reſcriptorum materiam complexus ero.

4 Conveniunt igitur reſcripta juſtitiæ & gratiæ primò, quòd ea inpetrare poſſit omnis, qui jure prohibitus non eſt, ſive ſit ſui, ſive alieni juris, liber, vel ſub poteſtate dominica, patria aut prælati conſtitutus. non reperitur autem facilè aliqua prohibitio teſte Sylveſt. *in verbo reſcriptum*

ſcriptum n. 2. niſi circa hæreticos. *l.* 2. *C. de ſumma Trinitate.* & excommunicatos majori excommunicatione, *c. dilectus. hoc tit. c. ult. de Procuratoribus.* & reſcriptum impetratum ab excommunicato ſuper alio, quam excommunicationis, vel appellationis pro ſui defenſione articulo, ſicut & proceſſus, & quidquid indè ſecutum eſt, ipſo Jure nullum, & invalidum habetur. *c.* 1. *hoc tit. in* 6. quod etiam in excommunicatis non denunciatis poſt Concilium Conſtantienſe procedere dicendum eſt, quia in eodem Concilio ipſis excommunicatis nulla gratia facta eſt, ut in *tit. de ſententia excommunicationis* explicamus, ſed hodiè de ſtylo Curiæ Romanæ plerisque reſcriptis ſolet inſeri abſolutio à cenſuris quoad effectum illius reſcripti duntaxat conſequèndum. vìdeatur Barb. *in eodem c.* 1. *hoc tit. in* 6. 5

Conveniunt II. quod utrumque reſcriptum tribus partibus conſtet, *narratione*, *ſupplicatione*, & *concluſione*. priores duæ partes ſupplicantem reſpiciunt, *concluſio* verò ad ipſum reſcribentem ſive concedentem refertur, quam ultimam partem practici vocant *diſpoſitivam*, eo quod ibi reſcribens faciat diſpoſitionem cum clauſulis ſibi placidis. 6

Conveniunt III. in *narrativa*, & ejus probatione: nam reſcripta pleraque pontificia diriguntur ad Ordinarios locorum, vel ſi ſint reſcripta juſtitiæ ad ipſos judices delegatos, ut ſuper veritate narratorum cognoſcant. Etenim 7

nim reſcripta pontificia, etſi non ſemper expreſsè, ſemper tamen tacitè annexam habent clauſulam, *ſi preces veritate nitantur. c. 2. hoc tit.* reſcripta verò Cæſarea (ſi de jure communi loquamur) non aliter valent, quam ſi hanc clauſulam expreſſam habeant. *L. fin. C. d. diverſ. reſcriptis.* quando ergo & qualiter reſcriptum impetrans narrata in eo probare debeat videamus.

8 Sciendum inprimis, quod narrativa alia ſit ſummi Pontificis, ſeu reſcribentis, & alia ipſius ſupplicantis. Quantum ad narrativam reſcribentis habetur *in Clem un. de probat.* narrata etiam ſummi Pontificis nihil probare, ſi ſuper iis non fundetur intentio, hoc eſt, ſi incidenter tantum quædam narraverit, nec propter talia narrata reſcriptum dederit. Sic ſi quem ſub titulo cujusvis dignitatis honoret ſeu quovis modo tractet, per hoc in dignitate illa ipſum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi Juris, *Clem. ſi ſummus. De ſententia excom.* Similiter ſi Papa in aliquo privilegio vel ſcriptura non facta principaliter ſuper exemptionis cauſa aliquam Eccleſiam ad jus, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere dicat, non propterea illius Eccleſiæ exemptio eſt probata, niſi aliter demonſtretur. *c. ſi Papa.* 10. *de privilegiis in 6.* quia hujuſmodi qualitates præſumuntur reſcribenti in ſupplicatione ſuggeſtæ; neque etiam ab ipſo ſupplicante probandæ erunt, ſi ad cauſam principalem reſcripti vel litis non faciant.

Quod

Digitized by Google

Quòd si verò super narratis fundetur intentio 9
Papæ, sive Reſcribentis, tria membra diſtinguenda ſunt, vel enim reſcribens narrat de illis, quæ propriè ad ſuam ſcientiam pertinent, vel de facto alieno, motu tamen proprio, vel de facto ad inſtantiam & præviam narrationem ſupplicantis. Primo caſu, ſi V. g. narret de facto proprio aut alieno ſecum geſto, vel de facto ſui anteceſſoris, vel de Jure quod totum in ſcrinio pectoris habere cenſetur, *c. 1. de conſtitut. in* 6. hæc narrativa alia probatione non indiget, imò regulariter probationem in contrarium propter authoritatem narrantis non admittit, niſi probatio ſit talis, quæ non impugnet narrationem, ſed tantùm doceat de Jure probantis. V. g. ſi Papa beneficium conferat, quod narrat per reſignationem ſibi factam vacare, non prohibeor probare, quod hoc beneficium ad me, & non ad reſignantem pertineat.

Secundo caſu, quando Papa vel alius reſcribens motu proprio narrat de facto alieno fidem facit præſumtivè, ita tamen, ut probatio in contrarium admittatur, quæ incumbet illi, qui tale reſcriptum impugnare contendit, quia pro impetrante eſt præſumptio ex authoritate narrantis. *gloſſ. in Clem. unica. in v. feciſſe narramus. de probationibus. Mynſing. Cent. 5. obſerv. 34. n. 10.*

Tertio caſu, quando narratio reſcribentis proceſſit ad præviam inſinuationem vel ſuggeſtionem ſupplicantis (quod in dubio præſumitur, & arguunt illa verba de ſtylo Curiæ in litte-

ris Apoſtolicis poni ſolita, *ut aſſeritur*) ex ſe nihil probat, ſed probanda eſt à ſupplicante. Si tamen ex narratione reſcribentis appareret, narrata non ſimpliciter ab ipſo impetrante aſſerta eſſe, ſed eum ſolummodo retuliſſe, ita ab aliis aſſeri, ſufficeret aſſertionem communem, ſive famam, licet de veritate dubiam probare.

Hæc porrò narratio in hoc ultimo caſu, comprehenſa etiam *narrativa ſupplicantis* dici poteſt, eaque, ut dictum, regulariter ab ipſo ſupplicante ad conſequendum effectum reſcripti impetrati probanda eſt, prout exemplum habetur *in c. ſuſceptum. hoc tit. in* 6. ubi ſi Pontifex provideri mandet de beneficio, quod impetrans narravit per mortem vacare, & alius ſuper eodem beneficio poſterius impetret reſcriptum, narrando illud vacare per reſignationem, & non per mortem prioris beneficiati, poſterior impetrans & narratum probans præ altero priore aſſequetur.

10 Sunt tamen caſus, in quibus probatio narrativæ non requiritur, ut primò, ſi ſupplicans narraverit ſe idoneum ad beneficium, & impetraverit beneficium cum clauſula, *ſi fuerit idoneus*: præſumetur idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur, *c. dudum, fin. de præſumptionibus*, ſed hoc Doctores intelligunt de idoneitate intrinſeca, quæ conſiſtit in diſpoſitione animi & devotione, non autem ſi beneficium quasdam qualitates extrinſecas, certam nimirum litterarum ſcientiam vel gradum requireret, circa quæ alia probatio neceſſaria foret. *Barb. in eodem c. fin. n.* 2.

Secun-

Secundò, si supplicans duo narraverit, v. g. dicendo eum, cujus beneficium petit, esse illegitimum, & beneficium ipsum violenter occupâsse, & Pontif. utrumque narrationis punctum sub alternatione repetat, scilicet si possessor sit illegitimus, vel beneficium violenter occupaverit, sufficiet per impetrantem alterutrum probari, quamvis in probatione unius defecerit. *c. inter cæteras. 4. hoc. tit.*

Tertiò in medio recuperandæ possessionis, etsi spoliatus narraverit rei spoliatæ dominium, vel jus in beneficio violenter ablato pertinere ad se, sufficiet probare spolium, sine probatione dominii, aut juris, propter privilegium spoliati, nec audietur pars adversa ante restitutionem volens probare liberam cessionem Juris post spoliationem factam, quia non est verisimile, quod liberè renuntiet, qui renuntiat Spoliatus. *c. 2. de restit. spolia. vid. Joan. Hon. h. t. n. 8. & seq. ubi multa allegat.*

Conveniunt IV. in dispositione *capituli. super litteris 20. hoc tit.* ubi deciditur quæstio non tantum in Jure Canonico, sed etiam Civili *ex L. 2. & 5. C. si contra jus, vel utilitatem publicam* moveri solita, quid sentiendum sit, de rescriptis *obreptitiè*, vel *subreptitiè* impetratis? hæc autem verba quamvis promiscuè à Doctoribus accipiantur, magis tamen communiter *obreptitiè* impetratum dicitur, quod est impetratum per falsa narrata, *subreptitiè* verò, quod est impetratum per tacitam sive occultatam veritatem, circumstantiam, 11

Digitized by Google

aut qualitatem, quæ reſcribenti exprimi debuiſſet. *Barb. in eodem c. ſuper litteris. n. 3.*

In hac igitur quæſtione ex ſententia Pontificis (quæ etiam ad Jus Civile accomodari poterit, cum ibidem tam clara deciſio non habeatur) diſtinctio facienda eſt, utrùm narrata falſitas, vel occultata veritas fuerit per malitiam & dolum, vel utrùm per ignorantiam aut ſimplicitatem? priori caſu, mendax peccator, ait Pontifex, & Imperator *in d. L. 5.* carere debet penitus impetratis, & nullum commodum ex talibus litteris conſequi. Quod Doctores communiter intelligunt, ut licet reſcriptum habuiſſet plura capitula ſeparata, & doloſa *ob* vel *ſubreptitio* fuiſſet cauſa tantùm partis reſcripti, ſive unius, aut alterius capituli, nihilominus in pœnam mendacii in totum vitietur, & corruat reſcriptum, propter illa verba generalia, *penitus*, & *nullum commodum &c.* quæ exceptio propterea etiam Specialis eſſe poteſt ab illa regulâ, quod in his, quæ ſeparantur, utile per inutile non vitietur. *Panorm. in eodem c. ſuper litteris. n. 2. Barb. ibidem n. 4.* Imò aliquando non tantùm effectu ſuæ petitionis carere debet mendax peccator, ſed etiam ſi nimia inveniatur mentientis improbitas, arbitrio Judicis condignâ pœnâ mulctari *in d. l. 5.* ab Imperatore jubetur.

Altero caſu quando falſitas expreſſa, aut veritas occultata fuerit per ignorantiam vel ſimplicitatem, rurſus ſubdiſtinguendum eſt, an talis fuerit ſuggeſta falſitas, aut veritas occultata

quæ

quæ etsi fuisset tacita vel narrata, nihilominus rescriptum saltem in forma communi concessum fuisset, & tunc Judex in tali rescripto datus non sequens formam in litteris appositam secundum ordinem Juris communis in causa procedere debet. veluti si quis per ignorantiam, vel simplicitatem narrâsset Papæ, quod in sua patriâ omnes causæ summariter expediantur, & ideò Papa delegâsset causam cum clausula: *processus summarii, & appellatione remota &c.* si illa narratio falsa esset, tunc à delegato non forma hujus rescripti, sed ordinarius processus juris observandus foret. si verò cognita *ob:* aut *subreptione* nullas rescribens litteras dedisset (ut si quis post desertam appellationem, aut transactionem interpositam litteras, & delegationem causæ impetret, nulla desertionis, vel transactionis facta mentione) Judex in rescripto datus non debet ulterius procedere, quàm ut partibus ad suam præsentiam convocatis de precum qualitate & veritate cognoscat, ac, si falsas noverit, rescriptum invalidum declaret, nec se ampliùs in causa intromittat.

Hæc porrò decisio proprièquidem tantùm de 12
rescriptis *justitiæ* loquitnr, & ideò non desunt, qui velint aliud in rescriptis *Gratiæ*, & privilegiis obtinere, ut in his quæcunque *ob:* vel *subreptio* etiam per simplicitatem aut ignorantiam facta rescriptum vitiet, & inutile reddat. *argum cap. non potest*, & *c. si motu. de præbendis in 6.* ubi rescriptum gratiæ ad beneficium obtinendum ir-

ritum declaratur, si impetrans quantumcunque modicum beneficium prius habitum reticeat, licet summus Pontifex illis, qui modicum beneficium habent, aliud supperaddere soleat, neque ibi distinguitur, an per ignorantiam, vel malitiam hæc reticentia contigerit. ita docet *Gloss. in eodem c. si motu, in verbo taceatur.* Sed probabilius videtur cum Joan. Honorio *hoc tit. num.* 8. Prospero Fagnano *in d c. super litteris. n* 54. quod prædicta decisio litteris quoque gratiosis conveniat, eatenus saltem, ut gratia per ignorantiam, aut simplicitatem subreptitiè obtenta non vitietur, si rescribens aliàs non obstante subreptione concessisset. Idque ex diversis Juris Canonici textibus non obscurè colligitur, nimirum ex *c. dudum.* 14. *vers. considerantes, de prebendis in* 6. ubi valere dicitur rescriptum Papale super beneficio, licet taceatur, quòd sit de collatione Episcopi, vel alterius habentis privilegium conferendi illud. quod tamen hodie in Germania non procederet propter Concordata, in quibus S. Pontifex pollicetur, quòd non velit turbare ordinariam collationem. qua de re plura inferius in tit. *de prebendis.* ubi ex instituto de Concordatis Germaniæ. deinde in *c. si pro Clericus.* 8. *eodem tit.* tacitus defectus Ordinum necessariorum ad beneficium non vitiat rescriptum, si impetrans intra tempora à jure statuta potest ordinari. Item in *c. gratia.* 7. *de rescriptis. in* 6. dicuntur valere litteræ à Papa impetratæ super beneficio, licet mentionem non fecerint de alio beneficio,

quod

quod impetranti absenti, & ignoranti, interim per Episcopum collatum est.

Ad textus contrarios responderi potest dupliciter, vel quod procedant, si non ex ignorantia, sed ex proposito & dolo *ob*: vel *subreptio* contigerit, *arg à contrario, in d. c. gratia*, vel quòd procedant in illis circumstantiis & qualitatibus, quæ de jure, consuetudine, aut stylo Curiæ Romanæ, vel Imperatoriæ specialiter exprimendæ sunt. prout etiam in lib. 4. Decretal. *tit de consanguinitate & affinitate*. diximus, circa dispensationes in impedimentis Matrimonii certas circumstantias esse S. Pontifici explicandas, quibus tacitis dispensatio invalida censetur; sicut latè tractat Sanch. *de Matrim. lib. 8. disput. 21. & seqq.*

Cæterum licet aliqui inter causas beneficiales, & privilegia differentiam facere velint, ut privilegia etiam non dolosa subreptione obtenta indistinctè invalida sint, rectius tamen hanc differentiam reprobat Fagnanus *cit. l. n. 79.* eò quòd in materia subreptionis beneficia, & privilegia parificentur, & utraque ad rescripta gratiæ pertineant teste Innoc. *in c. cum dilecta 22. hoc tit. n. 3.*

Demùm & illud adhuc observandum est, quod si falsa narratio, sive ex proposito, sive ex ignorantia facta, nec directè, nec indirectè concernat materiam in rescripto contentam, aut ejus causam, ut si impetrans rescriptum justitiæ falso dixerit, se nobilem, graduatum &c. non vitietur rescriptum. *Innoc. & Host. in c. ex litteris. de transactionibus.*

13 Conveniunt V. RESCRIPTA *gratiæ*, & *juſtitiæ* quòd vitientur vel ſaltem falſificata cenſeantur propter manifeſtum latinitatis errorem. cùm enim multorum Officialium manus tranſeant, non eſt veriſimile, eos patentem errorem incorrectum reliquiſſe. *c. ad audientiam. & ibi gl. ff. & DD. hoc tit*: quod ex eadem ratione etiam de reſcriptis ſæcularium Principum intelligunt Panorm. & Barb. *in eod. c. in fin.* non obeſt. *L. qui habebat. 54. ff. de manumiſſis teſtament. L ſi in nomine. & L. errore. C. de teſtamentis.* ubi error ſcribentis non præjudicat reliquæ diſpoſitioni, quando de voluntate diſponentis apparet, quia hoc procedit in teſtamentis, vel aliis inſtrumentis contractuum, quæ alicui tabellioni vel privato ſine accedente reviſione aliorum Officialium ſcribenda committuntur, in quibus propterea facilè aliquis error intervenire poteſt.

Deinde licet multi Doctores cum Gloſſ. *in d. c.* 11. & Romano *conſilio* 376. *n.* 11. teneant, ex manifeſto latinitatis errore reſultare de falſificatione litterarum præſumptionem *juris*, & *de jure*, contra quam non admittatur probatio propter illa verba generalia *in cit. cap.* poſita: *fidem te nolumus habere.* Videtur tamen ſatis probabilis & æqua ſententia Laurentii, quem allegat *Gloſſ. cit. l.* hanc præſumptionem eſſe *juris tantùm*, & illa verba: *fidem te nolumus habere*: intelligi, quamdiu aliunde de veritate litterarum non apparet. Cur enim non evenire poſſit, ut quod in Curia Romana ab uno privato ſcribitur, quam-

quamvis aliorū manus pertranſeat, non ita tamē accuratè, quoad ſingula verba, ob multitūdinē rerū, & occupationū obſervetur, & ſupponatur ſecundùm ſolitam formā ſcriptum eſſe, quo ſenſu etiam accipi poſſunt leges præallegatæ, & facit textus *in L. illicitas. §. veritas. ff. de officio Præſidis.* quod *veritas rerum geſtarum erroribus vitiari non debeat.* Præterea, ſi latinitas in reſcripto ſit minus elegans vel dubia, & excuſabilis, vel apud alios authores & ſcriptores ita nonnunquam, quamvis barbarè, uſitari ſolita, aut ſit defectus unicus litteræ, vel Syllabæ, non ideo reſcripto fides deroganda eſt. *c. indignum. diſt.* 38. *c. ex parte de fide inſtrumentorum. d. l. qui habebat. ff. de manumiſſis teſtamento.*

Conveniunt VI. quod cum Apoſtolica ſedes 14
in ſuis litteris conſuetudinem hanc teneat, ut Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos *Fratres*, cæteros autem Reges, Principes, vel alios cujusvis ordinis *Filios* appellet, & cùm uni tantūm perſonæ litteræ ſcribuntur nunquam ſit uſus pluralis numeri, ideò ſi in aliquibus reſcriptis hæc obſervata non fuerint, & inferior Epiſcopo, vel ſæcularis Princeps *frater* appelletur, aut ſingulari perſonæ *vos*, ſive *veſter* ſcribatur, tale reſcriptum ſive *gratiæ* ſive *juſtitiæ* falſum reputabitur, *c. quâm gravi.* 6. *de crimine falſi.* ubi ſummus Pontifex in fine monet, litteras Apoſtolicas diligenter inſpiciendas eſſe, tam in bulla, filo & charta, quàm in ſtylo, ſeu modo dictaminis à curia uſurpato, ne falſæ pro veris admittan-

mittantur: uti etiam *in c. licet ad Regimen. eod. tit.* pleroſque modos, quibus litteræ, & bullæ falſificari poſſunt, ennarat.

15 Conveniunt VII. in illa quotidiana & practica quæſtione, an & quando raſura, vel deletio litterarum in reſcripto inventa illud vitiet, vel ſaltem de falſitate ſuſpectum reddat? cujus quæſtionis deciſio non tantùm reſcriptis, ſed aliis, etiam ſcripturis & inſtrumentis accomodari poterit. Dicendum proinde, quòd regulariter quidem ex raſura vel delectione litterarum oriatur falſitatis præſumptio. *d. c licet ad regimen. de crimine falſi. c. cum olim.* 12. *in fine de privilegiis c. cum venerabilis, de Religioſis domibus. L. 3. & ibi DD C. de edicto D Adriani tollendo.* ſed ab hac regula aliquot ſint exceptiones, ut 1. ſi reſcriptum fuerit clauſum, & ſignatum coram Ordinario exhibitum, tunc enim potius præſumetur raſura in Cancellaria, quàm ab impetrante facta fuiſſe. *Joan. Honorius hoc tit. n.* 20. 2. Si raſura non ſit in loco ſubſtantiali, hoc eſt, in tali reſcripti vel inſtrumenti articulo, undè potiſſima quæſtio dependet, quod plerumque accidit ſi raſura ſit in parte narrativa facti, non in diſpoſitiva juris, & reſcribentis. *c. ex literis. 3 de fide inſtrumentorum.* 3. ſi raſura ſit modica paucarum litterarum, quæ non mutet ordinem ſive ordinarium ſenſum. 4. ſi ex antecedentibus & conſequentibus vel aliis conſimilibus inſtrumentis ſatis conſtet, raſuram ſuſpectam non eſſe, neque aliter ſcribi debuiſſe. 5. ſi reſcri-

reſcriptum vel inſtrumentum reperiatur penes adverſarium litis, raſura vel deletio in dubio dolo ejus cenſetur contigiſſe. *Baldus in l. 1. C. de fide inſtrumentorum. Joan. Honorius cit. l. 6.* ſi ſcriptura abraſa in parte ſubſtantiali per manum cognitam ejuſdem Notarii vel Scriptoris, qui primum reſcriptum vel inſtrumentum conſcripſit, reſtituta ſit. ſed quia non pauci dexterè aliorum manus in aliquibus præſertim verbis imitari noverunt (quæ cauſa etiam fuit quod hodiè *comparatio litterarum* ſemiplenam tantùm probationem in judicio faciat, *authent. at ſi contractus. C. de fide inſtrumentorum.*) Ideo Panor. *in c. cum venerabilis. De Religioſis domibus n.* 8. putat, hanc cautelam eſſe adhibendam, ut Notarius vel Scriptor in eadem charta atteſtetur raſuram, & ſcripturæ repoſitionem ſuâ manu factam eſſe. circa quam Panor. cautelam accuratè obſervat Maſcardus *de probat: vol 3. concluſ.* 1251. quod ſaltem in inſtrumentis publicis ſuper contractibus & ſimilibus negotiis confectis debuerit illa raſura, reparatio Scripturæ, & cautela fuiſſe de corpore inſtrumenti, id eſt, facta in continuo, antequam teſtes, & partes inſtrumento præſentes diſcederent, & aliis ſolennitatibus inſtrumentum expeditum eſſet, nam quod ex poſt facto per ſolum Notarium adſcribitur, non ſtatim publicam fidem meretur, quæ potiſſimum præter perſonam Notarii aliis etiam ſolennitatibus ad publicum inſtrumentum requiſitis tribuitur.

Couveniunt VIII. Rescriptum quodcunq; 16
gratiæ

Digitized by Google

gratiæ aut juſtitiæ invalidum cenſeri, ſi in præjudicium vel Reipubl. vel alicujus tertii non facta ſpeciali de illo præjudicio mentione impetratum ſit. ita *in L fin. C. ſi contra jus*, &c monentur Judices, ut nullum reſcriptum, quod generali juri vel utilitati publicæ adverſum videatur, proferri patiantur. Ita *in c. cum ordinem. 6. hoc. tit.* dicitur, quòd Ciſtercienſes Religioſi (idem eſt de aliis) non teneantur reſpondere reſcriptis Apoſtolicis contra ſua privilegia impetratis, ſi eorum privilegiorum mentionem non faciant. Ita denique reſcripta inutilia cenſentur, quæ contra tranſactiones, vel appellationes deſertas, vel lite pedente, niſi circumſtantiis omnibus expreſſis, & per viam reſtitutionis in integrum impetrantur. *l. cauſas* 16. *C. de tranſactionibus. L.* 1. 2 *&* 3. *C. ut lite pedente.*

17 Verum RESCRIPTA *gratiæ, & juſtitiæ*, ut in multis conveniunt, ita in multis quoque diſcrepant, ac inter plurimas differentias, quas colligit Petrus Rebufus *in praxi beneficiorum in tit. differentiæ inter reſcripta gratiæ & juſtitiæ*, notabiliores ſunt ſequentes.

Primò, quòd diſcrepent ratione formæ extrinſecæ, quod reſcriptis *gratiæ* apponatur filum ſericum, litteris verò *juſtitiæ* filum canabis in quo plumbum pendet. Unde *in d. c. quàm gravi. De crimine falſi.* dicitur, ad deprehenſionem falſi *filum* Bullarum diligenter inſpiciendum eſſe.

II, RESCRIPTA *juſtitiæ* tantùm ab ipſo Domino ſeu principali in negotio, ſuper quo reſcriptum

Digitized by Google

scriptum desideratur, vel saltem de mandato ejus, aut per conjunctam personam, Item & superiorem Prælatum valent impetratis *c. nonnulli §. fin. hoc tit. Clem.* 1. *Eodem*, in rescriptis verò *gratiæ* ad beneficia vel privilegia pro alio obtinentis mandatum non exigitur. *Glos. fin. in d. c. nonnulli.*

III. Rescripta *gratiæ* per sub: aut obreptionē obtenta sunt nulla ipso jure; rescripta verò *justitiæ* tantùm ope exceptionis & si adversarius contra ea non exceperit, censebitur in eadem consensisse. *Rebuffus d. l. n.* 1. & 2.

IV. In rescriptis *gratiæ* attenditur tempus *datæ*, 18
hoc est quod effectus earū dependeat ab eo tempore quo tales litteræ *datæ* sunt. Sicut exemplū habetur *in c. si eo tempore. 6. hoc tit. in 6. Si eo tempore*, inquit Pont. *quo tibi de beneficio cum cura, vel sine cura provideri mandavimus, ad obtinendum curatum beneficium idoneam non habebas etatem* (scilicet 25. annorum) *tibi, licet nunc legitimæ effectus sis ætatis, authoritate litterarum hujusmodi, cùm tempore datæ ipsarum adhuc non esses idoneus, de beneficio curā animarum habente nequaquam poterit provideri, beneficium autem sine cura, cùm ad ipsum tunc sufficientem ætatem haberes, per eas licitè poteris obtinere.* Simile exemplum est *in c. eam te. 7. hoc tit.* ubi rescriptū gratiæ ad beneficium pro executione directum ad unum ex Canonicis, ad quem collatio illius beneficii pertineat, debet per illum executioni mandari, etiamsi tempore, quo ipsi rescriptum offertur, sit factus Episcopus, si tempore *datæ* fuerit adhuc Canonicus,

Secùs

Secûs eſt in reſcriptis *juſtitiæ* in quibus tempus *præſentatæ* inſpicitur. *c. ut debitus. & ibi DD. de appellat.* ubi ordinarius Judex, non tenetur ſuperſedere proceſſu, licet pars coram eo conventa dicat, ſe reſcriptum juſtitiæ, ſive delegationem cauſæ ad alium Judicem à ſuperiore impetraſſe, antequam litteræ fuerint actualiter delegato Judici præſentatæ. Item ponamus in reſcripto *juſtitiæ* fuiſſe delegatum conſtitutum à S. Pontifice quemdam Prælatum Eccleſiaſticum, eum vero ſuæ prælaturæ ante *præſentatas* litteras renuntiâſſe, vel illâ privatum fuiſſe, ulterius officium delegationis ſuſcipere non poterit; quia tempore *præſentatæ* dignitate excidit, officium autem delegationis aliis committi, vel ab aliis recipi non poteſt, quam in dignitate perſonatu ſeu Cathedralis Eccleſiæ canonicatu conſtitutis. *c. ſtatutum. 11. hoc tit. in 6.*

19 V. RESCRIPTA *juſtitiæ* ſingulare habent, quod reſcriptis *gratiæ* non æquè ſemper accomodari poteſt, quod Judici præſentata & citato adverſario ad reſpondendũ contra ea, fianr inter partes cõmunia, ita quidem, ut impetrans reo invito nõ poſſit illis amplius renunciare, aut declarando reſtringere: ſed ſi reſcriptum habeat plures articulos, poterit adverſarius illo reſcripto in aliis articulis etiam contra impetrantem uti. *c. 1. & 2. de mutuis petit: Joan Hon. hoc tit. n. 14.*

20 VI. RESCRIPTA *gratiæ* petpetua ſunt, adeò ut nec ipſæ gratiæ, nec poteſtas data gratiæ executoribus morte concedentis etiam re inregra,

ſive antequam gratia executioni mandari cæperit, exſpiret. *c. ſi cui nulla. de præbendis in 6. c. decet. de R. I. in 6. c. ſi ſuper. de offitio delegati in 6. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloſſ. 12. n. 44. Guttier. pp. L. 1. q. 64.* quod tam in beneficiis, quàm privilegiis, diſpenſationibus aut aliis gratioſis licentiis, & facultatibus valdè notandum eſt. & dicam inferius in tit. de privilegiis. §. 3.

RESCRIPTA verò *juſtitiæ* intra annum præſentanda ſunt, poſtquam copiam Judicum habuerit impetrans. *c. ſi autem. c plerumque. hoc tit.* & re integra morte concedentis exſpirant. *c. gratum c. licet. de officio delegati.* ne tamen ex hac extinctione partes detrimentum patiantur, facta eſt regula Cancell. 12. *De revalidatione litterarum, &c.* in qua novus Pontifex *revalidat litteras gratiæ & juſtitiæ per prædeceſſorem intra annum ante diem obitus conceſſas, & debitis temporibus earum executoribus non præſentatas, ut per executores prædictos, vel ab eis ſubdelegatos, perinde ad ipſarum executionem procedi poſſit, ac debeat, ac ſi executio huiusmodi temporibus prædictis inchoata fuiſſet.*

Quare ex hac regula executor litterarum gratiæ (intellige ſi gratia ſit nondum *facta*, ſed *facienda*, ut mox dicam) & juſtitiæ non poteſt quidem ſede Papali vacante procedere, quia litteræ expirarunt, poterit tamen novo Pontifice electo inchoare ſuum officium ſine aliarum litterarum impetratione, tunc enim reviviſcunt regulæ Cancell. & cum regulis litteræ. *Gloſſa Alphonſi. ad 4. c. reg. 12, apud Joan. à Chokier.*

Sed

Digitized by Google

Sed circa id quod dictum est, delegatam *gratiæ* executionem non exspirare etiam re integra morte concedentis, videtur esse quædam aperta contradictio inter *d. cap. si super. de officio delegati. in 6. & cap. si cui nulla. vers. secùs. de præbend. in 6.* placet breviter conciliatio gloss. in *eod. cap. si cui nulla. in v. moriatur.* quod *d. c. si super* procedat si gratia & beneficium certum de facto conferatur certæ personæ per superiorem aut summum Pont. & tantùm ejus executio alteri committatur, quo casu gratiato est jus ad illud beneficium quæsitum; secus verò juxta *d. c. si cui nulla.* si per summum Pont. nulla adhuc sit facta actualis gratia, & provisio de certo beneficio, sed tantum datum mandatum de providendo & *faciendâ gratia*, ubi se facultas obtulerit, quo casu, quia gratiato nullum jus ad certum beneficium quæsitum est, talis executor comparabitur aliis delegatis, quorum officium re integrâ morte concedentis expirat. nisi delegatio favorem actualem ipsius delegati concernat, ut si ipsi in genere detur jus conferendi beneficia ad sedem Apostolicam devoluta vel reservata talibus personis, quas ipse dignas judicaverit, sicut *in sæpè d. c. si cui nulla.* habetur.

21 VII. RESCRIPTA *gratiæ* ad beneficia Ecclesiastica successori vel heredi non prosunt, nam in beneficiis non datur hereditaria successio. *c. ex transmissa, de filiis presbyterorum.* neque beneficium aliter quàm per canonicam institutionem obtineri potest. *c. 1. de R. I. in 6.* dico ad beneficia

Eccle-

ecclesiastica, rescripta verò privilegiorum (si privilegia aliàs realia & non merè personalia sint, de qua distinctione in tit. *de privilegiis* dicetur) ad successores transeunt, nisi privilegiatus tempore dati privilegii jam fuisset mortuus, tunc enim heredi non prodesset. *L. Neratius. 191. ff. de R. I. non enim videtur princeps*, inquit ibidem I. C. *beneficium, sive privilegium, quod ei, quem vivere existimabat concessit, defuncto concessisse*: hoc est, quatenus illud ad heredes sit extendendum, ut explicat Gottofr. & tradit Panor. *in c. significavit. hoc tit. n. 7.*

Verùm rescripta *justitiæ* saltem re non amplius integra, & quando in judicio producta sunt, eorúmque authoritate citatus adversarius fuit, transeunt in & contra successorem universalem sive heredem. *arg. à contrario in d. c. significavit.* si verò res adhuc integra sit, non transeunt in successorem, nisi fuerint impetrata sub nomine dignitatis, vel contra dignitatem in re vel causa non tam personam, quàm V. g. Episcopatum, Prælaturam, Principatum, concernente. *c. dilecti. de foro comp.* sicut clarè docet Innoc. *in c. gratum. 20. de officio delegati.* videatur etiam Panor. *in d. c. significavit.*

VIII. Rescriptum *justitiæ* ab adversario 22
secundò impetratum, si non faciat mentionem de priori, & insuper de notabilioribus ejusdem clausulis est nullum, & invalidum quidem. *c. cæterum. hoc tit.* sed ex probabiliori sententia tantùm *ope exceptionis*, & si primus impetrans contra

Sed circa id quod dictum est, delegatam *gratiæ* executionem non exspirare etiam re integra morte concedentis, videtur esse quædam aperta contradictio inter *d. cap. si super. de officio delegati. in 6. & cap. si cui nulla. vers. secùs. de præbend. in 6.* placet breviter conciliatio gloss. in *eod. cap. si cui nulla. in v. moriatur.* quod *d. c. si super* procedat si gratia & beneficium certum de facto conferatur certæ personæ per superiorem aut summum Pont. & tantùm ejus executio alteri committatur, quo casu gratiato est jus ad illud beneficium quæsitum; secus verò juxta *d. c. si cui nulla.* si per summum Pont. nulla adhuc sit facta actualis gratia, & provisio de certo beneficio, sed tantum datum mandatum de providendo & *faciendâ gratia*, ubi se facultas obtulerit, quo casu, quia gratiato nullum jus ad certum beneficium quæsitum est, talis executor comparabitur aliis delegatis, quorum officium re integrâ morte concedentis expirat. nisi delegatio favorem actualem ipsius delegati concernat, ut si ipsi in genere detur jus conferendi beneficia ad sedem Apostolicam devoluta vel reservata talibus personis, quas ipse dignas judicaverit, sicut *in sæpè d. c. si cui nulla.* habetur.

21 VII. RESCRIPTA *gratiæ* ad beneficia Ecclesiastica successori vel heredi non prosunt, nam in beneficiis non datur hereditaria successio. *c. ex transmissa, de filiis presbyterorum.* neque beneficium aliter quàm per canonicam institutionem obtineri potest. *c. 1. de R. I. in 6.* dico ad beneficia

Eccle-

ecclesiastica, rescripta verò privilegiorum (si privilegia aliàs realia & non merè personalia sint, de qua distinctione in tit. *de privilegiis* dicetur) ad successores transeunt, nisi privilegiatus tempore dati privilegii jam fuisset mortuus, tunc enim heredi non prodesset. *L. Neratius.* 191. *ff. de R. I. non enim videtur princeps*, inquit ibidem I. C. *beneficium, sive privilegium, quod ei, quem vivere existimabat concessit, defuncto concessisse*: hoc est, quatenus illud ad heredes sit extendendum, ut explicat Gottofr. & tradit Panor. *in c. significavit. hoc tit. n.* 7.

Verùm rescripta *justitiæ* saltem re non amplius integra, & quando in judicio producta sunt, eorúmque authoritate citatus adversarius fuit, transeunt in & contra successorem universalem sive heredem. *arg. à contrario in d. c. significavit.* si verò res adhuc integra sit, non transeunt in successorem, nisi fuerint impetrata sub nomine dignitatis, vel contra dignitatem in re vel causa non tam personam, quàm V. g. Episcopatum, Prælaturam, Principatum, concernente. *c. dilecti. de foro comp.* sicut clarè docet Innoc. *in c. gratum.* 20. *de officio delegati.* videatur etiam Panor. *in d. c. significavit.*

VIII. Rescriptum *justitiæ* ab adversario 22
secundò impetratum, si non faciat mentionem de priori, & insuper de notabilioribus ejusdem clausulis est nullum, & invalidum quidem. *c. caterum. hoc tit.* sed ex probabiliori sententia tantùm *ope exceptionis*, & si primus impetrans contra

exceperit, ſi enim primus impetrans ſuo reſcripto uti intra annum neglexerit, ſecundum valebit, etſi de primo mentionem non faciat. *c. ſi autem. c. plerumque. hoc tit.* quod fieri non poſſet, ſi reſcriptum ſecundum ipſo Jure nullum eſſet, juxta vulgatam regulam, *quod ab initio non valet tractu temporis convaleſcere non poteſt. c. non firmatur. de R. I. in 6.*

RESCRIPTUM autem *gratiæ* ab adverſario ſecundò impetratum contra id quod prius obtinuit, ſi non faciat de meo priori mentionem, cenſebitur ſubreptitiè obtentum, & ſicut alia reſcripta *gratiæ* ſubreptitia ipſo Jure nullum, *c. conſtitutus. 19. hoc tit. c. cum olim : de ſent. & re jud. Proſper Fagnanus in d. c. cæterum. n. 5.* neque reſcribens cenſetur derogare juri, aut privilegio alterius jam prius quæſito, niſi id in ſpecie exprimat, vel niſi prior gratia ſit generalis, & ſecunda ſpecialis, cùm in toto Jure generi per ſpeciem derogetur. *c. 1. hoc tit* ut ſi uni ſit data facultas conferendi omnia beneficia certi loci, & alteri perpetua collatio ſpecialis unius vel alterius beneficii illius loci ſit conceſſa. prædictis non obſtat. *c. tibi 12. in fine. hoc tit. in 6.* ubi etiam poſterior impetrans reſcriptum gratiæ ſine mentione prioris, poteſt eo uti, quando prior in utendo ſuo reſcripto fuit negligens. quia in facti ſpecie illius cap. reſcripta duobus conceſſa, ut uterque in aliqua Eccleſia reciperetur in Canonicum non videntur contraria, quando Eccleſia plures Canonicos admittere poteſt, licet circa prævventionem lis ſuboriatur.

IX.

Digitized by Google

IX. Hinc DD. insuper differentiam inter re- 23
scripta justitiæ & gratiæ addunt. quod rescripta *justitiæ* juxta dicta præsentanda sint intra annum: Rescriptis verò *gratiæ* non sit certum tempus ad præsentandum assignatum. *c. si autem. 9. & ibi DD. h. t.* fatentur tamen, etiam rescripta *gratiæ* aliquando vim suam amittere, & posteriorem impetrantem beneficium præferri, si prior suo rescripto per negligentiam aut malitiam uti longiùs postposuerit. *arg. c. si Clericus. de præbend. in 6* tempus autem præsentationis esse superiori aribitrarium concludunt. *Gloss. in d. c. si Clericus. in v. negligentiam. Panorm. in c. si autem. n. 4. Staphil. de litteris gratiæ. tit. quibus modis expirent.*

In Concordatis Germaniæ. §. *de cætero*. habetur: quòd si beneficium vacaverit in mense Papali, & intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii non apparuerit, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum sit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, providere possit.

Quia verò circa illa verba: *si non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii &c.* frequens dubium occurrebat, & ordinarii Collatores illa in præjudicium collationis Papalis interpretabantur, ideò Gregorius XIII. in bulla: *quæ in Ecclesiam. &c.* 41. super iisdem verbis declarationem edidit his formalibus: *Nos indignum rati, quòd temporis mora, quod ad perscrutandum accuratius talium* (scilicet providendorum) *probitatem, industriam, & alia requisita intercedere*

pro utilitate Ecclesiæ necesse est, locum injuriis aperiat, attendentésque verba, prædicta: IN LOCO BENEFICII, *cum verbis:* NOTÆ VACATIONIS, *quæ protinus antecedunt conjungi, & ad illa duntaxat referri, ac voluntatem concedentis, sensumque concessionis. & litterarum prædictarum sic esse, ut dispositio beneficii intra tres menses à die notæ* VACATIONIS IN LOCO BENEFICII, *à sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter juris utriusque interpretes jam pridem controversa summa ratione judicatum apparet. Vix enim est, ut itineribus non modo infestis, aut prohibitis, quod ferè semper aliquo modo contingit, sed etiam expeditis, quis ex tam longinquis Regionibus ad dictam sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel paulisper moratus in easdem se recipere tantâ temporis angustiâ possit. Quocirca æquitate & justitiâ suadentibus præsentium authoritate declaramus, concessionem Nicolai Papæ* (qui erexit concordata Germaniæ) *& litteras prædictas locum omninò non habere, quòd Ordinarii, aut alii Collatores prædicti post lapsum trium mensium ex die notæ vacationis in loco beneficii disponere possint de ullis beneficiis prædictis, altàs sub concessione & litteris prædictis comprehensis extra Rom. Curiam in mensibus prædictis quoquo modo vacantibus vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem ac dictam sedem qualiscunq; gratia, vel dispositio aut concessio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum sit, factam à sede prædicta dispositionem in longum obtegere, illi, quibus deinceps gratiæ hujusmodi concedentur, etiam concessionum fidem*

& testimonium intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii hujusmodi vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneantur.

Sed quomodo dicit Pontifex, quod propter difficultatem itineris, distantiam loci &c. multototies contingat, ut in tantâ temporis angustia (videl. 3. mensium computandorum à die notæ vacationis in loco beneficii) impetrans ad sedem profectus ex longinquis regionibus, & ibidem ad expediendum negotium vel paulisper moratus ad easdem se recipere non possit; & tamen mox subjungit, quod intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii ordinario Collatori significare collationem, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneatur. Doctores, quos videre potui, ita declarationem explicant, quòd valeat collatio Pontificia, dummodo intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii sit facta, & provisus teneatur intra eosdem tres menses provisionem Ordinario significare, aut publicare in loco beneficii, si commodè possit, & temporis angustiâ non coarctetur. *Georg. Branden super Concord. German. post quæst. 12. notab. 1. n. 6. & notab. 2. n. 4. Paulus Laym. Theol. Mor. lib. 4. tract. 2. cap. 10. n. 3. Henricus Wagnerek. in Exegesi. Tit. de præbendis. super §. 3. Concord. pag. 120.*

Forsan etiam insinuare voluit Gregor. non esse captandum ab Ordinariis illud verbum: *si non apparuerit &c.* quasi requiratur personalis ap-

paritio provisi coram Ordinario intra tres menses, sed sufficere, ut significationem vel publicationem *quoquo modo*, id est, prout commodius potest, etiam per litteras exequatur.

An autem omittens significationem vel publicationem provisionis coram Ordinario intra tres menses cadat propterea Jure suo? non est satis in d. Bulla Gregoriana expressum, nec invenimus hactenus authorem, qui id affirmaret, benè autem qui neget, *Branden. d. Notab. 2. n. 5.* ubi expressè sentit, propter omissam publicationem intra tres menses non esse provisionem à Gregorio annullatam: quod confirmari potest ex eo, quod rescripta gratiæ ex sua natura sint perpetua, cum deceat concessum à Principe beneficium esse mansurum, *c. decet. 16. de R. l. in 6. Joan. Hon. ad tit. de rescript. n.* 11.

Etsi consentientibus DD. rescripta gratiæ longè sunt favorabiliora rescriptis justitiæ seu ad lites, inconveniens videretur, ut rescripta justitiæ retinerent effectum suum per annum. *c. si autem. c. plerumque. de rescript.* Rescripta autem gratiæ intra tres menses amitterent.

Adde, quod ex communi sententia non nisi ex causis à jure expressis privatio beneficii obtenti inducatur. *Garc. de benef. p.* 11. *c.* 10. *in princ. Joan. Honor. ad. tit. de prebend. p. 3. n.* 1.

Dices, si provisus potest impunè negligere publicationem intra tres menses, ergo ille terminus gratis fuit positus in Bulla Gregor. cùm tamen verba Papæ aliquid operari debeant. *c. si*

Re-

Digitized by Google

Reſponderi poteſt 1. cùm hæc conſtitutio prouideat utilitati Eccleſiarum, quæ nonnunquam ex diuturniori vacatione damnum accipiunt. *c. ne pro defectu. de Elect. c. quam ſit. Eodem tit. in* 6. & ideò æquitati naturali ſit conſona, obſtringet proviſos etiam in foro interno, ut ſi commodè poſſint, proviſionem intra tres menſes Ordinario notificent. Juxta receptam doctrinam, quòd lex juſta in foro externo obliget etiam in interno. DD. communiter cum *D. Thoma. 1. 2. q* 96. *art.* 4.

2. Quòd negligenti publicationem poſſit etiam in foro externo pæna arbitraria dictari, juxta receptam pariter doctrinam, quod ubi lex prohibet actum ſine determinatione pænæ, pæna ſit Judici & ſuperiori arbitraria. *Julius Clarus. lib. 5. ſentent. q.* 83. *& ibi additio prima. Menoch. de arbitr. c.* 381.

3. Quòd culpari graviter non poſſet ordinarius Collator, ſi elapſis tribus menſibus & nulla ſibi de proviſione Papali factâ notitiâ beneficium conferret, præſumendo, vel proviſum aliquem non eſſe, vel ſaltem non intra tempus legitimum, quamvis ad hoc præceps & feſtinus eſſe non debeat, ne litem ſeminet inter eum, cui ipſe contulit, & proviſum Apoſtolicum, qui ſi ex poſt facto apparuerit, & cauſas rationabiles non factæ publicationis celeris attulerit, haud dubiè illo, qui collationem ab ordinario accepit potior erit, dummodo intra legitimum tempus Romæ proviſus fuerit. Si verò juſtam cauſam

non habuerit, sed ex negligentia vel malitia publicationem longius distulerit, erit in superioris arbitrio uter in beneficio præferendus sit, juxta dicta in principio hujus quæstionis. Nec videtur multum obstare, quòd in d. Bulla Gregor. XIII. *quæ in Ecclesiam in princ.* redarguantur Ordinarii qui elapsis tribus mensibus mox beneficia non apparentibus provisis Apostolicis conferre contendebant, quia ex contextu sequenti colligi potest, quod Ordinarii non tantùm conferebant, sed nullum prorsus Apostolicæ provisioni post trimestre tempus sibi oblatæ, & quacunque de causa eousque dilatæ locum faciebant. Consultius tamen fuerit, ut jam prænonitum, ordinarium collatorem post lapsum trium mensium non illicò ad collationem procedere propter multa inconvenientia, quæ inde sequi possunt, sed potius adhuc per tempus Vicarium in beneficio deputare.

Demùm an iste terminus trium mensium computandus à die notæ vacationis in loco beneficii pro exhibitione provisionis Apostolicæ præfixus habeat etiam locum circa provisionem aliorum beneficiorum non solum in mensibus, sed quomodocúuque reservatorum? ex sæpè dicta Bulla Greg. satis decidi non potest, quia contextus est solùm de beneficiis vacantibus in mensibus Papalibus. Interim quia ratio Bullæ est generalis: ne cuiquam licitum sit factam à sede dispositionem in longum obtegere: & tendit in utilitatem Ecclesiarum, quibus citius

de

Digitized by Google

de Rectoribus providetur, tollit incertitudinem Juris conferendi, & nihil disponitur contra jus commune, profecto erroris damnari non posset, qui id ipsum probabiliter affirmaret, ex vulgato juris axiomate: ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio, & quoties aliquid lege introductum est, bona occasio est cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel Jurisdictione supplere. *Text. in l. non possunt. & L. nam ut ait. ff. de LL.*

Titulus IV.

Est Tit. 33. in Lib. 5. Decretal.

De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum.

Quod hæc rubrica etiam *de excessibus Privilegiatorum*, inscribatur, Compilator Decretalium, eam in librum V. ubi *de vitiis* agit, rejecit; sed quia plerique DD. materiam *legum*, *constitutionum*, & *rescriptorum* tractantes propter affinitatem *privilegia* quoque annectunt, quæ exinde ob multa cõmunia principia facilius explicant, ideò & nobis idẽ faciendũ videbatur.

§. I.

Quid & quotuplex sit Privilegium.

Summaria.

1. *Privilegium quid.*
2. *Privilegium aliud clausum in corpore juris & aliud extra. & quid interst.*

Digitized by Google

3. *Privilegium aliud reale, aliud perſonale, aliud corporale, aliud communiter perſonale.*
4. *Quid ſi dubitetur de qualitate privilegii.*
5. *Privilegium aliud contra, aliud ultra jus.*
6. *Privilegium aliud motu proprio, aliud ad preces conceſſum, & quid interſit.*
7. *Privilegium aliud merè gratioſum, aliud remuneratorium, vel ex pacto.*

Alia Summaria quære poſt §. 2.

1 PRIVILEGIA deſcribuntur ab Ethymologia nominis, *in c. 3. diſt. 3.* quod ſint *leges privatorum*, quaſi *privatæ leges*, eſt enim privilegium jus, vel indultum ſingulare in certæ perſonæ aut cauſæ gratiam à ſuperiore conſtitutum. Licet verò privilegium in ſe ſpectatum diſtinguatur à lege communi, quòd hæc communiter pro omnibus lata ſit, privilegium verò certarum tantùm perſonarum favorem reſpiciat; nihil tamen impedit, quin lege communi privilegium contineatur, quatenus tale privilegium ab omnibus aliis ſciatur, & perſonis privilegiatis ſervetur.

2 Unde dividitur primò PRIVILEGIUM, quòd aliud ſit *clauſum in Corpore Juris*, aliud *datum per ſpeciale reſcriptum* Principis. *Clauſum in corpore Juris* eſt, quòd inter alias leges Corpori Juris inſertum eſt, prout ſunt privilegia Eccleſiatum & Eccleſiaſticorum, quæ habentur paſſim tam in Jure Canonico tum etiam Civili. *in tit. Cod. de SS. de Eccleſiis. & C. de Epiſcopis & Clericis.*

PRIVILEGIUM Studioſorum, ne coram alio judice, quam Magiſtratu Academico conveni-

veniantur. *anth. habita. Cod. ne filius pro patre.* & plura alia, ut privilegia pupillorum, minorennium, militum, fiſci, creditorum & ſimilia.

Econtra privilegium datum per *ſpeciale rſcriptum Principis* dicitur illud, quod extra Corpus Juris certæ alicui perſonæ, communitati, vel loco per ſpeciales litteras, vel diploma, Bullam vel indultum conceſſum eſt.

Inter utrumque Privilegium quoad effectum hoc intereſt, quod Privilegium *clauſum in Corpore Juris* non debeat judex ignorare, & propterea ſi contra tale Privilegiũ privilegiato comparitionem in judicio, vel quid aliud injungat, non teneatur privilegiatus obtemperare. *c. 1. & 7. de exceſſibus Prælatorum.* ſi verò judex mandet, vel aliquem citet contra Privilegium ſpecialiter extra Corpus Juris impetratum, quod, cum ſit facti ignorari poteſt, privilegiatus tenetur ſaltem pro reverentia judicis comparere, & Privilegium ſuum exhibere. *c. cum perſonæ. de Privilegiis in 6. & L. ſi quis ex aliena. ff. de judiciis*

Deinde privilegia extra Corpus Juris plerumque ſunt temporalia & ſtrictæ interpretationis, nec extenduntur ultra perſonas, quibus conceſſa ſunt: privilegia verò clauſa in Corpore Juris ordinariè ſunt perpetua, & recipiunt interpretationem, ác aliquando ex paritate rationis extenſionem. ſicut ipſæ leges communes, prout à Privilegio uni cauſæ piæ vel favorabili conceſſo rectè poſſe deduci argumentum ad aliam ſimilem cauſam ex communi DD. ſententia, tradidi,

Digitized by Google

didi, *de privilegiis Monaſteriorum. privilegio 36. Lauret. de Franch. de controv. Regular. p. 2. q. 96. & ibi Paſqual. in addit.*

3 Dividitur Privilegium, quòd aliud ſit *reale*, aliud *perſonale*. *L. privilegia ff. de R. I.* *Reale* dicitur, quod directè & principaliter conceditur reſpectu rei, loci, muneris, vel dignitatis, in conſequentiam autem perſonis, quæ talem locum, rem vel officium habent: cujuſmodi ſunt Privilegia immunitatum à ſolvendis decimis vel tributis, aliæque prærogatiæ & jura ſpecialia certis prædiis aut officiis conceſſa. & quia talia privilegia cohærent rei, tranſeunt ad quoſcunque Succeſſores & Poſſeſſores,

Perſonale eſt, quod principaliter perſonæ ſine contemplatione rei conceſſum eſt, & propterea etiam perſonam ſequitur, & cum perſona extinguitur. *d. l. privilegia & c. privilegium. de R. I in 6.* ſed hoc, ſi privilegium ſit *merè perſonale* uni certæ ſingulari perſonæ conceſſum; ſunt enim quædam privilegia quaſi *mixta*, quæ ſcilicet certo corpori aut collegio perſonarum concedunt, & ideò à quibusdam privilegia *corporalia* nuncupantur, atque hæc non tantùm penes eos manent, qui de facto in tali corpore vel collegio vivunt, ſed etiam ad ſucceſſores eorũ tranſmittuntur. Aliam etiam privilegiorum perſonalium ſpeciem conſtituunt cum Silveſtro. *V. privilegium q.* 1. quæ vocant *communiter perſonalia*, quando nec uni ſingulari perſonæ, nec certo corpori, ſed certo generi perſonarum, uti minorenn-

norennibus, militibus, & fœminis privilegium conceſſum eſt, quæ aliquando etiam ad heredem eatenus tranſeunt, ut illis heredes ſaltem ex perſona defuncti, & circa caſus, qui jam tunc in vita ejus evenerunt, uti poſſit ; ita ſi minor ex contractu læſus & intra tempus reſtitutionis mortuus ſit, beneficium reſtitutionis in integrum etiam heredi ejus indulgetur. *L. non ſolùm 6. ff. de in integrum reſtitut.*

Sed quid ſi dubitetur, an *perſonale* vel *reale* ſit privilegium ? R. Ante omnia formam verborum benè attendendam eſſe, an principaliter in rem, vel conditionem, vel potius in perſonam dirigantur. ita ſi privilegium detur alicui Prælato ſub nomine dignitatis V. g. Tibi Epiſcope Salisburgenſis : non expoſito vel ſaltem poſtpoſito nomine proprio, cenſebitur *reale* & dignitati conceſſum, *arg. c. quoniam*, 14. *de officio delegati. Panor. in c. mandata. 6. de præſumpt. n. 2.* Item etiam natura privilegii conſideranda erit, an ſit tale, quòd ordinariè etiam ſucceſſoribus concedi ſoleat, vel non. quòd ſi neque ex his ſatis appareat, communiter diſtinguitur, an privilegium ſit *odioſum* ut quia contra jus commune, vel in alterius præjudicium, vel an ſit *favorabile* continens meram gratiam citra alterius præjudicium, priori caſu cenſebitur *perſonale*, juxta regulam, quòd odia reſtringenda ſint, & quæ à jure exorbitant, non debeant trahi in conſequentiam. *c. odia. & c. quæ à jure. de R. I. in 6.* poſteriori verò *reale*, & habebit locum, quod dicitur. in 4

c. 16. *de R. I. in* 6. *decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* & in *L.* 3, *ff. de constitut. Principum.* beneficium Principis quàm plenissimè interpretari debere.

5 Hinc colligitur tertia divisio, quòd aliud Privilegium sit *contra jus*, & consequenter strictæ interpretationis, ut exemptio à solvendis decimis, à jurisdictione ordinarii, &c. aliud sit *ultra jus*, & interpretationis largioris, veluti potestas absolvendi à reservatis, dispensandi, &c. quando scilicet ipse actus sive materia Privilegii, non est quidem in se jure prohibita, sed tamen non nisi certis personis concessa

6 Quartò dividitur, quòd aliud sit datum *ad preces* sive supplicationem privilegiati, aliud *motu proprio*, quod posterius tunc tale censetur, si hæc ipsa clausula (*motu proprio*) litteris Privilegii inserta sit, etiamsi fortè privilegiatus per se vel per alium pro eo supplicaverit. *textus & Gloss. in c. si motu de præbendis. in* 6. Est autem inter utrumque notabilis differentia, quod privilegium *motu proprio* concessum non tantùm sit altero favorabili[9] & plenissimæ interpretationis. *c. quamvis.* 4. *cum ibi notatis per Gloss. in verbo plenissimè de præbendis. in* 6. sed etiam non possit sub: vel obreptionis argui. *d. c. si motu.* Econtra verò quod sine dicta clausula simpliciter ad preces conceditur, corruit propter falsa narrata, vel tacitam veritatem, quæ de Jure aut stylo curiæ exprimi debuisset, subintelligitur enim semper illa tacita conditio, *si preces veritate nitantur. c.* 2. *& passim.*

Quinta

Quinta demûm diviſio eſt, quòd quædam pri- 7
vilegia ſint *merè gratioſa* quædam verò *remuneratoria* vel ſub reciprocâ privilegiati obligatione ad aliquid dandū vel faciendū conceſſa, adeoq; *conventionalia*: priora habent tacitā conditionem ut durent, quam diu Principi vel Succeſſoribus placuerit: poſteriora verò maximè conventionalia ad inſtar aliorum contractuum ſunt perpetua, & non niſi ex urgentiſſima cauſa ad bonum publicum pertinente revocantur.

§. II.

Qualiter acquirantur Privilegia?

Summaria.

8. *Ad privilegij conceſſionem an requiratur Scriptura? & ibi de Reg. Cancell. 25. & 53. quid in utroque foro operentur.*
9. *Quis poſſit privilegia concedere.*
10. *Privilegia non ſubditis conceſſa nequeunt revocari.*
11. *De communicatione privilegiorum.*
12. *Privilegium an, proſit â tempore datæ, vel notitiæ?*
13. *Privilegiū acquiritur conſuetudine & præſcriptione.*

Alia Summaria poſt §. 3.

PRimus acquirendi modus eſt ipſa actualis 8
conceſſio ſuperioris, ad quam ex communi DD. ſententia non requiritur ſcriptura, ſed etiā oretenus facta ſubſiſtit. *text. in Clem. dudum. §. nos etenim. & ibi Gl. in v. verbo. de ſepulturis Extrav. etſi Dominici. de pœnit. & remiſſ. Zoes. h. t. n. 3.*

De ſtilo tamen Curiæ Romanæ & ex Regulis Cancellariæ Apoſt. Gratiæ ante expeditionem littera-

litterarum dicuntur *informes*, & nulli ſuffragantur diſpenſationes in judicio vel extra, antequam ſuper iis litteræ Apoſtolicæ ſint confectæ, quia quòd S. Pontifex in ſignatura ad libellum ſupplicantis ſimpliciter per verbum *fiat* concedit, id deinde primum in litteris Apoſtolicis cum certis clauſulis extenditur vel limitatur. *vid. Reg. Canc. 25. de non judicando juxta formam ſupplicationis, ſed litterarum expeditarum. & reg. 53. ut nulli ſuffragetur diſpenſatio niſi litteris confectis. & utrobique Joan. à Chokier in comment. in reg. Canc.*

Utrum autem ſaltem in foro conſcientiæ uti liceat diſpenſatione vel gratia ante litterarum expeditionem dubitatur? negativa videtur verior Joanni à Chokier. *ad d. Reg. 53. n. 11.* eo quod à tempore Pii V. in illa regula addita ſint verba, *in judicio vel extra cuiquam ſuffragetur, &c.* allegat Garc. *de benef. p. 4. c. 1. n. 13.* & hæc ſententia tutior eſt. altera tamen affirmativa non eſt improbabilis, quam docet Abbas Rebuf. Guttierez & alii apud Chokier *d. l. ſub n. 10.* & citati apud Zoes. *h. t. n. 4.* quibus adde Paulum Laym. *in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 23. ſub n. 10.* ratio adjungi poteſt, quod gratia quoad ſuam ſubſtantiam (licet non quoad omnes qualitates) dicatur perfecta per ſolam ſignaturã. *Barb. Jur. Eccleſ. univ. lib. 3. c. 13. n. 199.* & quamvis Pontifices noviſſimè addant in regula, *in judicio vel extra*, tamẽ iſtud verbũ *extra*, poteſt habere aliũ ſenſum, quam ut forũ conſcientiæ reſpiciat: ne V.g. Epiſcopus vel Paroch⁹

poſſit

poſſit extrajudicialiter procedere ſecundum gratiam ex ſola ſignatura.

Nom ine autem ſuperioris qui privilegia con- 9
cedere valeat, præter ſummum Principem veniunt etiam inferiores Domini, ſaltem circa tales materias, de quibus ipſi legem vel ſtatuta concedere poſſunt. Neque refert, an privilegiatus ſit ſubditus privilegiantis, dummodo materia privilegii ſit ſub ejus Jurisdictione. ita poteſt Princeps alicui extraneo concedere privilegium, ut in ſuo territorio ſit liber à ſolvendis vectigalibus. ita Imperatores multa privilegia partim in Jure communi, partim per ſpecialia diplomata Eccleſiis & Eccleſiaſticis conceſſerunt, quamvis non ſint ſub Jurisdictione ſæcularium Principum, *c. quanquam. de cenſibus. in 6.*
Imò volunt DD. privilegium conceſſum non 10
ſubdito, & in ſpecie Eccleſiis habere naturam pacti, conſequenter revocari non poſſe. *Gloſſ. in c. 16. de R. I. in 6. verſ. ex hac regula. Innocent. & Panor. & Felin. in c. novit de judiciis. Zoes. h. t. n. 39.*

Secundò acquiritur privilegium per *commu-* 12
nicationem, quando ſuperior privilegium, quod uni ſimpliciter conceſſit, etiam ad alterum extendit. ita privilegia unius Univerſitatis, vel Religionis ſolent communicari alteri Univerſitati vel Religioni. prout in Theſibus *de foro competenti.* dixi, *c. 3. §. 4.* huic noſtræ Univerſitati in diplomate Pontificio & Cæſareo communicata eſſe omnia & ſingula privilegia aliarum Univer-

ſitatum Italiæ, Galliæ & Germaniæ *non ſolùm ad earum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter &c* Alia quoque exempla communicationis privilegiorum ſunt *in c. 2. h.t. in 6. L. omnia. Cod. de Epiſcopis & Clericis; in L. penult. Cod de Advocatis diverſorum judiciorum* & ſpecialem tractatum *de privilegiis ad inſtar* id eſt comunicationis ſcripſit Horatius Mandoſius.

Eſt autem notandum, quòd regulariter hæc communicatio privilegiorum tantùm intelligatur de præſentibus tempore communicationis, & non comprehendat nova privilegia, quæ priori privilegiato poſt communicationem acceſſerunt: niſi amplitudo verborum communicationis ſit talis, ut inde poſſit colligi mentem privilegiantis fuiſſe etiam circa futura: econtra ſi privilegio *ad inſtar*, ſive communicatioui addantur nova quædam privilegia, non propterea gaudebit iisdem prior privilegiatus, cujus privilegia communicata ſunt, quia dantur ſecundo privilegiato ſine reſpectu ad primum, & aliàs privilegia ultra perſonas, vel tres expreſſas ordinariè extendenda non ſunt.

Quòd ſi PRIVILEGIUM alteri communicatum penes primum privilegiatum prorſus abrogetur, vel reſtringatur, non nocebit ſecundo privilegiato per communicationem, quia hujus privilegium dependet quidem à priori in productione, ſed non in conſervatione, ſicut rectè docet Suar. *de legibus. c. 15.*

12 Quæritur hoc loco, an privilegium ſtatim effectum

fectum ſuum habeat à tempore collationis, vel potius tunc primum, quando devenerit in privilegiati notitiam, ab eoque acceptatum fuerit? V. g. an privilegiatus ſuper decimis & tributis non ſolvendis poſſit ceſſare in ſolutione decimarum vel tributorum à die dati, vel potius accepti privilegii? Communior ſententia diſtinguit, an ſuperior per ſe, & motu proprio, vel etiam ad inſtantiam alicujus tertii ſine mandato tamen privilegiati contulerit privilegium, vel an privilegiatus ipſe vel per epiſtolam vel Procuratorem pro eo ſupplicaverit. Primo caſu non habebit effectum privilegium ante acceptationem: ſicut quælibet alia donatio, vel beneficii collatio; *L. abſenti. ff. de donat. L. qui abſenti.* 38. *ff. de acquirenda poſſeſſione. c. ſi tibi abſenti. de præbendis in 6* niſi ſuperior velit privilegium ſtatim effectum ſuum habere; quod ab ejus voluntate dependet. Altero autem caſu ſtatim à die collationis incipit effectus, quia tunc quando privilegiatus ſupplicat, & ſuperior concedit, jam adeſt mutuus conſenſus, & conſequenter perfecta, donatio; ſicut notat Silveſter. V. *privilegium n.* 16. *Sanch. de matrim. lib.* 3. *diſp.* 36. videantur tamen quæ dixi *in Man. Paroch. p.* 3. *cap.* 5. §. 6. *n.* 17. ubi argumenta pro & contra latius expendi, in ordine ad illam quæſtionem, an licentia à proprio Parocho data alieno Sacerdoti ad aſſiſtendum Matrimonio debeat neceſſariò prius huic innotuiſſe?

Tertiò acquiritur privilegium conſuetudine 13

vel præſcriptione præſertim illa, cujus initium hominum memoriam excedit, quæ communiter ipſi privilegio æquiparatur. *text. & DD. in c. novit. de judiciis. & in c ſuper quibusdam. de verborum ſignificat.* ſed & minori tempore videlicet contra privatos 30. contra Eccleſiam 40. annorum ſpatio privilegium vel exemptio aliqua præſcribi poteſt. *c. de quarta. ç. cum olim. de præſcript.* dummodo illæ conditiones adſint, quæ in tit. *de conſuetudine. & de præſcript.* traduntur.

§. III.

Quallter amittantur privilegia.

SUMMARIA.

14. *Privilegium amittitur per interitum perſonæ aut rei privilegiatæ.*
15. *Gratia non expirant morte concedentis, & ibi de indulto conferendi beneficia reſervata.*
16. *Privilegium amittitur per abuſum, & ſi incipiat eſſe nocivum.*
17. *Privilegium amittitur per renunciationem expreſſam, niſi concernat publicum favorem.*
18. *Exempti an & quando ſuæ exemptioni renunciare poſſint, & quanta præſcriptio currat contra exemptionem.*
19. *Latè examinatur difficilis quæſtio, quando per renunciationem tacitam, non uſum, aut uſum contrarium amittantur privilegia & ibi ſingularis interpretatio* c. ſi de terra. 6. h. t.
20. *Privilegium quando ceſſet ceſſante cauſa finali.*
21. *Revocatione quando & qualiter amittantur privilegia.* *Alia Summaria poſt §. 4.*

Amit-

AMittitur privilegium primò per *interitum personæ* aut *rei privilegiatæ* personæ quidem, 14
si privilegiũ personale, rei verò, si reale sit. verũtamen non indistinctè per interitum rei interit etiam privilegium reale, sed tunc demùm, si vel authoritate superioris, vel aliunde sine spe refectionis res privilegiata destruatur. Si verò per ruinam, bellum, aliúmve casum domus V. g. privilegiata corruat, conservantur ejus privilegia, & reviviscunt, si denuò reficiatur. *L. æde sacra. ff. de contrahenda emptione. Gloss. in c. 7. in V. privilegium personale de R. I. in 6.*

E converso per mortem superioris privile- 15
gium concedentis regulariter non amittitur ipsum privilegium, etiamsi superior re integra, id est, antequam privilegiatus suo privilegio utatur, decesserit, juxta receptum Juris axioma, quòd *gratiæ etiam re integra morte concedentis non expirent. c. si super. 9. de officio deleg. in 6. c. si cui nulla. de præbendis in 6.* ita si quis obtinuerit privilegium à Pontifice vel Episcopo absolvendi à reservatis, dispensandi in certis casibus, poterit uti suo privilegio etiam post mortem Pontificis, vel Episcopi concedentis.

Exceptionem tamen addit Pontifex *in d. c. si cui nulla. in fine* circa gratiam, quæ datur per viam commissionis sive delegationis, quæ non tendat in ipsius Comissarij, sed alterius tertij favorem v. g. ut alicui personæ certæ causâ cognitâ de beneficio provideat, dispensationem concedat, qualis gratia *faciendæ* dicitur, & expirat

morte concedentis re integra, antequam delegatus commissionem suam executioni mandaverit, sicut idem etiam accidit in rescriptis justitiæ, per quæ causa aliqua judicialis ad commissionem Papæ spectans inferiori committitur, & delegatur, ejus delegati officium expirat morte delegantis re integra. *c. relatum. & c. gratum 20. de officio delegati.* Distinguitur autem gratia *facienda* à gratia *facta*, de qua *in c si super. 9 de offic. deleg. in* 6 quod per illam tam provisio vel dispensatio &c. quàm executio demandetur, in hac autem gratiam ipsam perficiat Pontifex, & tantùm alteri ejus executionem committat, quæ proinde gratia, cùm jam in vita S. Pontificis fuerit perfecta, debet etiam post mortem ejus executioni mandari.

Censetur præterea aliquando gratia per viam commissionis data esse in favorem ipsius commissarii vel delegati, si universalis commissio ad plures causas facta sit v. g. ut semper authoritate Papæ talis de beneficiis reservatis aliis providere, vel in certis casibus dispensare posset, quæ morte concedentis non expirat. *d. c si cui nulla. & ibi Barb. in collect. DD. n. 1. latè Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 28.* quid autem circa indultum conferendi beneficia reservata speciale sit ex Reg. 15. Cancell. vid. inferius. *n.* 21

Præterea etiam videtur addi posse illa limitatio circa privilegium motu proprio concessum, quòd per superius dicta ad effectum producendum juxta communem requirit utriusque con-

Digitized by Google

consensum, & privilegiati notitiam & acceptationem, si ergo mors concedentis præveniat acceptationem, interrumpit voluntatem ejus, & consequenter deficit utriusque consensus. *arg. L. absenti ff de donationibus. juncta L 4 ff. locati.*

Secundò amittitur Privilegium *per abusum* privilegiati, si occasione privilegii delinquat, veluti si quis spe immunitatis in Ecclesia crimen committat. *c. ult. de immunitate Eccles. c. ubi dist 74.* 16

Tertiò si privilegium cedere incipiat in grave aliorum vel communitatis detrimentum, saltem per sententiam revocari potest. *c. suggestum de decim & c penult. de Cler non residentibus.*

Quartò per *renuntiationem expressam*, quæ fit per pactum, aut verbis expressis eriam amittitur privilegium, quia quilibet potest favori pro se introducto renuntiare. *L. penult Cod de pactis.* sed hoc, si privilegium præcisè favorem particularis personæ respiciat, secus verò si principaliter concessum sit in favorem publicum, vel certi Ordinis, aut communitatis, vel si alterius, quàm solius privilegiati interesse in tali privilegio versetur. Quemadmodum Clerici privilegio *fori & Canonis* in honorem totius Ordinis Clericalis concesso renuntiare nullatenus possunt. *c. si diligenti. de foro compet & c. contingit. 36. de sent. excom.* Item etiam exempti suæ exemptioni in præjudicium summi Pontificis, cujus jurisdictioni immediatè subsunt, renuntiare non valent. *Panor. in c. cum tempore. de arbitris.* Hinc etiam 17

est, quòd contra talem exemptionem non nisi centenaria præscriptio, quæ sola contra Romanam Ecclesiam currit, admittatur. *Arnold. Rath. Professor quondam meus colendiss. in Tract. de usucap. assert.* 38. *Fach. lib.* 1. *consiliorum. consilio* 56. *per text. in c.* 4. *de confirmatione utili. & in c. ad audientiam de præscript.*

18 Interim, quia privilegium non debet esse onerosum privilegiato, ne quod ob gratiam alicujus conceditur, in ejus dispendium retorqueatur. *contra reg.* 61 *juris in 6* ideò graves DD. sustinent, quòd exempti cum suorũ Prælatorum consensu (vel etiam sine hoc, si à Prælatis irrationabiliter negetur) subjicere se possint Episcopo, ut ab eo absolvantur à peccatis ac censuris, vel dispensetur cum eis in voto, juramento, irregularitate, casu quo Episcopus, non autem Prælatus Ordinis talem facultatem haberet. *Henriq. l.* 7. *c.* 25. *n.* 2. *& l.* 15. *c. ult. in fine Molina tract.* 3. *disp.* 61. *Laym. in Theol. mor. l.* 1. *tract* 4. *c.* 23. *sub n.* 7.

19 V. Amittitur PRIVILEGIUM per *renuntiationem tacitam*, quæ juris interpretatione censetur fieri per *non usum privilegij*, aut *usum contrariũ*. Et in hoc quidem omnes DD. facilè consentiunt.

Sed difficillima & propter diversos utriusque juris textus plurimum intricata conversia est, quanto temporis spatio & quot actibus iste *non usus privilegij* vel *usus contrarius* debeat fuisse continuatus, ut dici possit privilegium ob *tacitam renunciationem* amissum?

Etenim in *L.* 1. *ff. de nundinis* ait JC. *nundinis impe-*

Digitized by Google

impetratis à Principe, non utendo qui meruit decennij tempore usum amittit.

In *l. voluntariæ C de excusat. tutor.* rescripsit Imper. *voluntariæ tutelæ munera privilegijs nihil derogant.* cujus sensum exponit Salicet. & DD. communiter, quòd habens Privilegium, ne teneatur tutelas pupillorum suscipere, non præjudicet suo Privilegio, si unam voluntariè suscipiat.

In *c. cùm accessissent. de Constitut.* Ecclesiæ cujusdam Canonici habuerunt statutum à Sede Apost. confirmatum, ne primiceriatus, in eorum Ecclesia amplius dignitas esset, sed fructus & proventus ejus inter Canonicos distribuerentur, rescripsit S. Pontifex hoc statutum debere in suo robore permanere, *nisi postea dicti Canonici contravenerint, aliquem in primicerium eligendo.*

In *c. si de terra. 6. h. t.* Alex. III. Abbati & Monachis S. Andreæ Cisterc. Ord. decisionem dedit in hæc verba: *Si de terra quam habetis in Parochia Canonicorum de Plautio, per triginta annos eis decimas persolvistis, eas sibi de cætero integrè persolvatis. Licet enim privilegiorum Romanorum beneficio Fratribus Cisterc. Ord. indultum fuerit, quod de laboribus nullas decimas persolvere debeant, de privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis: cùm liberum sit unicuique suo juri renunciare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri.* in hoc igitur cap. *in triginta annorum* decursu tacita privilegii renunciatio censetur. At

In *c. accedentibus. 16. eod. tit.* Innoc. III. *de quadraginta annis* responsum dedit: *Mandamus*, in-

quit, *quatenus si Abbas & Monachi sufficienter ostenderint, quòd à Templariis decimas de terris prædictis per quadraginta annos continuè perceperint sine lite, vos ad præstationem ipsarum Templarios compellatis. cum enim tanto tempore contra privilegia decimas solverint, eis renuntiâsse tacitè præsumuntur. Quod si in probatione defecerint ac ipsorum impetitione Templarios absolvatis.*

Circa istorum textuum diversitatem varii varias excogitârunt conciliationes & resolutiones, uti videre est apud Gloss. Panorm. & Barbos. *cc. cc* prima Conciliatio est Sumarii *in d. c. si de terra* & Panorm *in d. c. accedentibus.* 15 *n.* 4. quod quidquid sit de jure Civili, de Jure Canonico privilegia Ecclesiarum olim quidem tempore Alex. III. fuerint extincta lapsu triginta annorũ, cùm & aliæ præscriptiones rerum Ecclesiasticarum olim nonnunquam 30. annis fuerint admissæ, *c Sanctorum de præscript.* id tamen postea per Innoc. III. *in d c. accedentibus*, ad 40. annos fuerit extensum. Verùm hæc sententia aliis non immerito displicet, eò quod longè ante tempora Alex. & Innoc. III. ab Antecessoribus Pontificibus & Justiniano Imper. præscriptio quadragenaria fuerit introducta. *c.* 2. 16. *q.* 5 *de quarta, & c. illud* (quod *cap.* est ipsiusmet Alex. III.) *de præscript. auth. quas actiones. C de SS Eccles. Et d. c. Sanctorum.* Summarium & Gloss. de præscriptione Ecclesiæ contra privatum interpretantur, ad eum modum, quo de Jure Civili præscriptio 30. annorum datur. *tit. C. de præscript.* 30. annorum.

Altera

Alterà ſolutio eſt Gloſſ. *in d. c. accedentibus, in v. per XL. annos.* quòd privilegia perdantur eodem tempore, quo præſcribitur contra jus commune, quòd verò *in d c. ſi de terra.* triginta annorum, & *in c. accedentibus*, quadraginta annorum mentio fiat, non eſſe diſpoſitionem *juris*, ſed narrationem *facti*, quia ſcil. in facti contingentia illorum Capitulorum ita accidit. quando autem tempore contra jus comune præſcribatur Gloſſa ulterius non decidit.

Barbòſa *in d c. ſi de terra*, quàmvis *n.* 4. præfatam Gloſſæ interptetationem reiicere, tamen deinde *ſub. n.* 7 planè cum eadem convenire videtur. dicit enim ſe exiſtimare, quòd allegati textus nec in tempore 30. nec 40. annorum, ſed in tacita renunciatione ſe fundent, & iſtius tacitæ renunciationis præſumptio ex non uſu vel uſu contrario longo tempore etiam duntaxat decem annorum contra ipſas quoque Eccleſias inducatur.

Paulus Layman. *in Theol. moral lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *n.* 21. cum Suarezio & aliis, quos citat. facit diſtinctionem inter privilegia *affirmativa*, quæ ſcil. dantur ad aliquid faciendum, uti eſt privilegium nundinarum, vectigalium exigendorum, &c. & inter privilegia *negativa*, quæ ſunt ad non faciendum V. g immunitas à ſolvendis decimis, vectigalibus, &c. illa *affirmativa* ſi aliis ſint oneroſa cenſet amitti per *non uſum* lapſu decennii: *arg d. l.* 1. *ff. de nundinis.* nam & privilegium nundinarum inter oneroſa numerat

rat. Gloss. pen. *in c. ut privilegia. h t.* cum saltem oneri sint Mercatoribus incolis, quo minus propter adventum exterorum res suas distrahere & lucrum captare valeant. Modo tamen utendi occasio fuerit, alioquin non valenti agere non curret præscriptio, ut si habens jus gladii longo tempore nullum malefactorem cœperit. *vid. Gail. lib. 2. obs. 60. n. 6.* Ista verò *negativa* ait duplici via amitti posse, vel per viam præscriptionis (quod maxime procedit, quando Adversarius aliquis est in possessione contra privilegium, ut *in 1. c. accedentibus.*) & tunc Ordinarium tempus præscriptionis requiretur : vel per viam tacitæ renunciationis, & tunc sufficiet *actum contrarium* privilegio exercere, dumodo ex circumstantiis, vel lapsu temporis præsumi possit actū contrariū animo renunciandi privilegio factum fuisse.

Addit verò exceptiones. ut I. circa privilegia nemini onerosa tam affirmativa V.g. dispensandi, absolvendi, consecrandi, &c. quàm negativa, V. g. non jejunandi, &c. quæ ex plurium sibi adstipulantium opinione docet per non usum aut usum contrarium haudquaquam perire, cum in similibus non usus vel usus contrarius sit actus liberæ voluntatis qui non inducit præscriptionem vel renunciationem : præsertim si privilegium non consistat in uno solo actu, sed habeat causam successivam & effectū reiterabilem. *arg. d. L. voluntariæ. C. de excusat. tut.* & idem docet in qq. Canon. *de prælat electi Dilinge disput. q* 225.

II. Tradit, privilegia concessa principaliter

in

in favorem Ecclesiæ, alteriusve communitatis, non posse tolli per renunciationem particularium personarum, V. g. Prælati, Cleri, nisi superveniat tempus præscriptionis legitimum. Cæterùm autem quid in specie respondendum sit ad textum in *d. c. si de terra. h. t.* ubi tacita renuntiatio Monachorum habetur pro sufficienti, etsi tempus 40. annorum ad præscriptionem requisitum non fuerit elapsum; ultetius non explicat. sed Suarez. *de LL. cap.* 34. *n.* 18. & 24. & ex eo Barbosa *in d. c. si de terra. sub n.* 7 singulariter admotavit, quòd hæc sit privilegiorum natura, ut per non usum amittantur, & sub hac tacita conditione ab initio intelligantur concessa tam respectu Ecclesiarum, quàm aliorum.

Quid ergo in re tam perplexa statuendum? Expediret sanè in hac DD. altercatione, quæ in praxi frequenter magna præjudicia secum trahere potest, apertiorem juris declarationem habere, interim antequam ea ab aliquo S. Pontifice emanet, cuilibet liberum relinquo, quàm ex relatis opinionibus tanquam probabiliorem sequi velit. Mihi, salvo meliori judicio, videtur difficultas omnium facillimè enodari per illam exceptionem, quam superius ex Glos. *in d. c accedentibus. h. t* attulimus, nimirum quòd mentio de 30. & 40. annis *in dd. cc.* sit tantùm narratio *facti*, non dispositio juris, aliàs verò privilegia amittantur eodem tempore, quo contra jus commune præscribitur. Hæc Glossa quàmvis textu expresso non firmetur, plurimum tamē

ratio-

Digitized by Google

rationabilis est, quia privilegium lex privata est, ut in princ. tit. dictum, & cum lege communi in causa efficiente & materiali convenit, imò etiam majori ex parte in formali; & potissimũ tantùm in finali differt, quod lex communis ad publicam utilitatem, privilegium verò ad privatã tendat. ex hac ipsa tamen differentia validum argumentum à majore ad minus duci potest; si enim lex communis publicam utilitatem concernens spatio V. g. 10. annorum per non usum abrogari potest, ergo multo magis privilegium privatam tantùm utilitatem respiciens, præsertim si sit contra jus commune; aut in præjudiciũ tertii, quòd aliàs restringi meretur; & favorabilis est ad jus commune reductio: *Abb. in c. fin. de consuet. n.* 19. *& Felin. in c cum accessissent de constit.* de hac tamen reductione ad jus commune; quanto tempore fiat, & de doctrina *Abbatis & Felini. dd. LL.* videatur Gonzalez. *ad reg.* 8. *Cancell. Glossa.* 7. *n.* 9. *& multis seqq.*

Sed jam videamus quanto tempore per non usum, vel usum contrarium juri communi derogetur? fatetur Menoch. *de arbitr. Jud. lib.* 2. *cent.* 1. *cas.* 83. *n* 6. non esse jure definitum tempus ad introducendam consuetudinẽ contra legem, & ideo judicis arbitrio relinquendum, qui juxta levitatem vel gravitatem materiæ, super qua consuetudo introducta prætenditur, etiam contra Ecclesias aliquando decem, aliquando quadraginta, & aliquando immemoriale tempus determinare debeat. idem penè docet Vallensis, *tit. Decretal. de consuetud. §.* 2. *n.* 2. Alii

Digitized by Google

Alii verò distinguunt, an lex ab initio nunquã fuerit in usum deducta, vel an fuerit aliquando deducta, sed postea contrario usu intermissa: priori casu censent spatium *decennii* etiam contra legem Ecclesiasticam sufficere, posteriori autem contra legem Civilem decennium, contra Ecclesiasticam 40. annos requiri. *Garc. de benefic. p. 7. c. 1. n. 137 Navar. in Man. confess. cap. 23. n. 40. 41. & 62. Erasmus à Chokier de jurisd. Ordin. in exempt. p. 1. q. 50 n. 26. Zoes ad tit. Decretal. de consuetud. n. 24. Layman. in Theol. Mor. lib. 1. tract. 4. cap. 3. n 4 ubi plures allegat.*

Et ista opinio videtur optimè ad nostrũ propositum accommodari, atque per eam plures textus & DD. inter se conciliari posse, ut scil. illi qui amissioni privilegiorum ex non usu quadraginta annos præscribunt, intelligantur de privilegiis semel receptis & usitatis qui verò minori tempore V. g. 10. annorum contenti sunt, intelligantur vel de jure Civili, vel etiã de jure Canon. in privilegiis quæ nunquã in usum devenerunt.

Specialis quidem adhuc supereſt ratio dubitandi circa *d. c. si de terra. de privileg.* ubi privilegium immunitatis à solvendis decimis pridem fuit Ordini Cist. concessum, & utique etiam saltem in aliis locis in usum deductum, & tamen minori tempore quàm 40. annis amissum. Sed sciendum est, quod privilegium Cistercien-sium, & aliorum Monachorum, ne teneantur de laboribus suis dare decimas; *sit clausum in corp. juris. c. decimas. 16. q. 1. c. ex parte. 10. cum*

X de

X. de decimis. ideoque comparetur legi communi, juxta dicta ſuperius *ſub n.* 2. ſicut ergo lex potuit in uno loco fuiſſe, & non in altero, ita quoque tale privilegium, ſi ab erectione Monaſterii ejus uſus per longum tempus fuerit non tantùm intermiſſus, ſed inſuper contra privilegium nemine cogente actum. forſan autem nonnunquam talibus novis religioſis ex juſta cauſa per reſtitutionem in integrum ſuccurreretur. *arg. L. un. C. ſi adverſus uſucap junct. c. 1. de in integr. reſt.* Quod ſi quis in favorem Religionis interpretationem ſingularem tentare vellet, & dicere, hic nos verſari in caſu medio, ubi privilegium Ordini conceſſum partim receptum eſt, partim non receptũ quoad ſpecifica loca, ideoque S. Pontificem, *in d. c. ſi de terra* plus quam 10. & minus quâm 40. annos ſcil 30. ſtatuiſſe, putarem non omni probabilitate deſtitui. licet autem obiici poſſet, idem conſequenter debere dici de aliis legibus, quæ in aliquibus locis receptæ non ſunt; aſſignabilis tamen foret diſparitas, quod inter locum & locum minor ſit connexio, quam inter Monaſteria ejuſdem Ordinis. ut nihil dicamus, quod ipſum per aliam legem vel Canonem (abſtrahendo à præſenti) deciſum non ſit, quanto tempore lex præſertim Canonica alicubi recepta in particulari loco aboleatur.

Cur autem Eccleſia minori tempore amittere debeat Privilegium nunquam ab initio in uſum deductum, quàm deductum & poſtea intermiſſum

missum? ratio non incongruè assignari potest, quod jus ptivilegii semel in usum deductum quoad proprietatem & possessionem verè incorporatum sit Ecclesiæ, ideóque sicut alia jura incorporalia Ecclesiæ, sine debitis solennitatibus, aut legitima præscriptione alienari nequeat. At verò privilegium, cujus usus & possessio nunquam cepta est, videtur comparari posse rei nunquam traditæ, seu Ecclesiæ bonis incorporatæ, prout in servitutibus aliisq; juribus incorporalibus usus sciente & patiente adversario traditionis loco habetur. *l. 3. ff. de usufructu. l. fin. ff. de Servitutibus. l. 1. §. 2. ff. de servitut. rust. præd.* quales res ex communi DD. sententia etiam sine solennitate renunciari possint, cum potius censeantur pleno jure non acquiri, quàm alienari. *arg. l. 6. ff. quæ in fraud. credit.* ut in tit. *de reb. Eccles. non alien.* dicemus. *vid. Sylv. v. alienatio. n. 14. Riccius in praxi aurea. p. 1. resol. 92.* & proinde hæc ipsa renunciatio per non usum longi temporis vel usum contrarium in privilegiis juxta naturam ipsorum facta censebitur.

Illa quoque non est contemnenda interpretatio Barbosæ *in d.c. si de terra. h.t. n 5* circa diversitatem textuum *in eod. c. si de terra. & in c. accedentibus. h. t.* quod *in c. accedentibus.* ideò 40. anni fuerint expressi, quia ibi agebatur de vera præscriptione Monachorum contra Templarios, cum de jure communi decimæ ad Monachos non pertinebant; at verò *in c. si de terra.* non fuerit opus præscriptione ex parte Canonicorum,

utpote ad quos in illo casu jure Parochiali spectabant decimæ, sed tantùm renunciatione & amissione privilegii ex parte Cisterciensium, (quæ ex non usu, vel potius usu contrario longo tempore continuato præsumitur) eâque factâ ipso jure decimæ ad Canonicos tedibant.

Textum porrò *in c. cum accessissent de constitut.* ubi unico actu videtur renunciari posse privilegio, explicat Barb. *ibid. n.* 8. quod istud privilegium non habuerit tractum successivum, sed unico effectu constiterit, & ideò per unicum actum contraventionis tolli potuerit, sicut enim extinctio dignitatis (de qua in illo *cap.*) unico actu perficiebatur, ita contraventio unico actu facit, ut ea de novo erecta & privilegium revocatum censeatur.

Quòd si verò privilegium haberet *tractum successivum & effectum reiterabilem*, v. g. non solvendi decimas, vectigalia &c. censet cum Suar. *de LL. lib.* 8. *c.* 35. *n.* 12. *& seq.* per unum actum contraventionis non amitti privilegium, dari tamen, exinde adversario quasi possessionem in ordine ad præscribendum contrà privilegium.

20 VI. Perditur PRIVILEGIUM, si cessat *causa finalis*, ob quam datum est, secundùm regulam, quòd cessante causa cesset effectus. *c. cum cessante.* 40. *de appellat.* Interim cùm ordinariè (nisi aliter constet de mente concedentis) dependeat quidem privilegium à causa finali in produci, non verò in conservari, ideò habebit locum alia regula 73. *juris in 6.* quòd factum legitimè tractari

ctari non debeat, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. v. g. si Monasterio ob ejus temporis inopiam concessum sit privilegium decimandi in aliena Parochia, vel exemptio à decimis in propriis agris, non expirabit hoc privilegium, licet Monasterium postea facultatibus augeatur. *Zoes. h. t. n.* 22. Quare hic quintus modus amittendi privilegium tunc præcipuè procedit, si finis non tantùm cesset negativè sed contrariè, si scilicet usus privilegij ratione mutatæ materiæ, vel circumstantiarum fiat illicitus & injustus, vel si in ipsiusmet privilegiati detrimentum cedat. veluti Clericus minorennis in causis beneficialibus agere potest in judicio sicut majorennis. *c. ult. de judic. in* 6. non tamen propter hoc privilegium tanquam majorennis à beneficio restitutionis in integrum excludetur, quod enim ob gratiam alicujus est introductum, non debet in ejus odium retorqueri. *c. quod ob gratiam. de R. I. in* 6.

Sextò demum amittitur Privilegium *revocatione* concedentis, vel ejus heredum. est enim hæc ordinaria natura privilegiorum, ut sub tacita revocationis conditione dari soleant, prout cum Gloss. communiter sentiunt interpretes *ad c. novit. de judicijs. & ad reg.* 16. *juris in* 6. sunt autem hìc aliqua breviter notanda. 21

Si superior privilegio addiderit clausulam, *ad beneplacitum meum, quamdiu voluero &c.* expirabit privilegium sine alia revocatione sola morte concedentis, quia per mortem interrumpitur e-

jus voluntas, & beneplacitum. *c. ſi gratiosè. de reſcriptis in 6. juxta L. 4. ff. locati* ſecus eſt ſi v. g. dixerit, *ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopalis*, quia ipſa ſedes non moritur. *d. c. ſi gratiosè.* Item ſi dicitur, *donec revocavero &c.* nihil immutatur morte concedentis, quia ex vi & genuino ſenſu talium verborum requiritur poſitiva & actualis revocatio. *Cov. variarum reſolut. l. 3. c. 15.* illud quoque ſpeciale eſt ex reg. Cancell. 9. & 15. quod *indultum ſeu privilegium conferendi beneficia reſervata* per creationem novi Pontificis revocetur, & conſequenter ejus renovatio denuò petenda ſit. Interim nihil videtur obſtare, quin ſede Papali vacante exerceri poſſit, præſertim ſi beneficia ſint tantùm ex regulis Cancellariæ reſervata, ut in menſibus Papalibus, regulæ enim Cancellariæ morte S. Pontificis expirant, & Sede vacante non obligant, ut in lib. 3. in tit. de præbend. dicemus, ubi de regulis Cancellariæ & Concordatis Germaniæ agemus. Hinc non inconvenienter circa *indultum conferendi beneficia reſervata* pronuntiari poteſt, quod *vivat mortuo etiam ſummo Pontifice* (ut ſuperius *n.* 16. traditum) *& mortuis regulis Cancellariæ* (quæ ſede vacante non ligant) *Pontifice autem & regulis reviviſcentibus moriatur, & reſuſcitatione indigeat.* Inter regulam autem 9. & 15. hoc intereſt, quòd in illa ſit quidem ampliot derogatio & revocatio cum multis efficacibus clauſulis, ſed ratione reſervationis menſium tantum. in reg. autem 15. ſit quidem generalis revocatio indultorum circa bene-

Digitized by Google

beneficia reſervata, ſed loquatur tantùm de indultis ad vitam alicujus, vel aliud certum tempus conceſſis, neque habeat valde amplas clauſulas, vide Chokier *in reg. Cancell. ad reg.* 8. *Cancell. & reg.* 14. ubi *in reg.* 8. *Gloſſ* 14. *n.* 4 etiam illud notabile ponit, quòd indulta & privilegia per has regulas revocata ſede Papali vacante, mortuis regulis reviviſcant, uſque dum demùm creato novo Pontifice revocentur, vel ab eodem approbentur.

2. Privilegia data non ſubditis aut cauſa remunerationis, vel per viam conventionis non revocari niſi ex cauſa publica, ſupra in §. 1. diximus. & docet Bald. *in L. ult. ff. de Senatoribus.*

3. Per legem generalem non derogatur particularibus privilegiis, niſi eorum mentio fiat, vel addatur clauſula, *non obſtantibus quibuscunq; privilegijs ſub quacunque forma conceſſis*, quia lex generalis tollit aliam generalem prius latam ſibi contrariam, ſed non particularem legem, ſtatutum, vel conſuetudinem, *c.* 1. *de conſtit. in* 6.

4. Lex generalis ſine expreſſa & ſpeciali mentione non tollit privilegia clauſa in corpore juris, & prius per legem generalem certis perſonis data. Imò etſi lex poſterior habeat clauſulam, *non obſtantibus privilegijs, &c.* volunt tamen DD. hanc clauſulam (niſi aliter conſtet de mente legislatoris) non intelligi de privilegiis clauſis in corpore juris, utpote quæ non ſint ſimpliciter privilegia, ſed etiam leges communes. *Barb. ad principium hujus tit. n.* 8. v. g. ſi Pontifex mandat,

Digitized by Google

fructus Clericorum obæratorum de ſuis beneficiis ſequeſtrari per Epiſcopum ad ſolvenda debita non obſtantibus privilegiis; per hanc legem non cenſeretur comprehenſum privilegium, *c. Odoardus, de ſolutionibus* ex quo Clericus obæratus non tenetur in ſolidum, ſed quantum facere poteſt, deducta congrua ſuſtentatione, ſed fortaſſis tantùm privilegium exemptionis à jurisdictione Epiſcopi. &c.

5. Si contra privilegium prius conceſſum concedatur alteri novum privilegium vel reſcriptum, cenſebitur hoc poſterius privilegium per reſcriptum tacita veritate & ſubreptitiè obtentum, adeóque invalidum, niſi de priori fecerit mentionem. *c.* 1. *& c. cum ordinem. ubi Gloſſ. & Panor. de reſcriptis. c ex parte.* 12. *ff. de officio delegati.* vel niſi prius privilegium fuerit generale, poſterius verò ſpeciale; generi enim per ſpeciem derogatur. *c. generi* 34. *de R. I. in* 6. & exemplum videri poteſt *in c. dudum. §. nos igitur. & c. quamvis tibi. de præbendis in* 6. Sed & hoc ipſum non procederet, ſi per ſpeciale privilegium alteri in jure quæſito grave præjudicium oriretur teſte Panor. *in d. c.* 1. *de reſcriptis.* & textus eſt *in c. cum ex tua. de filiis Presbyterorum.*

Poſtremò privilegii revocatio, ut effectum habeat, debet privilegiato inſinuari à ſuperiore, ne aliàs plura incommoda ſequantur, ſi privilegiatus ex ignorantia revocationis uteretur ſuo privilegio, ex parte verò adverſa poſteà talis uſus vel actus indè ſecutus impugnaretur, ſi tamen

men revocatio fieret per legem generalem cum illa clausula, *non obstantibus quibuscunque privilegijs.* sufficeret generalis promulgatio, quæ aliàs in promulgatione legum servari solet. *Sanch. de matrimonio. lib. 3. disp. 30.*

§. IV.

In specie de Privilegio Exemptionis à Jurisdictione Episcopi vel Ordinarii.

SUMMARIA.

22. *Exemptio quid & quotuplex.*
23. *Exempti alij nullius diœcesis, alij in, sed non de (diœcesi.*
24. *Exemptio in capite & membris, quid.*
25. *Eximere quis possit.*
26. *Exemptio acquiritur etiam præscriptione.*
27. *Episcopus habet fundatam intentionem contra exemptos. & ibi an pendente lite possit uti sua jurisdictione.*
28. *Exemptio quibus verbis probetur.*
29. *In loco exempto non potest Episcopus exercere contentiosam jurisdictionem.*
30. *Potest tamen ibi celebrare divina, non verò alios actus Ordinis exercere.*
31. *Episcopus procedit aliquando contra exemptos ut delegatus, aliquando ut Ordinarius.*
32. *Exponitur* c. 1. h. t. in 6.
33. *Regularem exemptum delinquentem quis puniat.*
34. *Ab Episcopo procedente contra exemptos qualiter appelletur.*

CUm in h. t. frequentissima fiat Privilegii *exemptionis* mentio, & in praxi crebra inter exemptos & ordinarios sint jurgia, ideò quædam

saltem certiora ad intellectum jurium & authorum de hoc jure loquentiũ necessaria exponam.

22 Sciendum igitur I. *Exemptionem* esse privilegium, quo persona aut locus à jurisdictione Episcopi vel Ordinarii subtrahitur, & sumo Pontifici immediatè subjicitur.

Dico, *persona* aut *locus*, est enim exemptio alia *personalis*, quæ certæ personæ, alia *localis*, quæ certæ Ecclesiæ, Monasterio, vel etiam territorio conceditur. Possum9 addere exemptionem *mixtam*, quæ scilicet *loco* & *personæ* adhæret, prout diversi Religiosorum ordines non tantùm quoad sua Monasteria, sed etiã ad personas suas, ubicunq; existant, exempti sunt. *c. cum capel.* 16. *h. t.*

23 Sciendum II. Exemptos alios dici *nullius diœcesis*, alios *in diœcesi quidem, sed non de diœcesi*; *Nullius diœcesis* sunt, qui habent speciale territorium, ac populum exemptum, ubi jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, ac Ordinarii nomine veniunt, quamvis ipsi Episcopi non sint, sed tantùm Prælati, vel Præpositi aut similes. *In diœcesi, sed non de diœcesi* dicuntur, qui quidem quoad suas personas, vel particularem aliquem locum, v. g. Monasterium exempti sunt, cæterùm autem populum aut territorium exemptum non habent, sed intra fines certæ diœcesis sive Episcopatus existunt.

24 Sciendum III. Aliam exemptionem esse tam *in capite quàm in membris*, quando scilicet non tantùm principalis locus, sive Monasteriũ aut Collegium exemptum est, sed etiam omnes capellæ, be-

beneficia & Parochiæ annexæ. Aliam autem *in capite tantùm*, quando tantum ipſe principalis locus exemptus eſt, non autem annexæ Parochiæ, vel beneficia. *c. ex ore. 17. h. t.* Quo poſteriori caſu illud notandum eſt, quod Abbas V. g. exemptus pro talibus locis non exemptis Epiſcopo reverentiam exhibere, ad Synodum diœceſanam comparere, ejusque mandata ſuper illis membris ſuſcipere teneatur, ita tamen, ut in Synodo diœceſana prærogativam & primum poſt Epiſcopum locum obtineat. *d. c ex ore.*

Sciendum IV. exemptionem præſertim in capite & membris regulariter tantùm à ſummo Pontifice concedi, quia ipſe ſolus poteſt juri Epiſcoporum derogare, aliquando tamen ex juſta cauſa, & accedente Capituli conſenſu poſſe etiam Epiſcopum aliquam Eccleſiam ſuæ diœceſis à ſua Jurisdictione eximere, & loco exempto unire, adeo quidem, ut talem exemptionem amplius revocare non valeat, docet Barb. *de officio Epiſcopi. parte 3. allegat. 89.* 25

Sciendum V. exemptionem non tantum acquiri privilegio, ſed etiam præſcriptione 40. annorum maximè quoad membra non exempta, ſi caput exemptum ſit. *d. c. ex ore. & c. auditis. c. cum olim. de præſcript. optimè Panor. in c. cum non liceat. circa finem. de præſcript.* Non obſtat, quod contra obedientiam & viſitationem non admittatur præſcriptio. *d. c. cum non liceat. & cum ex officio. de præſcript.* R. enim non poſſe præſcribi contra obedientiam *extinctivè*, ita ut nulli debea- 26

tur obedientia, posse tamen *translativè*, ut alteri quàm Episcopo scilicet summo Pontifici vel Abbati obedientia exhibeatur. *Barb. d. p. 3. allegat. 128. n. 3 & 8.*

27 Sciendum VI. Episcopum habere intentionem fundatam in Jure contra omnes in sua diœcesi existentes, ita ut qui se exemptum dicit, hanc exemptionem coram Juris prudentibus, & non suspectis ab Ordinario deputandis probare debeat. *c. cum personæ. 7. h.t. in 6.* an autem pendente lite super exemptione Ordinarius possit uti sua Jurisdictione, distinguitur *in eodem c. 7.* an is, qui se dicit exemptum, alleget privilegium validum, vel præscriptionem unà cum privilegio, quod licet in se minus forsan subsistat, præstat tamen titulum præscribenti, vel denique an se fundet in solâ præscriptione sine productione alicujus privilegii; primis duobus casibus deciditur, suspendendam esse Episcopi Jurisdictionem, & alterum relinquendum in possessione exemptionis. In tertio autem casu etiam pendente lite Episcopum uti posse sua Jurisdictione. Verùm hujus tertii casus decisio ita declaranda est, ut non procedat, si quis fuerit in possessione exemptionis longiori tempore & considerabili, sicut ex decisione Rotæ Romanæ probat Barb. *d. p. 3. allegat. 127. n. 41.* & tradit Oliv. Beltram. *in addit. ad Greg. XV. decis. rotæ. 312.* Ricci⁹ *in praxi aurea tomo 4. resolut. 303. in fine.*

Est enim regula communis Juris, quòd *pendente lite non debeat aliquis privari commodo suæ possessionis*

sionis secundùm Rubricam & text. *c.* 1. & 2. *ut lite pendente nihil innovetur.* in dubio autem non censetur derogatum Juri communi, quod multis vigiliis fuit promulgatum juxta textum. *in L. si quando. in princ. Cod. de inofficioso testamento.* Quod si per Episcopum vel Deputatos ab eo contra exemptionem pronunciatum fuerit, dabitur appellatio ad sedē Apostolicam, per quam appellationem denuò Jurisdictio Ordinarii suspenditur.

Quibus autem verbis in litteris Apostolicis probetur vel concedatur exemptio, traditur *in c. per exemptionem. & c. si Papa. h. t. in 6.* videlicet si Papa dicat, aliquam Ecclesiam esse *exemptam, liberam, Juris B. Petri, ad sedem Apostolicam nullo medio* pertinere, vel si quosdam *in speciales subditos* recipiat. non verò probatur exemptio, si quosdam recipiat *in speciales filios*, neque etiam si priora verba ponantur in litteris, quæ non sunt conceptæ principaliter super exemptione, sed super alia causa, nam tunc talia verba, per quæ aliqua Ecclesia dicitur exempta, tantùm *narrativè*, & potissimum ex suggestione partium, non *dispositivè*, & in ordine ad probandam exemptionem censetur inserta. *d. c. si Papa.* 28

Sciendum VII. locum exemptum, & locum extra diœcesin judicandum esse, à pari proinde sicut Episcopus, vel quivis alius judex contentiosam Jurisdictionem extra suum territorium exercere & ibidem pro tribunali sedere non potest (nisi fuerit à propria diœcesi violenter expulsus) ita neque in loco exempto. *c. cum Episcopus.* 29

pus, 7. de officio Ordinarii in 6. Clement. 1. de foro competenti.

30 Celebrare tamen divina, vel coram se facere celebrari etiam in Pontificalibus in loco exemto, est specialiter concessum Archiepiscopo & Episcopo. *in Clement. Archiepisc. h. t.* dummodo sub prætextu hujus concessionis non usurpet Jurisdictionem in exemptos, aut molestiam, vel gravamen illis inferat. *text. Barb. & DD. in d. Clem.* ac locus exemptus sit in Provincia vel diœcesi propria, adeoque secùs si *nullius*, vel alterius diœcesis fuerit. Alios quoque actus Ordinis Episcopalis, ut consecrationes vel ordinationes facere in locis exemptis sine licentia superioris illius loci ac etiam Ordinarii, in cujus diœcesi locus exemptus situs est, non videtur concessum Episcopis, *arg. Concilii Trident. sess. 6. de refor. c. 5.* & notat Quaranta *in Summa Bullarii. verb. Archiepiscopi authoritas. sub n. 32.*

31 Sciendum VIII. Episcopum habere certis casibus in exemptos Jurisdictionem aliquando *delegatam*, aliquando *ordinariam*: delegatam tunc censetur habere, quando in Canone sive Jure dicitur, ut contra exemptos *authoritate Apostolica* vel *tanquam Sedis Apostolicæ* delegatus procedat, sicut dicemus inferius *in tit. ne Sede vacante. & in lib. 5. in tit. de officio delegati*, & exempla passim occurrunt in Trid. quæ aliis locis juxta suas materias posuimus. *Ordinaria* verò tunc datur Episcopo in Exemptos, quando ei simpliciter conceditur Jurisdictio, vel illa clausula additur, *non*

obstan-

obstantibus privilegiis & exemptionibus quibuscunq; tunc enim remoto exemptionis privilegio procedit Episcopus tanquam Ordinarius.

Præter alia habetur exemplum multum allegari solitum *in c. 1. h. t. in 6.* ubi Episcopo datur simpliciter jurisdictio in Exemptos, si in sua diœcesi extra locum exemptum deliquerint, contraxerint, aut pro re non exempta conventi fuerint. Attamen hanc interpretationem interpretatur Cov. *practicarum qq. c. 11. n. 5.* quòd procedat, si exemptio sit certo loco circumscripta, non autem si sit mixta, loco & personæ annexa. quæ interpretatio non tantùm confirmatur ex eodem *c. 1. §. in eos.* item *ex c. cum capella. X. h. t.* sed etiam ex Concilio Trident. *d. sess. 6. c. 3.* ubi contra Regularem exemptum extra Monasterium delinquentem Episcopus non simpliciter, sed tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedere potest. Et hoc intelligitur de eo, qui ordinariè vel saltem per longius tempus solet degere extra Monasterium, in loco non exempto, si verò delinquens extra Monasterium soleat ordinariè in Monasterio exempto vivere, primarius hujus delicti judex erit Abbas. *Trid. sess. 25. de regularibus. c. 14.* 32

Porrò si Episcopus proceda-, ut delegatus Sedis Apostolicæ ab eo ad summum Pontificem tanquam delegantem, si verò ut Ordinarius ad Metropolitanum appellandum erit. *Barb. d. p. 3. allegat. 92.* quia tamen summus Pontifex cum omnibus inferioribus judicibus concurrentem 33

juris-

jurisdictionem habet, & quilibet omisso suo Ordinario potest immediatè apud Sedem Apostolicam agere, ut in tit. *de officio Ordinarij* dicitur, ideò non videtur prohibitum exemptis, indifferenter ad Sedem Apostolicam appellare; quod aliquando expedit pro cautela, nè successivè inferiores judices majorem contrà ipsos jurisdictionem quærant; præsertim quándo dubium est, an Episcopus ordinariâ vel delegatâ potestate procedat, veluti quando in Canone additur particula *ut etiam tanquam Sedis Apostolicæ* delegatus procedere valeat.

34 Cæterùm jurisdictio generaliter in aliquo casu data Episcopis non comprehendet exemptos, nisi specialis eorum mentio fiat; consuetudo quoque & præscriptio contraria jurisdictioni Episcoporum derogare potest, item & supplicatio apud Sedem Apostolicam cum expositione gravaminum, sicut hæc & alia videri poterunt apud Barb. *citatis locis* & apud Erasmum à Chokier, qui specialem tractatum, *de jurisdictione ordinarij in exemptos*, edidit.

TITULUS V.

Est 4. in Lib. 1. Decretal.

De Consuetudine.

SUMMARIA.

1. *Consuetudo jus non scriptum.*
2. *Traditio & consuetudo qualiter differant.*
3. *Traditiones in Ecclesia magnæ authoritatis ad probandam fidem.*

4. *Ju-*

4. *Judæi cur tolerentur à Deo.*
5. *Consuetudo & Præscriptio qualiter differant.*
6. *Consuetudo quotuplex.*
7. *Consuetudo valet etiam contra legem.*
8. *Ad Consuetudinem requiritur actuum frequentia.*
9. *Actus meræ facultatis non inducunt consuetudinẽ vel præscriptionem.* (*obtenti.*
10. *Actus an debeant esse in contradictorio judicio*
11. *Consuetudo debet esse rationabilis.*
12. *C.* fin. h. t. *explicatur.*
13. *Parochi sine approbatione Episcopi secundum consuetudinem saltem facti ab inferioribus Prælatis expositi, an validè administrent.* Communis error jus facit. *ibidem.*
14. *Quantum tempus requiratur ad consuetudinem inducendam.*
15. *Consuetudo dicitur tantùm impropriè præscripta, nec in ea Titulus aut bona fides requiritur.*
16. *Fallit in Legibus obligantibus sub peccato.*
17. *Lex mixta potest per consuetudinem fieri merè pœnalis, & è contra.*
18. *In Sacramentalibus, & impedimentis matrimonij dirimentibus qualiter admittatur consuetudo remissivè.*
19. *Consensus superioris in ipsa Lege vel Canone datus an sufficiat ad Consuetudinem.*
20. *Consuetudo non debuit fuisse interrupta.*
21. *Consuetudo debet esse circa talia quæ possunt præscribi.*
22. *Lex generalis tollit Consuetudinem generalem contrariam, sed non particularem, nisi exprimat.*

23. *Clam-*

23. *Clauſula:* nulla obſtante Conſuetudine. *intelligitur de præſenti, non de futura.*

Poſtquàm hactenus *de jure ſcripto* tum generali, tum particulari multa explicavimus, ſupereſt, ut etiam quædam ſcitu neceſſaria de *jure non ſcripto* ſeu *Conſuetudine* adjungamus.

1 DIuturna conſuetudo ait JurisConſ. *in l. 33. ff. de LL. pro jure & lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt obſervari ſolet.* & Iſidorus *in c. 5. diſt. 1. Conſuetudo*, inquit, *eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur.* eſt igitur Conſuetudo jus non ſcriptum de moribus hominum tractum. Non tamen repugnat conſuetudini, ſi ex poſt facto in ſcripturam redigatur, prout *jus feudale* adhuc hodie conſuetudinarium dicitur, & illi *Libri feudorum*, qui in Corpore Juris Civilis habentur *Conſuetudines feudales* appellantur: ſufficit enim, quod tale jus in primo ſui initio non ex ſcripto, ſive præcepto alicujus legislatoris, ſed ex uſu, & moribus deſcenderit, neque poſteà tanquam nova lex per aliquem legislatorem præceptum ſit.

2 Differt CONSUETUDO à *traditione*, quòd illa regulariter introducat & conſtituat novũ Jus, hæc verò ſupponat Jus antiquum, & potius vices promulgationis ſubeat: cujusmodi ſunt illa, quæ circa Jus divinum & ſacras leges ab Apoſtolis & Eccleſia accepimus, *Tenete traditiones*, ait Apoſt. 2. *ad Theſſ. c. 2. quas didiciſtis, ſive per ſermonem noſtrum, ſive per literas, unde* graviter errant hæretici, qui *traditiones* Eccleſiæ contemnunt,

3

ſine

ſine his enim difficulter ſanè ſacra Biblia eſſe ſacram Scripturam à Deo deſcendentem probare poſſent. in ipſa quidem ſacra Scriptura ſæpius ita legitur: *hæc dicit Dominus, verbum Domini ſtat in æternum, &c.* ſi quis tamen (quod abſit) de his ipſis verbis dubitaret, profecto præter aliqua motiva credibilitatis intrinſeca maxima probatio ex authoritate Eccleſiæ, ejusque traditione petenda foret, nam utique hæretici ex ore DEI ea non audiverunt. Zoes. *h. t. n.* 15 ubi *n.* 18. allegat dictum Tertull. *l. 2. de corona militis. ſi legem poſtulas, Scripturam nullam* (intelligo originalem immediatè à DEO ſcriptam & noſtris temporibus extantem) *invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* & S. Auguſt. qui, *Evangelio*, inquit, *non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ moveret authoritas.* vid. Bellarm. *Controv. tom. 1. de verbo Dei. lib. 4.* Hinc etiam plane credibile eſt, quod Deus gentem Judaicam non penitùs deleri, ſed toto orbe diſpergi voluerit, cùm ritus Judaici Evangelicam veritatem adumbrent, & gens Judaica, quæ ita conſtanter ſuam progeniem, & traditiones ſuas à Moſe & Patriarchis derivat, teſtimonium aſſiduum præbeat S. Scripturæ, ne ab atheis hominibus tanquam figmentum explodatur. *quid eſt aliud hodie gens iſta*, ait D. Auguſt. contra Fauſt. *c. 23. niſi quædam ſcriniaria, bajulans legem & prophetas ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nunciat per litteram.*

5 Differt quoque Consuetudo *à præscriptione*; quòd hæc sit inter privatas particulares personas, cum unius damno alterius lucro; illa verò sit usus & observatio totius populi vel communitatis cum æquali omnium damno vel lucro; licet interim etiam consuetudo alicubi dicatur præscripta, de quo tamen inferiùs dicemus.

6 Est autem consuetudo triplex; una *secundum legem*, qua lex superioris in usum deducitur. *c. in istis §. leges. dist.* 4 vel inter diversas interpretationes, quæ ad illam legem adferri possent ad certum modum observatur, in qua locum habet, quod dicitur, consuetudinem esse optimam legum interpretem: *l. si de interpretatione. 37 cum l. seq ff. de legib.* altera *præter legem*, procedens in illis casibus, qui à Jure scripto decisi non sunt. 7 Tertia *contra legem*, quâ lex scripta vel usu non recipitur, vel recepta denuò abrogatur & tollitur, quæ & *desuetudo* appellari solet. Non obstat *c. 2. & 4. dist.* 11. *l. 2. C. quæ sit longa consuet.* in quibus consuetudo legi repugnans reprobari videtur, [illegible] interpretatio istorum textuum potest sum[illegible] *ex c. cum tanto* 11. *hoc tit. consuetudo longæva*, inquit ibidem Pontifex, *licet non sit vilis authoritatis, non tamen est usque adeo valitura, ut Juri positivo debeat præjudicium generare, nisi* (hic notetur interpretatio) *fuerit rationabilis, vel legitimè præscripta.*

Porrò ad consuetudinem *præter* & *contra* legem (nam de illa, quæ *secundum leges* est, parum difficultatis esse potest) sequentes conditiones 8 requi-

quiruntur, *primò* quòd actus, ex quibus inducitur consuetudo fuerint sæpius frequentati, [illegible]-ita notorii, ut in majoris partis populi notitiam devenerint. *l.* 1. *C. quæ sit longa consuetud. Panormi. in c. ult. h. t.*

Quotnam autem actus ad inducendam consuetudinem desiderentur, non est una omnium sententia. Plerique cum lex actuum pluralitatem requirat *in dicta l.* 1. pluralis autem locutio in dubio ad duo restringatur. *c. pluralis* 40. *de R. I. in 6.* duos saltem actus necessarios statuunt. Sed rectius id arbitrio Judicis relinquitur, qui, cum de consuetudine quæstio movetur, ex qualitate actuum judicare debet, an majori parti populi innotuerint, & ita quidem, ut non tantùm aliqui, vel singuli actum resciverint, sed ut etiam alii de populo aliis non contradicentibus eundem actum imitati fuerint. Quod satis colligitur ex dicta *l.* 1. *ibi: probatis his, quæ frequenter servata sunt causâ cognitâ statuet, &c. Menoch. de arbitr. l.* 2. *cas.* 81. *Minsing. Cent.* 6. *observ.* 41. *n.* 7. notat quoque Abb. *in c. ult. h. t. n* 17. & 19. si actus perpetuitatem habeat, unicum sufficere posse. veluti cum pons publico loco ædificatus à populo toleretur.

Debent tamen tales actus fieri cum animo ob- 9
ligationis, aliàs enim locum habebit, quod dici solet, *in actibus meræ & liberæ facultatis non induci consuetudinem vel præscriptionem. arg. l.* 2. *ff. de via publica & c. Abbate de V. S. Gloss. & Abb. in d. c. fin. h. t.* Suarez. *de leg. lib.* 7. *c.* 14. *n.* 5. Laym. *lib.* 1.

tract. 4. c. 24. sub n. 2. Arnold. Rath. in tract. de usuc. cap. cap. 4. assert. 5 Censetur autem *actus meræ facultatis*, qui nullum juris ne putativam quidem obligationem aut necessitatem habent, sed pro cujuslibet arbitrio fieri vel omitti possunt. V. g. auditio Missæ die non festivo, peregrinatio ad loca sancta, &c. qua de re etiam inferius in tit. *de præscript.* dicendi occasio recurret.

10 Item quæritur, an tales actus debeant esse *in contradictorio judicio* obtenti? rationem dubitandi facit *l. cum de consuetudine. 34 ff. de legib. cum de consuetudine*, ait ibidem Juris-Cons. *confidere quis videtur, illud explorandum arbitror. an etiam contradicto aliquando judicio firmata sit.* Nihilominus verius est *extrajudiciales actus* sufficere, quia etiam in eis consensus & usus populi verificatur. Dicta autem *lex* 34. loquitur de *confirmatione* non de *introductione* consuetudinis, id est, quòd allegans consuetudinem, quam alias tanquam *rem facti* per testes probare deberet, relevetur ab onere probandi, si talis consuetudo jam aliquando in judicio recepta, & pro ea judicatum sit. Imò si indifferenter actus judiciales ad introducendam consuetudinem requirerentur, tunc Jure Civili lapsu 10. annorum consuetudo contra legem introduci non posset, quia sententiæ judiciales contra legem latæ sunt ipso Jure nullæ, & possunt usque ad 30. annos nullitatis argui.

11 *Secundo* requiritur ad introducendam consuetudinem, ut sit *rationabilis*, nam *& consuetudo*

præcedens,

præcedens, & ratio, quæ illam ſuaſit cuſtodienda eſt, reſcribit Imperator in *ſæpe dicta. l. 1. C. quæ ſit longa conſuet. & textus ſunt in l: quod non ratione. ff. de LL. c. ult. hoc tit. c. 2. eodem in 6.* Ea autem conſuetudo *rationabilis* non eſt, quæ vel Juri naturali, aut divino adverſatur, adeòque periculum ſalutis inducit. *d. c. ult. hoc tit. c. fin. de præſcript.* vel Jure Canonico reprobatur, pro ut in Sacris Canonibus ſæpius hæc vel ſimilia verba leguntur: *nullâ obſtante conſuetudine, quæ potius corruptela eſt dicenda, c. cum Venerabilis. 7. hoc tit. c. 1. eodem in 6.* vel ad peccandum occaſionem & viam aperit. *c. ex parte. cum ſuo ſummario. hoc tit. c. finali. de præſcript.* vel denique Eccleſiis aut aliàs communi Reipublicæ utilitati pernicioſa eſt.

Dices, omnem conſuetudinem contra legem introductam eſſe *irrationabilem*, hoc ipſo, quòd lex debeat eſſe *rationabilis*, & proinde quod contra legem rationabilem inducitur, irrationabile cenſeri debeat. R. hoc argumentum ſolvendum eſſe ex iis, quæ ſuperius *de Conſtitutionibus*, de *abrogatione* legum diximus, quòd nimirum omnis lex debeat eſſe rationabilis ſecundùm conſiderationes & circumſtantias ejus temporis, quo fertur, & ſecundum mores certi ſaltem populi, non autem quod debeat eſſe rationabilis ſecundum omnes conſiderationes & circumſtantias etiam in futurum emergentes, vel ſecundum omnes populos. *videatur textus in c. alma mater. de ſentent. excom. in 6. in Extravag. un. Joann. XXII. de torneamentis. & in extrav. 2. §. 3.*

Digitized by Google

de verb. signif. imò facilius tolli, quàm introduci posse legem, notavit Suarez *de legibus. lib.* 7. *c.* 18. *n.* 9 quòd ad introductionẽ requiratur positivè, ut ad publicam utilitatem conferat, ad ejusdem verò abrogationem sufficiat, ut publicæ utilitati non adversetur.

12 Dices iterum, in *c. fin. hoc tit.* ait Gregorius Papa, quòd *consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen valitura contra legem, nisi sit rationabilis, &c.* si consuetudo *rationabilis*, non est, inquies, *authoritatem* aliquam habere non potest, si sit *rationabilis*, hoc ipso etiam *contra legem valebit*, consequenter vel priora vel posteriora verba *cutati c.* gratis & superfluè ponuntur. Diversas solutiones ad hanc objectionem adfert Glossa *in dict. c. fin. in v. vilis authoritas.* & Panormi: *in eodem c. fin. n.* 4. mihi videtur fuisse sensus summi Pontificis, consuetudinem aliam *facti*, aliam *juris* adstruere, ideoque consuetudinem in prioribus verbis sumere latius pro quolibet usu longævo, qui ante cognitionem superioris habeat *authoritatem de facto* apud eos, apud quos viget, non autem *de jure*, nisi sit *rationabilis*. unde etiam propter illam authoritatem *facti*, quam habet consuetudo contra legem (dummodo ejus irrationabilitas, & peccatum manifestum ac nõtorium non sit) excusantur legis humanæ transgressores à pœna fori externi, & plerumque etiam à reatu conscientiæ, si communem observantiam & usum bona fide imitentur usquedum consuetudo (*de facto* nimirum talis) à superiore tanquam irrationabilis tollatur.

Non

Non malè quoque dici poteſt, tali conſuetu- 13
dini *de facto*, addi nonnunquam per accidens aliquem legis effectum propter communem hominum utilitatem; veluti ſi confeſſarii ſine approbatione Epiſcopi exponantur ab inferioribus Prælatis ſecundum conſuetudinem loci validè abſolvent, etſi ſupponeretur illa conſuetudo eſſe tantùm *de facto* talis, dummodo illius validitatem populus bona fide crederet, nec eſſet à ſuperiore cauſâ cognitâ ſublata, communis enim error jus facit. *arg. L. barbarius. ff. de offic. præt* & dictum eſt in Man. Paroch. *p.* 3 *c.* 1. *n.* 6. Quando enim Prælati ſunt in longiſſimi & multo magis ſi in immemorialis temporis poſſeſſione exponendi Parochos & Vicarios ad Parochias ſuis Eccleſiis unitas, tales expoſiti habent titulum non tantùm coloratum, ſed etiam verum adminiſtrandi Parochialia, & communi hominum exiſtimatione (ut ſuppono) habentur pro legitimis Parochis aut Vicariis, licet verò approbatio Epiſcopi ex Concilio Trid. requiſita deficiat, quia tamen iſte defectus juris naturalis aut divini non eſt, ſed Eccleſiaſtici, per ea quæ docet Chaſſaing, *Privil. Regular. tract. 5. cap. 2. propoſ. 1.* Imò jus approbandi ad curam animarum etiam inferioribus Prælatis ex privilegio vel præſcriptione competere poteſt, teſte Pan. *in c. cum non liceat. circa fin. de Præſcript. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 72. n. 185. & alleg. 127. n. 12.* Lex Eccleſiaſtica propter cõmunem hominum utilitatem & ſalutem animarum, ſuppleret Juriſdi-

ctionem : ita ut etiam ſecutâ ſententiâ Judicis qui approbationem deinceps ab Epiſcopo peti juberet, priores tamen abſolutiones, & alia actitata Parochialia retractari non deberent. *vid. Laym. in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 9. Tanner. de pœnit. diſp. 6. q. 9. dub. 3. ſub n. 53. Trullench. in prax. ref. Sacram. lib. 4. cap. 9. dub. 5. n. 13.* ideò ante ſententiam non ſunt Parochianis periculoſi ſcrupuli iniiciendi, & pendente lite nemo eſt commodo ſuæ Poſſeſſionis privandus. *c. 1. & 2. ut lite pendente.*

Requiritur *tertiò* ad conſuetudinem conſtituendam diuturnitas temporis, quo aliquid obſervatum vel practicatum eſt. Sed circa hoc requiſitum
14 diſtinguere oportet inter ſtatum *popularem & Monarchicum* : in ſtatu *populari*, ubi ſumma Imperii & poteſtas leges ferendi eſt penes populum, certum tempus non requiritur, ſed ſufficit populi conſenſus. *l. de quibus. ff. de legibus. in Monarchico* autem ſtatu, ubi ſuperior populi eſt Princeps & Legislator, plerique recentiores fatentur, non eſſe Jure determinatum certum tempus, & ideò Judicis arbitrio relinquendum cenſet Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ. 83. n. 6.* qui juxta levitatem vel gravitatem materiæ, ſuper qua conſuetudo introducta prætenditur etiam contra Eccleſias decem, aliquando 40. & aliquando tempus immemoriale determinare debeat. Interim juxta communem de Jure *Civili* ſive præter, ſive contra legem introducatur conſuetudo, *decennium* requiritur.

Hoc

Digitized by Google

Hoc enim Jure consuetudo *longa* dicitur. *C. quæ sit longa consuetudo.* longum autem tempus 10. annorum censetur. *C. de long. temp. præscript.* Neque hic distinguendum est inter *præsentes* & *absentes*, sicut in præscriptione, cum populus vel civitas nunquam dici possit *abesse*. De Jure *Canonico* si *præter jus* introducenda sit consuetudo *decem anni* desiderantur, si *contra* Jus, *quadraginta*, sicut contra alia Jura Ecclesiastica *Gloss. in c. fin. h. t.* quòd si lex nunquam ab initio usu recepta sit, eam tam Jure Canonum quàm Civili aboleri lapsu decennii tradunt Garc. *de benef. p. 7. c. 1. n.* 137. Navarr. *in Man. confess. c. 23. n.* 40. & 41. Laym. *in Theol. mor. lib* 1. *tract.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Zoes. *h. t. n.* 14. Eras. Chokier. *de jurisdict. in ordin. exempt p.* 1. *q.* 50. *n.* 26.

Consuetudo autem *interpretativa* legis nec Jure Canonico, nec Civili certi temporis lapsum requirit, sed sufficit actuum frequentia secundum certam interpretationem practicata; veluti si dubitetur in quibus consensus vel consilium Capituli ab Episcopo requiri debeat, quod in Jure non satis clarè expressum est. *Menoch. d.l. n.* 10. *Panorm. in c. cum dilecta. h t. n.* 7.

Cæterùm consuetudo licet Jure Canonum 15
dicatur præscripta *in d. c. ult. h. t. & c.* 3. *eodem in* 6. Id tamen in rigore accipiendum non est, sed potius latè & impropriè, sicut de Jure Civili potius consuetudo *longa* & *longæva* vel diuturna, quàm *præscripta* dicitur, etenim in præscriptione longi temporis ordinariè *titulus* requiritur, & etiam

Digitized by Google

tiam in præscriptione longissimi temporis, si Jus resistat præscribenti *c. 1. de præscript in 6.* in consuetudine verò consensus populi & rationabilitas consuetudinis sive præter sive contra legem introducatur loco *tituli* est: quia illi tituli *empti, donati, privilegij &c.* ordinariè inter privatos tantùm procedunt, toti autem populo haud facilè accomodari possunt.

Imò tametsi lex haberet aliquam clausulam consuetudini adversantem v. g. *nulla imposterum valitura consuetudine &c.* tamen ex nova rationabili causa à Legislatore verisimiliter non prævisa contraria consuetudo introduci posset; quia hæc ipsa clausula Juris tantùm humani & positivi est, universim autem contra legem humanam consuetudo rationabilis admittitur *in sæpe dicto c. ult. h. t. Panorm. ibidem n.* 20. & 24.

Deinde etiam in præscriptione *bona fides* requiritur, & nulla valet quanticunque temporis absque bona fide præscriptio, *c. ult. de præscript.* Sed cùm *bona fides* nihil sit aliud, quàm *ignorantia probabilis Juris alieni*, consuetudo autem contra Jus & legem superioris etiam ex certa scientia illius Juris cæteris paribus introduci possit, *Gloss. in dicto c. ult. in verbo. præscripta.* Ideò bona fides ordinariè non requiritur, sed iterum supplet cau-
16 sæ rationabilitas. Illæ tamen leges, quæ sub peccato obligant, uti sunt leges festorum, decimarum, jejuniorum &c. eatenus *bonam fidem* requirunt, ut transgressores talium legum à peccato excusentur, aliàs ex actibus illorum peccamino-

sis

sis nulla induceretur consuetudo. Unde in talibus vix aliter quàm tempore immemoriali consuetudo introduci potest, atrendendo scilicet non actus primorum, qui legem fortassis culpabiliter non servârunt, sed sequentium, qui bona fide imitati sunt exemplum suorum majorum, supponentes, suos antecessores legitimam causam vel remissionem ad non servandam legem habuisse. *Syl. verbo consuetudo. n.* 12. *& Panor. in c. 1. de Treuga & pace n.* 4.

Adnotavit etiam Suarez. *de LL. d. l.* 7 *c* 19. *n.* 11. & ex eo Laym. *in Theol. mor. d. tract.* 4. *c.* 24. *sub n.* 12. quod per desuetudinem ex lege humana mixta possit fieri purè pœnalis, & cessante reatu conscientiæ manere sola pœna fori externi, *& sic fortasse*, inquit Suar. *multæ leges Civiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari, ligna scindere, vel aliquid ex regno extrahere, licet in principio directivæ fuerint, potuerunt usu fieri merè pœnales, & quasi naturam mutare, quia non aliter sunt observatæ.* Et vice versa etiam abrogatâ pœnâ v. g. Censurâ ipso Jure annexâ, poterit manere sola obligatio quoad culpam, vel neutrum. 17

Demùm etiam in Sacramentalibus & aliis ad Sacramentorum substantiam non pertinentibus consuetudinem etiam contra Jus commune induci posse, v. g. ut secundæ nuptiæ benedicantur &c. tradit Laym. *d. n.* 12. *cum cc. ibidem arg. c. de trina. dist.* 4. *de consecr. & c.* 2. *de temp. ordin.* an autem impedimentum dirimens matrimonii consuetudine introduci, vel tolli possit. vid. 18

Laym,

Laym. *d. l. n.* 13. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 14. ubi plures utriusque ſententiæ authores referuntur.

79 *Quartò* extra ſtatum popularem requiritur conſenſus ſuperioris; cùm enim conſuetudo ſit lex, aliter quàm cum authoritate ejus, qui habet poteſtatem legis condendæ introduci non poteſt. Sed hic quæritur, an in ſingulis particularibus caſibus requiratur ſcientia & tolerantia ſuperioris, vel utrùm ſufficiat conſenſus ille generalis, qui in utroq; Jure in ipſo titulo de conſuetudine omnibus conſuetudinibus rationabilibus datus eſt? Verius & communius receptum eſt, hunc generalem conſenſum ſufficere, & conſuetudinem etiam ignorante ſuperiore introduci poſſe: tum quod *in c. fin. h. t.* ſolùm requiratur, ut conſuetudo ſit *rationabilis, & præſcripta: præſcriptio* autem etiam contra ignorantem procedat: tum etiam ex textu *c.* 1. *de conſtit. in 6.* ubi dicitur, quòd Papa plerumque ignoret ſtatuta & conſuetudines locorum. *Panorm. in eod. cap. fin. n.* 13. putant quidem aliqui, quòd ſi ſciente & patiente Legislatore actus contra legem fiant, tunc minus ſpatium ad introducendam conſuetudinem requiratur: ſed id de lege aliquando *recepta* non admittit Panorm. *c. l. n.* 14. eò quòd lex recepta debeat per præſcriptionem aboleri, ſcientia autem ejus, contra quem præſcribitur, de Jure non minuat præſcriptionis tempus. quo facit etiam textus *in c. cùm jam dudum. de præbendis*, quòd *multa per patientiam toleremur*,

rentur, quæ in judicium deducta tolerari non debebunt, admittit verò *in c. 1. de Treuga & pace. n. 4. verſ. ego ſic diſtinguerem &c.* in lege *recipienda*, ita ut tunc non requiratnr certum tempus, ſed ſufficiat binus aut trinus actus publicus in contrarium ſciente & non contradicente legislatore factus, quòd hoc caſu non agatur de tollenda (ubi præſcriptione opus eſt) ſed impedienda obligatione legis, quàm legislator tolerans actus contrarios remiſiſſe præſumi poteſt, præſertim lapſu longi temporis ſcil. 10. annorum accedente, ut ſuperius dictum.

Quintò requiritur, ut conſuetudo ante com- 20
pletum præſcriptionis tempus, vel per ipſum populum exercendo actum contrarium etiam unicum, vel per ſuperiorem, puniendo transgreſſores legis, non ſit interrupta: aliàs enim poſt talem interruptionem inchoanda foret. Si verò tempus conſuetudinis jam eſſet completum, unus actus in contrarium non noceret, ſed deberet conſuetudo tolli eo modo quo mox dicemus. *Abbas in dicto c. final. n. 19. Paul. Lay. de legibus. c. ult. n. 14.*

Sextò demùm requiritur, quòd conſuetudo 21
ſit circa talia, quæ præſcribi poſſunt: ſicut ergò Laici ſpiritualia Jura præſcriptione ex defectu poſſeſſionis acquirere non poſſunt, ita nec conſuetudine etiam immemoriali. Quare illa regula, quæ traditur à Gloſſ. & DD. *in c. ſuper quibusdam de verb. ſignif.* quod *acquiſibile per Privilegium poſſit etiam acquiri per conſuetudinem vel præſcriptionem*

Digitized by Google

nem temporis immemorialis, tantùm prōcedit in iis, in quibus non datur incapacitas poſſeſſionis. Plerumq; ie etiam concurrit ad impediendam tali caſu conſuetudinem, quòd ea rationabilis non ſit, vel in detrimentum Eccleſiarum tendat. *Gloſſ. & Panor. n. 15. in d. c. fin. h. t.*

Tollitur conſuetudò ſemel legitimè conſtituta & introducta non per unum ſolum actum contrarium, ſed per conſuetudinem aut legem contrariam, & quidem lex *generalis* tollit con-
22 ſuetudinem *generalem* contrariam, ſed non *particularem*, quæ in uno vel altero particulari loco viget, niſi id ipſum exprimat. *per text. not. in c. 1. de conſtitutionibus. in 6.* Probabiliter autem cenſetur ſatis exprimere per clauſulam illam generalem: *nulla obſtante conſuetudine &c.* ut enim iſta clauſula habeat aliquem effectum, debet poſſe intelligi non de conſuetudine generali; utpote quæ etiam ſine hac clauſula per legem generalem abrogatur, ſed etiam de particulari, cùm omnis conſuetudinis ſit derogativa. Sicut aliàs dicere ſolemus, qui omne dicit, nihil excludit, &c. quod tunc minus dubii habere videtur, ſi lex addat *nulla obſtante conſuetudine, privilegio vel Statuto &c.* tunc enim cum Statuti & Privilegii (quæ particulares & privatæ leges ſunt) quoque meminerit, utique etiam conſuetudinem parti-
23 cularem intellexit. Cæterùm hanc clauſulam, *nulla obſtante conſuetudine* magis communiter DD. cum Gloſſ. *in Clem. ſtatutum. de elect. in verb. conſuetudine.* accipiunt de conſuetudine præſente,

quæ

quæ viget tempore novæ legis conditæ, non autem de consuetudine imposterum inducenda. *Gloss. in Clem. statutum. v. consuetudine. de elect. Laym. d. c. 24. n. 7. vers. tunc vero.* Si tamen lex consuetudinem improbaret tanquam prorsus irrationabilem & *corruptelam* tunc ex defectu rationabilitatis contraria consuetudo, nisi ex nova causa introduci non posset, ut paulò superiùs in 2. & 3. requisito dictum.

PARS I.
DE
PERSONIS.
PRIMO JURIS OBIECTO.
Præfatio
De Personarum Divisione.

JC. *in l. 1. ff. de statu hom.* & Imp. *in §. fin. Inst. de J. N. G. & C. omne jus*, ajunt, *quo utimur, vel ad* Personas *pertinet, vel ad* Res, *vel ad* Actiones, unde DD. communiter *Personas, Res & Actiones* pro triplici *Juris Objecto* assignant; *Personas*, quibus; *Res*, de quibus, & *Actiones*, per quas Jus redditur.

Cùm igitur hominum causa omne Jus constitutum sit, pergit JC. *in l. 2 ff. d. t. primò de Personarum statu, ac post de cæteris, conjunctos applicantes titulos, dicemus.*

Porrò alia *Personarum* divisio est in Jure Civili, & alia

& alia in Jure noſtro Canonico. Etenim in Jure Civili in tit. *Inſtit. de Jure Perſonarum.* has fermè diviſiones tradunt Interpretes, quòd homines aut *liberi* ſint, aut *ſervi*, aut ex his mixti, ut *Adſcriptitii*, *Originarii*, *Statuliberi*. Deinde *liberi*, aut *ſui Juris* ſunt, qui & *Patresfamilias* dicuntur, aut *alieni* in poteſtate ſcil. patria conſtituti, & *Filiifamilias* appellati. Sed & qui *ſui Juris* ſunt, quidam liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent, alii verò non, uti ſunt Pupilli & Minorennes Tutorum & Curatorum directioni commiſſi. *vid. Harprecht. & DD. ad princ. Inſt. de Jure Perſonarum.*

De Jure noſtro Canonico cùm non habeamus ſpecialem titulum, in quo perſonarum diviſio & ſtatus ordine enumeretur, referemus dictum S. Hieronymi *in c. 7. 12. q. 1. Duo ſunt*, inquit, *genera Chriſtianorum, eſt autem unum genus, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, ut ſunt Clerici & DEO devoti. Clitos enim Græcè, latinè Sors* (vel hæreditas, *c. 1. diſt. 21.*) *inde hujusmodi vocantur Clerici, id eſt*, (exemplo D. Matthiæ Apoſtoli d. c. 1. diſt. 21.) *Sorte* (vel in ſortem ac partem & hæreditatem Domini d. c. 1. diſt. 21.) *electi. Omnes enim Deus in ſuos elegit*, & infra. *Aliud verò genus eſt Chriſtianorum, ut ſunt Laici, Laos enim græcè, eſt populus latinè. His licet temporalia poſſidere, ſed non niſi ad uſum, nihil enim miſerius eſt, quàm propter nummum DEUM*

con-

contemnere. His concessum est uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere, oblationes super altari apponere, decimas reddere: & ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint.

Itaque S. Hieronymus *Personas* de Jure Canonum in *Clericos* & *Laicos* distinxit. In primitiva autem Ecclesia Clericorum appellatione omnes personæ Ecclesiasticæ & in Ecclesia deservientes intelligebantur, *d. c.* 1. *dist.* 21. & Clerici ad instar Religiosorum nullam inter se proprietatem habentes victu & vestitu contenti in communi vivebant, testibus D. Hieronymo & aliis SS. Patribus. *in d. c. duo sunt. c. quia tua. c. scimus. c. nolo. c. non dicatis.* 12. *q.* 1. quia verò hodie inter *Clericatum sæcularem* & *Religiosum* est differentia, quòd illi concessum sit proprium possidere & separatim vivere, nullisque specialibus votis (excepto *voto castitatis*, quod sacris Ordinibus annexum est, *c. un. de voto in* 6.) constet, iste verò substantialia vota *obedientiæ, castitatis & paupertatis* annexa habeat. *c. cum ad Monasterium. de statu Monach.* ideò hodie non incongruè tria genera personarum scil. *Clericorum, Regularium, & Laicorum*, assignari posse videntur. Clerici dein & Religiosi rectè subdividuntur in Prælatos & Subditos.

Nos in hac Parte Prima eum ordinem servabimus, ut prius generaliter de *creatione Clericorum, & Religiosorum*, posteà verò *de electione*

& creatione Prælatorum, eorúmque officio & potestate acturi simus.

Demùm ne & tertium genus personarum scil. *Laicos* omninò prætereamus, quibus, ut dixit D. Hieron. supra relato loco, *concessum est, uxorem ducere*; de illorum *Matrimonijs* LIBRUM SECUNDUM huic PRIMÆ PARTI adjungemus. Quemadmodum etiam Compilatores Institutionum Imperialium lib. 1. qui objectum *personarum* complectitur; *d. §. fin. l. de I. N. G. & C.* titulum & materiam *de Nuptijs* inseruerunt.

LIBER I.

Continens Personarum Ecclesiasticarum, & Prælatorum creationem, officium & potestatem.

TITULUS I.

Est 11. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Temporibus Ordinationum, & Qualitate Ordinandorum.

§. I.

Generalia de Sacramento Ordinis.

SUMMARIA.

1. *Unde Sacrificium & ejus Ministri.*
2. *Ordo est verum Sacramentum imprimens Cha-*
3. *Ordines alij majores, alij minores.* *(racterem.*
4. *Episcopatus an distinctus Ordo à Sacerdotio.*
5. *Subdiaconatus hodie etiam Ordo sacer.*

6. *Pri-*

6. *Prima tonſura an ſit Ordo.*
7. *Minores Ordines cur dicantur non ſacri, & cum iis matrimonium conſiſtere poteſt.*
8. *Minores Ordines etiam ſunt Sacramentum.*
9. *De materia & forma ſingulorum Ordinum.*
10. *An requiratur contactus Phyſicus materiæ.*

Alia Summaria ſequuntur poſt §. 2.

DEO Creatori & Conſervatori omnium tum debitum eſſe aliquod Sacrificium tum pro invocatione ſancti Nominis ejus, tum pro grata recognitione acceptorum, tum etiam pro criminum expiatione Lex *naturæ* primos parentes docuit; *Lex Veteris Teſtamenti* Judæos inſtituit, & Lex *gratiæ* cum traditione ſacræ Euchariſtiæ confirmavit. Ubi autem Sacrificium eſt, ibi & certos Sacrificii Miniſtros, qui certo ordine ſuis officiis fungantur, eſſe oportet; quam Miniſtrorum creationem, *ordinationem* & miniſterii poteſtatem, *Ordinem* in Eccleſia appellamus. 1

Docet præterea Eccleſia Catholica in Conc. Trident. *Seſſ. 23. de Sacramento Ordinis. c. 3. & 4.* Ordinem eſſe verum Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum, quod inſuper ſicut in Baptiſmo & Confirmatione imprimat *Characterem*, hoc eſt, ſignum aliquod inviſibile, & indelebile in animo ſuſpicientis, propter quod iterari non poſſit. ubi enim eſt externum ſymbolum cum promiſſione gratiæ eſt Sacramentum, ſed in ordinatione eſt externum ſymbolum, videlicet manuũ impoſitio, aliæque ceremoniæ, & promiſſio gratiæ juxta illud Apoſtoli, 1. *ad Timoth.* 2

4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, cum impositione manuum Presbyterii.* & 2. *ad Timoth.* 1. *admoneo te, ut resuscites gratiam* DEI, *quæ est in te per impositionem manuum mearum.* ergo est verum Sacramentum.

Ex quo damnatur Hæreticorum error, qui sicut gens temporalibus tantum cupiditatibus immersa, sine sacrificio, & reverenti DEI cultu sunt, ita etiam negant Ordinis Sacramentum, asserentes, Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantùm potestatem habere, iterum Laicos effici posse, si verbi DEI ministerium non exerceant.

Similiter damnantur, qui omnes Christianos promiscuè Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmant contra doctrinam Apostoli, 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Ephes.* 4. eum in corpore Christi, seu Ecclesia, sicut in corpore physico certa debeat esse membrorum, & operationum Spiritus sancti distinctio, & Christus *alios dederit Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.*

Quoniam igitur, in Novo Testamento sacræ Eucharistiæ sacrificium visibile Ecclesia accepit, fateri etiam debemus, in ea novum esse visibile sacerdotium, in quod Veteris Testamenti sacerdotium translatum sit; hoc autem novum Sacerdotium à Christo institutum esse, atque ab Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi &

di & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, nec non & peccata dimittendi sacræ litteræ *Matth.* 26 *Marci.* 18. *& Joan.* 20. ostendunt, ac Ecclesiæ Catholicæ traditio semper docuit.

Quia verò divina res est tam sancti Sacerdotii ministerium consentaneum fuit inquit Conc. Trid. *d sess.* 23. *c.* 2. quo dignius & cum majori veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent.

Porrò prima Ordinum dispositio & divisio est 3
in *majores & sacros*, ac in *minores & non sacros*. *Majores* ordines sunt Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus.

De Episcopatu quidem discrepantia est inter 4
Doctores, an separatum & à Presbyterio distinctum ordinem constituat? alii affirmant, eo quòd Episcopi habeant quasdam functiones speciales, ut ordinandi Clericos, consecrandi Ecclesias, quæ Presbyteris non competunt. sicut in eodem Conc. Trid. *d. l. Can.* 7. anathema dicitur illis, qui asserunt, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel eam quam habent potestatem esse cum Presbyteris communem. Alii negant, eò quod ordo Episcopalis essentialiter includat ordinem Presbyterii, nec consecrari possit Episcopus, qui Presbyter non sit, & minor censeatur potestas ordinandi Clericos, & consecrandi Ecclesias, quam Corpus & sanguinem Domini, & propterea illæ functiones Episcopa-

les accidentales tantùm ordini Presbyterali existimari debeant. Undè ulterius docent, quòd consecratio Episcopi sit quidem sacramentalis, non tamen distinctum Sacramentum à Presbyterio, neque distinctum Characterem imprimat, sed impressum augeat, perficiat, & consummet. In hac controversia, quæ ad effectus juris non multum confert, teneri potest conciliatio utriusque discrepantis sententiæ, quod nimirum Episcopatus completè sumptus, prout supponit, & includit ordinem Presbyterii, atque consideratur ad principale Sacrificium Eucharisticum, non sit distinctus ordo à Presbyterio, secus autem si sumatur incompletè, quo ad particulares functiones Episcopis proprias ordinandi, consecrandi, & in Ordine ad Hierarchiam Ecclesiasticam, juxta quam Episcopi majores & superiores Presbytetis existunt.

5 Subdiaconatus, quamvis primis temporibus inter sacros Ordines numeratus non fuerit, postea tamen etiam his accessit. *c. à multis. 9. de ætate & qualitate. c. miramur. de servis non ordinandis.* Dicuntur autem Ordines sacri quibus votum continentiæ ex institutione Ecclesiæ annexum est, per quod ordinati ita DEO & Ecclesiæ consecrantur, ut matrimonium & statum Laicalem in perpetuum evitare teneantur.

6 *Minores Ordines* habet *Ostiarius*, *Lector*, *Exorcista & Acolytus*. aliqui minoribus ordinibus addunt etiam *primam tonsuram*; arg. textus *in c. cum contingat. de ætate & qualitate.* sed cum prima tonsura

ſura non conferat per ſe ſpeciale miniſterium, potius verò initium, & habilitatio ſit ad Ordines & Clericatum, ideo minus propriè ordo nuncupari poterit. Idque colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ 23. de reform. c. 6. ibi nullus primâ tonſurâ initiatus, aut etiam in minoribus conſtitutus.* nec non *in c. 10. eadem ſeſſ.* in illis verbis; *tonſuram vel minores ordines conferre.* ut ſatis appareat Conc. inter *tonſuram & minores ordines* differentiâ facere

Dicuntur autem minores Ordines non ſacri, 7
tum quòd non ita proximè ad Euchariſtiæ miniſterium accedant, tum quòd votum caſtitatis annexum non habeant, & cum illis Matrimonium conſiſtere poſſit, prout in eodem Trid. *ſeſſ. 23, de reform. c. 17.* ſtatuitur, ne minores Ordines ab hæreticis tanquam otioſi traducantur, ut quantum fieri poteſt, miniſteria Eccleſiaſtica quatuor minorum Ordinum per conſtitutos in illis Ordinibus exerceantur, & ſi Clerici celibes præſto non ſint, aſſumi poſſint etiam conjugati, dummodo non bigami, & qui tonſuram habitumque Clericalem in Eccleſia geſtent. Alias verò Clericus in minoribus contrahens matrimonium eo ipſo privatur beneficio, ſi quod habuit, *c. 1. & paſſim. de Clericis conjugatis.* quodnam autem ſit officium ſingulorum Ordinum inferius in tit. *de ſcrutinio in Ordine faciendo.* trademus.

Cæterum non tantùm Ordines *majores*, ſed e- 8
tiam *minores* eſſe Sacramentum, & imprimere characterem, atque conferre gratiam, tanquam veriorem ſententiam (contra illos, qui tenent,

quatuor minores non esse Sacramentum, sed Sacramentale) amplectitur Barb. *de Officio Episcopi par.* 3. *alleg.* 3. *n.* 21. *cum pluribus ibidem cit.* eò quòd Florent. & Trid. Conc. indefinita propositione concludant, *Ordinem esse Sacramentum* & Trid. postquam *sess.* 23. *de Sacramento Ordinis*, c. 2. recensuit nomina singulorum Ordinum, etiam *minorum*, statim in c. 3. absolutè pronunciat *Ordinem esse Sacramentum.* neque propterea plura quam unum Ordinis Sacramentum est, licet enim singuli Ordines per se sint Sacramentum, censentur tamen unum Sacramentum in unitate generis proximi, & quia ad unum finem principalem, scilicet confectionem Corporis Christi omnia referuntur.

9 Solet etiam hic à Doctoribus, & in examine Ordinandorum communiter inquiri de materia & forma Ordinum, & quidem, nescio ex quâ jam inveteratâ corruptelâ, ita anxiè & scrupulosè, ut quidam examinatores rei summam in his scholasticis quæstiunculis ponentes, nihil prorsus investigent de aliis qualitatibus in ordinando requisitis (de quibus inferius in tit. *de scrutinio in Ordine faciendo.*) præsertim de vitæ & morum testimonio. undè fit, ut qui *de materia & forma* benè respondent, nonnunquam tamen materialiter & formaliter informes fiant Clerici.

Ut breviter dicamus: in genere *materia cujusque Ordinationis est, signum aliquod visibile; forma autem verba ab Ordinatore prolata.* sic materia *Subdiaconatus* est, *traditio calicis vacui cum patena superposita;*

posita: forma autem sunt illa verba Episcopi: *videte cujusmodi ministerium vobis traditur, &c.*

Diaconatus materia est, *impositio manuum Episcopalium cum traditione alicujus rei visibilis, quam Ecclesia determinavit ad librum Evangeliorum*: forma, illa verba; *accipe Spiritum sanctum, &c.*

Sacerdotium sicut duplicem potestatem confert, nimirū *in Corpus Christi verum*, quæ est potestas *consecrandi* & in *Corpus Christi mysticum*, scilicet in populum fidelem, cujus tanquā membrorum Christus caput est, quæ est potestas *absolvendi*, & *ligandi*, ita etiam per duas particulares ordinationes perficitur. Prioris ordinationis materia est, *traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane*: forma verò, *accipite potestatem offerendi sacrificium*: posterioris autem ordinationis materia est *impositio manuum Episcopalium*; forma, illa verba: *accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, &c.*

Ordinis Episcopalis materia est, *impositio manuū*, & forma in illis verbis: *accipe Spiritum sanctū, &c.*

In dubium etiam movetur, an rectè ordinatus sit qui fortassis per incuriam aut distractionem materiam ordinationis V. g. calicem aut librum realiter & physicè non attigit? quidam negant, eò quòd verbum, *accipe*, prolatum ab Episcopo in traditione materiæ significet jussum capiendi, tangendi, &c. Verum quamvis curandum sit, ut juxta ritum Ecclesiæ materia contingatur, si tamen contacta non fuerit, dummodo per Episcopum exhibita, probabilius videtur, quod docet Lay. *in Theol. mor. de sacramen-* 10

to Ordinis cap. 5. n. 4. Ordinem nihilominùs rectè collatum esse, quia nec ex humanâ lege habetur, contactum physicum ad substantiam Ordinis requiri. Illud verbum, *accipe*, potest & debet intelligi in sensu juris de acceptione potestatis ministrandi. Ita in simili traditio dominii quod venditor habuit in domo vendita potest fieri ostensa solum domo, & datâ licentiâ capiendi possessionem. *L. clavibus, 74. & ibi DD. ff. de contrah. empt.*

§. II.

De Ministro Ordinis & temporibus Ordinationum.

SUMMARIA.

11. *Minister Ordinis Episcopus, an etiam aliquando inferiores Prælati.*
12. *Privilegium conferendi majores Ordines datum non Episcopo, an validum.*
13. *Episcopus non potest ordinare extra suam diœcesim.*
14. *Tempora ordinationum quæ.*
15. *Ordinatorum extra tempora pœna.*
16 *Ordinans non incurrit suspensionem ipso jure.*
17. *Ordinatũ extra tempora à suspensione quis absolvat*
18. *Privilegiatus ut possit ordinari in quolibet die Festo, potest etiam quando solùm est festum Chori.*
19. *Uno die non licet plures Ordines suscipere.*
20. *De interstitijs in ordinationibus observandis. & quis in illis dispensare valeat.*

Alia Summaria post §. 3.

11 MInistrum sacri Ordinis esse *Episcopum*, definitũ est in Trid. *sess. 23. de Sacram. Ord. can. 7.*

Tonsu-

Tonſuram verò, & *minores Ordines* ab Abbatibus quoque Presbyteris & benedictis uſum mitræ, & Baculi habentibus Regularibus ſuis etiam novitiis, & alienis ſubditis cum licentia propriorum Prælatorum conferri poſſe tradidi de Privilegiis Monaſteriorum, *pag.* 280. & 336.

De majoribus Ordinibus controvertitur, an eorum collatio ex comiſſione vel privilegio ſummi Pontificis alicui Abbati, aut Sacerdoti non Epiſcopo competere valeat? Negat cum pluribus Zoëſius *h. t. n.* 7. ex eo, quòd *majorum Ordinum* collatio ſit proprius actus Ordinis Epiſcopalis: Item, quod in Trid. ſtatuatur, ut quilibet *à proprio Epiſcopo* ordinetur. Sed quia apud Roderiq. *Tom. Regular. quæſt.* 18. *art.* 3. referuntur talia privilegia Abbatibus Ordinis Ciſterc. &c. conceſſa conferendi Ordinem etiam Diaconatus, & ipſe ſcio quædam Monaſteria Ordinis S. Bened. ſimilia habere, non audeo S. Pontificem erroris arguere, cùm ſententiam affirmativam doceat Gloſſ. & Panorm. *n.* 9. *in c.* 4. *de conſuetudine*. & ſaltem quoad Subdiaconatum, & Diaconatum (de presbyteratu autem communior ſententia refragatur, nec exemplum aliquod habetur) tanquam probabile admittit Barb. *in eodem c.* 4. *ſub n.* 5. ſi enim poteſt ſummus Pontifex Abbatem vel Sacerdotem habilitare ad conſecrationes Eccleſiarum, Altarium, confirmationes Baptizatorum, ut ſimilia Exempla in confeſſo, & frequentia ſunt, cur non etiam ad ordinationes? ſiquidem tam illi, quàm iſti 12

ſint

sint actus Ordini Episcopali reservati; nam licet similes actus sint reservati Episcopis, non tamen reperiuntur Jure divino, ita reservati, quin ex potestate Papali possint etiam Ordini Sacerdotali (à quo substantialiter non differt Ordo Episcopalis, ut dictum) committi. Conc. autem Trident. intelligendum est, quod ordinario Jure ad Episcopos sacrorum Ordinum collatio pertineat.

Porrò non quilibet Episcopus, sed proprius tantum cui ordinandus subditus est, Ordines conferre potest. quot modis autem quis subditus efficiatur in §. seq. trademus.

13 In propria quoque solùm diœcesi Episcopus Ordines conferre debet: quamvis enim ordinatio sit *voluntariæ* jurisdictionis, quæ regulariter etiam extra territorium rectè exercetur, ut notatur *in L. 3. ff. de offic. Pro-consulis*. Specialiter tamen ad conservandos Diœcesium limites, & propriam cujusque Episcopi authoritatem statutum est in Trid. *sess. 6. de reform. cap. 5.* ut nulli Episcopi cujusvis privilegii prætextu liceat Pontificialia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia; aliàs Episcopus ab exercitio Pontificalium, & ordinati ab executione Ordinum sint ipso Jure suspensi.

14 Ad tempora ordinationum quod attinet, sciendum est, *quatuor minores Ordines* quolibet die Dominico, aut Festo conferri posse. *c. 3. h. t.*

Majores Ordines tantùm Sabbathis quatuor temporum, item Sabbatho Passionis & Sabbatho sanct o

ſancto conferuntur. *d. c. 3. c. fin. & ibi Gloſſ. diſt.* 75. ob cauſam tamen rationabilem. v. g. ob multitudinem Ordinandorum, infirmitatem ordinantis, vel ordinandi &c. non eſt prohibitum ordinationem in diem Dominicam differre, vel continuare, ſi jejunium in Sabbatho eoúſque fuerit extenſum, quia tunc veſpera Sabbathi, & matutinum Dominicæ in ſtatu Eccleſiaſtico reputantur pro una die. *arg. cap. litteras, & ibi Gloſſ. h. t.* cur autem potiùs prædictis temporibus, quàm quolibet alio die utcunque feſtivo ſacra ordinatio concedatur? ratio eſt, ut ſolennibus illis jejuniis, quæ prædictis temporibus inſtituta ſunt, adjuvantibus etiam fidelium precibus major à Deo gratia ordinandis impetretur, ad exemplum Apoſtolorum, qui cùm Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad prædicandum gentibus mitterent, priùs jejunantes, & orantes impoſuerunt eis manus. *c. 1. diſt. 76. quod die. diſt.* 75. quòd autem in Sabbatho inſtituatur ordinatio, rationem congruentiæ aſſignat Barb. *de officio Epiſc. p. 2. alleg. 17. n* 3. quòd Sabbathum ſignificet requiem & Dei cultum, requies verò à laboribus & negotiis ſæcularibus, atque Dei adoratio Clericis maximè conveniat.

15 Tempus ordinationis à Jure præſcriptum, quamvis non ſit de ſubſtantia Ordinis, & etiam ordinatus extra tempora recipiat characterem, non tamen recipit executionem, & incurrit ſuſpenſionem, niſi privilegium aliquod Pontificium ei ſuffragetur, & quidem ex Bulla Pii II. quæ inci-

Digitized by Google

incipit: *cum ex ſacrorum*: talis ſuſpenſio ipſo Jure incurritur, utut de Jure communi probabiliter teneri poſſet, hanc ſuſpenſionem non eſſe *latæ*, ſed *ferendæ* ſententiæ. *arg. cap. cum quidam. &*
16 *c. conſultationi h. t.* Contra ordinatorem verò nec Jure communi, nec in d. Bulla Pii reperitur cenſura ipſo Jure ſtatuta, ſed per ſententiam inferenda. *c. 2. & c. cum quidam. h. t.* neque Epiſcopi aliquam de Jure generaliter ſtatutam cenſuram incurrunt, niſi ſpecialis illorum mentio fiat. *c. 4. de ſent. excom. in* 6. videbitur forſan prima fronte in contrarium facere. *c. 8. Trid ſeſſ. 23. de reform.* ubi ſuſpenſio per annum ordinatori infligitur; ſed cùm leges pœnales ſtrictè ſint interpretandæ; & dictum *caput* 8. habeat duas diverſas diſpoſitiones, ideò dicendum; prædicta verba in fine poſita ad poſteriorem tantùm diſpoſitionem *de ordinatione alieni ſubditi* ſpectare. Habetur etiam conſtitutio Sixti V. incipiens: *Sanctum & ſalutare*: per quam ipſi quoque ordinatores ſuſpenſionem incurrunt; ea tamen per aliam Conſtitutionem Clem. VIII. quæ incipit: *Romanum Pontificem*, revocata eſt. *Zyp. in Anal. Juris Pont. tit. de temporibus ordin.*

17 De abſolutione à ſuſpenſione ordinatorum extra tempora dubitatur, ad quem pertineat? tantùm ad ſummum Pontificem pertinere arguit textus *in c. cum quidam. h. t.* & docet Barb. *d. l. n.* 15. ex ea ratione, quòd iſta ſuſpenſio indefinitè prolata ſit perpetua, & conſequenter *irregularitas*, à qua (niſi caſus fuerit occultus *juxta Trid. ſeſſ.*

ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.) nemo præter ſummum Pontificem abſolvit. Verùm magis mihi placet, quod docet Innoc. *in d. c. cum quidam* ab hac ſuſpenſione etiam abſolvere poſſe Archiepiſcopum, quaſi ab ipſo Jure ad hanc abſolutionem ſummi Pontificis delegatum conſtitutum, authoritate *c. conſultationi. & ibidem etiam Innoc. n. 1.* Idque non parum confirmat, quod in Bulla Pii II. nullo verbo ſuſpenſio Sedi Apoſtolicæ reſervetur: quòd verò dicitur ſuſpenſionem ſine præfixo tempore prolatam eſſe irregularitatem, haud facilè concederem, neque id aliquo Jure probatur. Nec eſt ſecundùm regulas Logicæ bona converſio, omnis irregularitas eſt ſuſpenſio ſine præfixo tempore, ergò omnis ſuſpenſio indeterminata eſt irregularitas: rectè enim negatur conſequentia, cùm poſſit eſſe; & plerumque ſit ſuſpenſio indeterminata, ad beneplácitum & arbitrium ſuperioris abſolventis. Imò de natura cenſuræ propriè dictæ tanquam pænæ medicinalis eſt, ut ſine præfixo tempore feratur, ſicut in tit. de ſententia excomm. §. 1. tradidimus, & in eod. tit. ex Suarez. docet Zoës. *n. 156.*

Circa privilegia quæ ſubindè vel ipſis Ordinatoribus vel ordinatis conceduntur ad Ordines etiam extra tempora diebus Dominicis, vel aliis feſtivis conferendos aut recipiendos notandum eſt, quod homine diei feſtivi ex probabili ſententia, quam cum aliis tenet Barb. *d. alleg. 17. n. 7.* etiam veniat feſtum chori, quod ſub ritu duplicis celebratur, licet non ſit feſtum fori, quo populus à laboribus ceſſat. 18

Sub

Sub pæna etiam ſuſpenſionis prohibitum eſt, ne plures ſacri Ordines, vel etiam minores cum Subdiaconatu eodem die recipiantur. *c. litteras* 13. *& c. dilectus.* 15. *hoc. tit. c.* 13. *de eo qui furtiv. Ord. ſuſc. Trident. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 13. *in fine.* Eſtque hæc ſuſpenſio per dictum *c.* 13. & 15. reſervata Pontifici, ſicut docent citati apud Barb. *in collect. ad cap.* 13. *Trident.* videtur tamen probabiliter teneri poſſe cum Gloſſ. *in d. c. dilectus. in fine, & in c. conſultationi. eodem tit.* Quod ex commiſſione & authoritate Juris etiam Archiepiſcopo abſolutio concedatur. Gloſſa quidem de Epiſcopo loquitur, ſed debet intelligi de illo Epiſcopo, cui dictum cap. *conſultationi.* inſcribitur, quem fuiſſe Archiepiſcopum inſpicienti inſcriptionem patebit. Epiſcopus enim ordinans cùm ſit author delicti, non convenit, ut in eodem delicto Judex conſtituatur. *c. diverſis.* 5. *in fine de Cleric. Conjug.* Cætera etiam quæ in lib. 5. in tit. *de ſententia excomm.* ad incurrendam cenſuram requiruntur, hic attendi debent.

Conſuetudinem quoque in quibusdam locis practicatam, ut eodem die, vel eadem ordinatione alicui *quatuor minores*, & *Subdiatonatus* conferantur, non eſſe contrariam Trident. quod tantùm de duobus *ſacris Ordinibus* loquitur, quamvis ſit contraria Juri communi, & propterea excuſare à cenſura cum Nav. *in Manual. Confeſſorum cap.* 25. *n.* 71. communiter admittunt Doctores.

Præ-

Digitized by Google

Præterea de Jure Concilii Trid. *d. seſſ.* 23. *cap.* 20
13. 14. conſtitutum eſt, ut in Ordinibus conferendis certa *temporum interſtitia* ſervéntur, neque Diaconus ordinetur, qui non prius per annum in ſubdiaconatu, neque Presbyter, qui non ſimiliter per annum in diaconatu verſatus fuerit. Minores etiam Ordines non omnes eodem die, ſed per temporum interſtitia (ſaltem arbitrio Epiſcopi, cum determinata non ſint) conferri mandavit, Trid. *d. lo. cap.* 11. Poteſt tamen Epiſcopus, ſi ita Eccleſiæ expedire viderit, hæc interſtitia tam *majorum* quam *minorum* Ordinum remittere. & circa minores Ordines conſuetudo paſſim obtinuit, ut nulla interſtitia ſerventur, ſed ſimul eadem die conferantur, quod etiam ante Trid. licuiſſe, practicatum fuiſſe docet Gloſſ. *in c. 3. in V. ad minores hoc tit.* Vallenſis. *eodem tit. n.* 7. quæ quidem conſuetudo in minoribus Ordinibus tolerari poteſt; ſed quod etiam in plerisque Diœceſibus ad *majores Ordines* trahatur, & paſſim ſine delectu perſonarum, ac neceſſitate Eccleſiæ ne dum intra annum, ſed etiam intra unam quadrageſimam omnes *ſacri Ordines* alicui conferantur, & in Sacerdotem, ac Magiſtrum vitæ ſpiritualis promoveatur, qui vix diſcipulus eſſe cæpit, nec mundanos mores depoſuit, plurimum videtur repugnare debitæ diſpoſitioni ad Sacerdotale officium, & ſalubri, utique ex malis effectibus ob tam properam ordinationem natis provenienti, conſtitutioni Con-

cilii Trid. ac consequenter vix rationabile censeri potest.

Præter Episcopum etiam Vicarius generalis, & Capitulum sede vacante illis saltem casibus, quib⁹ litteras dimissorias, vel alieno Episcopo licentiã ordinandi dare possunt (quod in sequenti §. trademus) ex causa in interstitiis dispensent.

Abbates, quamvis cum suis Religiosis super interstitiis dispensare nequeant (exceptis interstitiis minorum Ordinum) sed id ad Episcopum pertineat, debet tamen Episcopus quoad causam dispensationis formare judicium suum ex attestatione ipsorum Abbatum, quia ad hos primo spectat judicare de Religiosis suis, & utilitate Ecclesiarum suarum. *Barb. de offic. Episc. alleg.* 18. *n.* 6. *&* 10.

Quod si ex aliena Diœcesi aliquis cum litteris dimissoriis adveniat in quibus non est dispensatum super interstitiis, non potest de Jure Episcopus ordinans dispensare sine proprii Episcopi consensu; tum quòd dispensatio sit actus Jurisdictionis, qui in proprios tantùm, non alienos subditos rectè exercetur, tum etiam quod ad proprium Episcopum pertineat judicare, an dispensatio suæ Ecclesiæ vel saluti ordinandi conducat. atque ita communiter servari, & à sacra Cong. Card. decisam refert Piasezius. *in praxi Episc. parte* 1. *cap.* 1. *n.* 11. Unde & stilus est, ut dimissorialibus inseratur clausula: *etiam non servatis interstitiis, super quibus tecum dispensamus.* non obstat, quod ordinandus in *se prorogat*, Jurisdictionem

ctionem ordinantis, quia *prorogata jurisdictio* sine consensu proprii Judicis non habet locum, ubi agitur de Jure superioris, & in causis spiritualibus, vel causa Ecclesiæ, aut animæ, *arg. c. si diligenti. de foro comp. Zerola in Praxi Episc. V. Vicarius. in dub. 5. circa finem.* sed quid, si de consuetudine universim in illa Diœcesi, ex qua ordinandus advenit, non serventur interstitia? R. per superius dicta, talem consuetudinem potius esse corruptelam, & reprobandam quam observandam. Interim non videtur prorsus improbabile, quin saltem ex tali consuetudine possit præsumi, de consensu proprii Episcopi, & per aliquam *Epycheiam* dari dispensatio, si ordinandus legitimas causas haberet, ob quas per interstitia expectare non posset, quando enim consensus non est de forma substantiali actus (sicut ex communi est consensus proprii Parochi, si alienus Sacerdos velit matrimonio assistere) tunc ordinariè etiam consensus rationabiliter præsumptus sufficit.

Demùm circa interstitia notandum, quod annus interstitialis non debeat mathematicè computari, ut præcisè contineat 365. dies, sed Ecclesiasticè V. g. de prima ordinatione Quadragesimæ ad eandem ordinationem anni sequentis, licet anno sequenti Quadragesima citiùs veniat. *Riccius in praxi aurea. parte 4. resol. 213.*

§. III.

De Qualitate Ordinandorum.

SUMMARIA.

21. *Ordinandus debet esse baptizatus & confirmatus.*
22. *Confirmationis Sacram. potest aliquando dari alieno subdito.*
23. *Ordinandus debet esse mas non fœmina. & ibi, quid olim Presbyteræ, Diaconissæ, &c.*
24. *Infanti validè confertur ordo sed non licitè.*
25. *Ordinandus debet esse subditus ordinantis, & quot modis aliquis dicatur subditus.*
26. *Ratione* Originis *ubi suscipiantur Ordines.*
27. *Vbi ratione* domicilii.
28. *Vbi ratione beneficii.*
29. *Ratione triennalis familiaritatis seu commensalitatis qualiter quis ordinari possit.*
30. *Vbi ordinandus, qui nullam ex prædictis causam habet.* (*scopos.*
31. *In recipiendis Ordinibus an liceat variare Epi-*
32. *Ordinatus à Papa ab alio sine ejus licentia ordinari non potest.*
33. *Exempti à quo ordinandi.*
34. *Novitii ubi ordinandi.*
35. *Ordinantis alienum subditum pœna.*
36. *Dimissorias quis concedat.*
37. *Arctati qui dicantur.*
38. *Dimissoria non expirant morte concedentis.*
39. *Dimittendus prius examinandus, si præsens sit.*

21 PLures qualitates in ordinandis desiderantur. Primò ut sit *baptizatus*, qui Ordines suscipere cupit. est enim Baptismus janua ad Ecclesiam, & Ec-

Digitized by Google

& Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ ſine eò nec licitè, nec validè ſuſcipiuntur, toto tit. & ibi Interpretes, *de Præsbytero non baptizato.*

II. Ut ſit *confirmatus* Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. omiſſa tamen confirmatio non vitiat Ordinem, quia non eſt ſubſtantialis, & poteſt aliquando conferri alieno ſubdito ab ordinante ex præſumpta licentia proprii Epiſcopi, veluti ſi quis cum dimiſſoriis veniat ad ordinationem, qui non ſit confirmatus. *Laym. in Theol. mor. de Sacramento confirm. c.* 6 *n.* 2. 22

III. Ut ſit mas non fœmina. Clericatus enim quædam dignitas, & præeminentia eſt inter cæteros fideles non conveniens mulieribus, quæ teſte Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 14. debent eſſe *viris ſubditæ, & turpe eſt eis in Eccleſia loqui, &c.* multo proindè magis indecens, viris divina miniſtrare. Hinc eſt quod licet beatiſſima Virgo quantum ad ſanctitatem fuerit excellentior omnibus Apoſtolis, non tamen illi, ſed iſtis Claves Eccleſiæ à Chriſto commiſſæ ſunt, ſicut dicitur *in c. nova. de pœnit. & remiſ.* Imò adeò mulieribus interdictum eſt Eccleſiaſticis miniſteriis, ut de Jure intra Cancellos altaris conſiſtere, aut Preſbytero miniſtrare, vel ſacra vaſa contingere non audeant, licet Sanctimoniales ſint. *c.* 1. *in fine. de cohabitat. Clericorum, & mulierum. c. ſacratus. diſt.* 23 *e. in Sancta. c. veſtimenta. diſt.* 1. *de conſecrat.* frequens quidem in ſtatu primitivæ Eccleſiæ mentio eſt, *Presbyterarum, & Diaconiſſarum*, attamen hæc appellatio non ab Ordine aliquo 23

proveniebat, sed quod essent uxores Presbyterorum, vel Diaconorum ante Ordinationem ductæ, quæ postea cum suis viris in perpetua continentia vivebant. *c. Presbyter. dist.* 31. Item & viduæ seniores perpetuis orationibus deputatæ Presbyteræ olim dicebantur. *c. ult. dist.* 32. Diaconissarum quoque nulla fuit olim ordinatio, sed ob majorem decentiam, & honestatem præerant foribus Ecclesiæ, per quas ingrediebantur mulieres, & fæmellas in Baptismo sustentabant. videatur Bellarm. *de Pontificatu Romano. lib.* 3. *cap.* 24.

24 IV. Ut sit capax rationis & non minor septennio, infanti enim quamvis validè conferatur ordo, ut ex Divo Thom. cum communi tradit Sylv. *verbo Ordo.* 4. *sub. n.* 1. non tamen licitè. *c. nullus Episcopus, & ibi Gloss. hoc tit. in* 6. quænam verò sit legitima ætas ad singulos Ordines inferius in tit. *de ætate & qualitate, &c.* dicemus.

25 V. Ut non sit illegitimè natus, obligatus, corpore vitiatus, infamis, vel alio modo irregularis de quibus in seqq. tit. agemus.

VI. Ut sit subditus Episcopi ordinantis & de hoc requisito cum compilatore in hoc §. tractandum. Quilibet igitur à proprio suo Episcopo ordinandus est, aliàs Episcopus alienum subditum sine litteris dimissoriis scienter vel affectatâ ignorantiâ ordinare præsumens à collatione Ordinum per annum, & sic ordinatus ab executione Ordinum susceptorum quamdiu proprio ordinario videbitur ipso Jure suspensus est,

Digitized by Google

est, licentia etiam datur omnibus subditis talis Episcopi suspensi, ut suspensione ejus manifestata, & durante, liberè à vicinis Episcopis sine litteris etiam dimissoriis valeant Ordines accipere. *c. 2. hoc tit. in 6. Trid sess 23. de reform. cap. 8. Bulla Pij II. cum ex sacrorum &c.*

Sunt autem de Jure quatuor modi proditi, ex quibus aliquis subditus Episcopi quantum ad Ordines recipiendos censetur nimirum 1. ratione *originis*: 2. ratione *domicilij*. 3 ratione *Beneficij*: & 4. ratione *triennalis familiaritatis*, seu *commensalitatis* cum Episcopo, *c. 1. & 2. hoc tit. in 6. Trid. d. sess. 23 cap. 9.*

Ratione *Originis* potest quisque ordinari in 26
loco ubi natus est, licet alibi domicilium, aut beneficium possideat. *d. c. 2.* dummodo sit natus ex constituto ibidem parentum domicilio, qui verò in aliquo loco nascitur in transitu, & peregrinatione parentum, non ibi sed in loco domicilii, vel beneficii, aut etiam in loco paternæ originis ordinari debet, vel in loco originis maternæ, si fuerit naturalis tantùm sive illegitimus, casu quo ad Ordines legitimaretur. *L. 1. §. 2. L. ejus. 9. ff. ad municipalem.* quia filius naturalis non paternam, sed matetnam originem sequitur. *Riccius in praxi aurea. parte 1. resol. 266.* Præterea quia textus *in d. c. 2.* non præcisè dicit, aliquem in Diœcesi debere esse *ortum*, sed *oriundum*, ideò Doctores comuniter cum Riccio *d. loco n. 4.* docent, ordinari filium posse in loco paternæ originis, licet ipse alibi natus sit.

Arg. Legis assumptio §. 1. *ff. ad municipalem.* addunt tamen exceptionem, si modo filius non fuerit conceptus, atq; natus postquam pater ejus locũ originis deseruit, domicilium alio transferendo: ob quam exceptionem vix aut rarò potest dari alius casus quàm ille, quem mox de filio nato in transitu posuimus, ut consideranti patebit.

27 Ratione *domicilii* recipiuntur Ordines ab Episcopo in cujus Diœcesi ordinandus habitationẽ perpetuam constituit: dico, *perpetuam*, nam aliud est *quasi domicilium*, sive habitatio tantum temporalis ad plures annos, vel etiam saltem ad majorem anni partem V. g. certi negotii expediendi causâ, quòd licet ad percipienda alia Sacramenta sufficiat, ad Sacramentum tamen Ordinis ex concordi Doctorum sententia verum domicilium requiritur.

Constituitur autem verum Domicilium *animo & facto*; animo nimirum perpetuò permanendi in loco (perpetuitate saltem proposita, quamvis ex post facto hoc propositum sicut & Domicilium mutari possit) & facto, scilicet capiendo possessionem, transferendo res suas. *L. Domicilium.* 20. *ff ad municipalem. L. tives C. de incolis.* neque hic certi alicujus temporis lapsus ad constituendum domicilium requiritur, sed prima etiam die constitutum censetur, quo quis in locum animo perpetuo habitandi advenit. *Panor. in c. fin. de Parochiis. Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 23. n. 2. & communiter alii.* quod verò Imperator *in L. 2. C. de incolis.* scribit, cos, qui studio-

ſtudiorum causâ in aliquo loco morantur domicilium ibi non habere niſi 10. annis tranſactis eo loco fedes ſibi conſtituerunt; non eſt intelligendum, quod ad conſtituendum domicilium requiratur *decennium*, vel ex decennali habitatione conſtitutum cenſeatur, ſed quod ex lapſu tanti temporis præſumptio Juris de conſtituto domicilio oriatur, niſi aliunde appareat de animo v. g. poſt abſoluta ſtudia diſcedendi. quem textum cum Gloſſ. *in d. l.* 2. ita interpretatur Sanch. *d. l. n.* 1. conſiſtentia enim quanticunq; temporis in loco non facit verum domicilium, ſi animus perpetuo habitandi abſit, teſte Barb. *de offic Epiſcop. alleg.* 4. *n.* 25.

28 Ratione *beneficij* ordinari quis poteſt ab Epiſcopo in cujus diœceſi beneficium poſſidet. *c. cum nullus. h. t. in* 6. Porrò cùm textus non diſtinguat inter qualitates beneficii, exiſtimant Doctores, nec nos diſtinguere debere, *arg. L. de pretio. ff. de publiciana.* & ideò probabiliter docent, obtinentem beneficium quod certum tantùm ordinem, fortè Subdiaconatum requirat, licet perſonalem reſidentiam non habeat, vel tenue & modicum ſit, in loco illius beneficii ordinari poſſe. quia beneficium quodcunque tribuit Epiſcopo jurisdictionem in beneficiatum, & locum facere videtur *d cap. cum nullus.* generaliter & ſine diſtinctione loquenti, præſertim in materia tali, quæ ordinanti, & ordinato eſt favorabilis. *Riccius in praxi aurea. parte* 1. *reſol.* 27. & 272. *Barb. ad Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *n.* 22. *cum pluribus ibidem cit.* Ra-

29 Ratione demùm *Triennalis familiaritatis* poteſt Epiſcopus ordinare ſibi aliàs non ſubditum, qui per triennium in ipſius familia, ſive ſervitio ejus ſumptibus vixit, & ita quaſi commenſalis fuit. *Trid. ſeſſ* 23. *de reform. cap* 9. quia tamen Conc. mandat, ut Epiſcopus tali familiari ordinato quàmprimùm beneficium conferat, ideò Epiſcopus *tutularis* & qui nullam Diœceſin actu habet, prætextu triennalis commenſalitatis neminem ordinare poteſt, cùm ipſi beneficium aliquod nequeat conferre, & generaliter omnis ordinatio alieni ſubditi ſine licentia proprii Prælati his Epiſcopis *tutularibus* interdicta eſt in eodem Conc. Trid. *ſeſſ.* 14 *de reform. cap* 2.

Cæterùm quamvis requiratur quod hoc triennium continuò cum Epiſcopo transactum ſit, nec ſufficiat ſi familiaris in alio loco (niſi forſan modico tempore) ſumptibus Epiſcopi vixerit, cùm aliàs Epiſcopo non poſſint eſſe ſatis cogniti mores ordinandi, ob quam rationem Conc. ordinationem familiaris potiſſimùm indulſit, non tamen requiritur, quod illud triennium cum Epiſcopo, ut Epiſcopo, tranſactum ſit, ſufficiet ſi inceptum ſit ante Epiſcopatum, dum Epiſcopus adhuc Canonicus erat. *Riccius in praxi aurea p.* 1 *reſol.* 276. & 278. Illud quoque communiter notant Doctores quòd Epiſcopus cum familiari ſuo alias non ſubdito in interſtitiis, vel aliis impedimentis Canonicis nequeat diſpenſare, niſi prius aliquod ei beneficium conferat, ex quo tanquam in ſubditum Eccleſiaſticam veram

veram jurisdictionem consequatur, *Riccius d. l. Barb. de officio Episcopi. p. 2. alleg. 5. n. 14.*

Quid, si quis nec domicilium originis paternæ vel avitæ (quia & pater & avus vagi fuerunt) nec proprium, nec beneficium, nec triennalem familiaritatem cum Episcopo habeat? R. talem probabiliter ordinari posse in illa diœcesi in qua invenitur, quia non est magis subject9 uni, quàm alteri Episcopo. *Tiberius in instruct. ordin. cap. 7. q. 46.* natus verò vel habitans in loco nullius Diœcesis à viciniori Episcopo ordinandus. *Tib. d. l. Ricc, in praxi Episc. p. 1. c. 1. n. 10.* 30

Disputant etiam Doctores, an si Clericus v: g: Subdiaconatum receperit ab Episcopo originis, liceat ipsi variare, & reliquos Ordines ab Episcopo domicilii vel beneficii recipere? pro negativa, quam tuetur Riccius *d. l resol. 275.* facit, quod regulariter concessâ electione, & re non amplius integra denegetur variatio; veluti contractus ab initio omnes sunt liberæ voluntatis & electionis, postquam autem contractum est, fiunt necessitatis, & non datur variatio. *L. sicut. de oblig. & act* resignatio beneficii libera est, facta autem invariabilis, ut in tit. de renuntiatione traditur. Nihilominus cùm hic simus in materia favorabili, ubi de extensione potestatis Episcopalis, & excusatione à censuris malæ ordinationis agitur, contrarium satis probabiliter teneri potest cum Francisco Zypæo *in Consult. Canon. tit. de ætate & qualitate ordinand. Consult. 3.* Zoësio *h. t. n. 26.* eò quòd in Jure talis variatio 31

circa

circa Ordines prohibita non inveniatur, & textus ſine diſtinctione ex allegatis quatuor cauſis ordinationem concedat. Quod verò opponitur, electione permiſsâ variationem eſſe prohibitam: intelligendum eſt, circa eandem materiam & ſubjectum, non circa diverſa, ordo ab ordine verò numero & ſpecie diſtinguitur. In ſimili, qui Titium convenit in loco contractus ob debitum, non prohibetur utique eundem convenire in loco rei ſitæ, vel domicilio ob prædium &c.

32 Speciale eſt in ordinato à ſummo Pontifice, quòd ab alio ſine ejus licentia ordinari non poſſit: ſicut traditur *in c. in diſtribuendis. 12 hoc. tit.* idque ob ſpecialem reverentiam ordinantis, unde & tali ordinato quamvis non ſit à Jurisdictione Epiſcopi exemptus, debetur tamen inter cæteros Clericos major honor. *c. per tuas. 7. de majoritate & obedientia.*

33 Regulares etiam Ordinum exemptorum debent recipere Ordines ab Epiſcopo Diœceſis, in qua illud Monaſterium eſt ſitum, vel à viciniori, ſi locus ſit nullius Diœceſis, ſi verò Epiſcopus Diœceſanus non habeat ordinationes, licet Abbati vel ſuperiori Regulari dare dimiſſorias ad quemcunque alium Epiſcopum, ita in hac Diœceſi ſervatur, & de mandato Clementis VIII. à ſacra Cong. declaratum refert Tamburinus *de Jure Abbatum. tomo. 2. diſput. 2. quæſt. 25. n. 3.* Barb. *ad Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 10. n. 11.* in quibusdam tamen locis hæc declaratio circa

Mo-

Digitized by Google

Monaſteria exempta non eſt uſu recepta, & practicatur ſententia Nav. *hoc. tit. conſilio* 36. quod *dimiſſorias* concedere ſimpliciter ad Abbatem exemptum pertinet; tùm quòd ſuperior exemptus ſit propriè ordinarius habens jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in ſubditos Regulares, tùm etiam quod in Trid. *d. c.* 10. tantùm prohibeatur Abbatibus exemptis, ne dimiſſorias *ſubditis Sæcularibus* concedant: unde à contrario rectè inferri videtur, quòd *Regularibus ſubditis* concedere valeant. Non obſtat illa clauſula conſilio Navarri in finè ab aliquo extraneo (ut diverſitas characteris arguit) annexa, quòd hoc ſit intelligendum, ſi Prælatus habeat privilegium; nam rationes Navarri non loquuntur de privilegio, ſed de Jure communi, & ſuppoſito privilegio nulla eſt dubitandi ratio.

Novitios Monaſteriorum poſſe ordinari in illa Diœceſi, in qua Novitiatum agunt, licet alibi ſint nati, valde probabiliter cum Riccio, & aliis docet Barb. *de officio Epiſcopi parte* 2. *alleg.* 4. *n.* 36. quia ingrediens Monaſterium animo faciendi profeſſionem, & perpetuò ibi manendi, ſatis convenienter dici poteſt ibidem domicilium conſtituiſſe, unde & quoad *competentiam fori*, privilegium *Canonis*, aliósque Juris effectus ordinariè de corpore Monaſterii cenſetur, nec refert quòd Novitius poſſit redire ad ſæculum, debet enim attendi principalis intentio faciendi profeſſionem, prout non ideò minus verum domicilium eſt, quod ex poſt facto contra primam intentionem mutari poteſt. 34

Por-

35 Porrò Episcopus alienum Diœcesanum, qui ex quatuor recensitis modis sibi subjectus non est, absque litteris dimissoriis ordinare non potest, licitè (quamvis validè) aliàs pœnam suspensionis à collatione ordinum incurrit, nisi ignorantia probabili (v.g. ex assertione aliorum credendo ordinandum esse de sua Diœcesi) vel bona fide & præsumpta ratihabitione proprii Prælati excusetur. rectè tamen monet Barb. *de officio Episcopi parte 2. allegat.* 8 *n.* 4. non esse facilè aliquem extraneum ordinandum sub spe ratihabitionis, quia in his quæ tangunt ulterius jurisdictionem, non est facilè præsumenda ratihabitio, & ne sub hoc colore passim alieni subditi ordinentur.

36 *Dimissorias* concedere potest, omnis Episcopus, qui ex quatuor causis allegatis potest ordinare, juxta regulam, *quòd quis per alium facit, &c.* nisi fuerit excommunicatus, tunc enim dimissoriæ ejus non valent, sed subditi sine his ab alio Episcopo ordinari possunt. *c. 2. h. t. in 6.*

Vicarius Episcopi sine speciali mandato dimissorias concedere nequit, nisi Episcopus *in remotis* agat. *c. cum nullus. 3. h. t. in 6.* ubi Gloss. dicit, Episcopum *in remotis* censeri, si sit extra provinciam, vel ultra duas dietas à loco residentiæ. Sede vacante Capitulum, vel is ad quem tunc temporis pertinet Spiritualium administratio, dimissorias concedit. *d. c. 3.* sed hodie Concil. Trid. *sess. 7. de refor. c.* 10. constituit, ut cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore non liceat

Ca-

Digitized by Google

Capitulis infra annum à die vacationis dimissorias concedere, nisi *arctatis beneficii recepti, aut recipiendi causa*; quando nimirū beneficium certum Ordinem requirit, cujus susceptio ultra annum differri non potest, huic constitutioni Capitulum contraveniens subjacet Ecclesiastico interdicto, & ordinat⁹, si in minorib⁹ est, non gaudet privilegio Clericali, si in majoribus, est ipso Jure suspensus ad beneplacitum futuri Prælati. 37

Memini persæpè quæsitū, an *arctatus* dici possit, qui licet non speret beneficium, expectat tamen certò aliam conditionem, ad honestam sui sustentationem, quam non nisi habitis ordinibus obtinere potest? putarem affirmativā exparitate rationis in theoria valdè probabiliter sustineri posse. *arg. l. 13. ff. de LL.* maximè in Germania; ubi rarò ad beneficia, potiùs verò *ad titulos mensæ* (ut vocant) ordinantur Clerici, & aliundè sibi de necessariis providere debent. Prætereà hic agitur de modico præjudicio futuri Episcopi è contra de magno comodo & necessitate ordinandi, ac amplianda potestate Capituli, quid ergo prohibet, interpretationem favorabiliorē facere. *c. odia. de R. l. in 6.* ut beneficii nomine largius sumpto & per Epikiam seu benignā interpretationem ex bono & æquo, quæ rigori est præferenda; *l. placuit. C. de judicijs.* intelligatur etiam alia gratia, vel conditio, sustentatio, aut alimentatio benevolè oblata, quæ in effectu & fatione finis (qui est servitium in divinis, & alimentatio Clerici) beneficio comparari potest.

quem-

§. III.

De Qualitate Ordinandorum.

SUMMARIA.

21. *Ordinandus debet esse baptizatus & confirmatus.*
22. *Confirmationis Sacram. potest aliquando dari alieno subdito.*
23. *Ordinandus debet esse mas non fœmina. & ibi, quid olim Presbyteræ, Diaconissæ, &c.*
24. *Infanti validè confertur ordo sed non licitè.*
25. *Ordinandus debet esse subditus ordinantis, & quot modis aliquis dicatur subditus.*
26. *Ratione* Originis *ubi suscipiantur Ordines.*
27. *Vbi ratione* domicilii.
28. *Vbi ratione beneficii.*
29. *Ratione triennalis familiaritatis seu commensalitatis qualiter quis ordinari possit.*
30. *Vbi ordinandus, qui nullam ex prædictis causam habet.* (*scopos.*
31. *In recipiendis Ordinibus an liceat variare Epi-*
32. *Ordinatus à Papa ab alio sine ejus licentia ordinari non potest.*
33. *Exempti à quo ordinandi.*
34. *Novitii ubi ordinandi.*
35. *Ordinantis alienum subditum pœna.*
36. *Dimissorias quis concedat.*
37. *Arctati qui dicantur.*
38. *Dimissoria non expirant morte concedentis.*
39. *Dimittendus prius examinandus, si præsens sit.*

21 PLures qualitates in ordinandis desiderantur. Primò ut sit *baptizatus*, qui Ordines suscipere cupit. est enim Baptismus janua ad Ecclesiam, & Ec-

& Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ ſine eò nec licitè, nec validè ſuſcipiuntur, toto tit. & ibi Interpretes, *de Præsbytero non baptizato.*

II. Ut ſit *confirmatus* Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. omiſſa tamen confirmatio non vitiat Ordinem, quia non eſt ſubſtantialis, & poteſt aliquando conferri alieno ſubdito ab ordinante ex præſumpta licentia proprii Epiſcopi, veluti ſi quis cum dimiſſoriis veniat ad ordinationem, qui non ſit confirmatus. *Laym. in Theol. mor. de Sacramento confirm. c.* 6 *n.* 2. 22

III. Ut ſit mas non fœmina. Clericatus enim quædam dignitas, & præeminentia eſt inter cæteros fideles non conveniens mulieribus, quæ teſte Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 14. debent eſſe *viris ſubditæ, & turpe eſt eis in Eccleſia loqui, &c.* multo proindè magis indecens, viris divina miniſtrare. Hinc eſt quod licet beatiſſima Virgo quantum ad ſanctitatem fuerit excellentior omnibus Apoſtolis, non tamen illi, ſed iſtis Claves Eccleſiæ à Chriſto commiſſæ ſunt, ſicut dicitur *in c. nova. de pœnit. & remiſſ.* Imò adeò mulieribus interdictum eſt Eccleſiaſticis miniſteriis, ut de Jure intra Cancellos altaris conſiſtere, aut Preſbytero miniſtrare, vel ſacra vaſa contingere non audeant, licet Sanctimoniales ſint. *c.* 1. *in fine. de cohabitat. Clericorum, & mulierum. c. ſacratus. diſt.* 23 *c. in Sancta. c. veſtimenta. diſt.* 1. *de conſecrat.* frequens quidem in ſtatu primitivæ Eccleſiæ mentio eſt, *Presbyterarum, & Diaconiſſarum*, attamen hæc appellatio non ab Ordine aliquo 23

proveniebat, sed quod essent uxores Presbyterorum, vel Diaconorum ante Ordinationem ductæ, quæ postea cum suis viris in perpetua continentia vivebant. *c. Presbyter. dist.* 31. Item & viduæ seniores perpetuis orationibus deputatæ Presbyteræ olim dicebantur. *c. ult. dist.* 32. Diaconissarum quoque nulla fuit olim ordinatio, sed ob majorem decentiam, & honestatem præerant foribus Ecclesiæ, per quas ingrediebantur mulieres, & fæmellas in Baptismo sustentabant. videatur Bellarm. *de Pontificatu Romano. lib.* 3. *cap.* 24.

24 IV. Ut sit capax rationis & non minor septennio, infanti enim quamvis validè conferatur ordo, ut ex Divo Thom. cum communi tradit Sylv. *verbo Ordo.* 4. *sub. n.* 1. non tamen licitè. *c. nullus Episcopus, & ibi Gloss. hoc tit. in* 6. quænam verò sit legitima ætas ad singulos Ordines inferius in tit. *de ætate & qualitate, &c.* dicemus.

25 V. Ut non sit illegitimè natus, obligatus, corpore vitiatus, infamis, vel alio modo irregularis de quibus in seqq. tit. agemus.

VI. Ut sit subditus Episcopi ordinantis & de hoc requisito cum compilatore in hoc §. tractandum. Quilibet igitur à proprio suo Episcopo ordinandus est, aliàs Episcopus alienum subditum sine litteris dimissoriis scienter vel affectatâ ignorantiâ ordinare præsumens à collatione Ordinum per annum, & sic ordinatus ab executione Ordinum susceptorum quamdiu proprio ordinario videbitur ipso Jure suspensus

est,

Digitized by Google

est, licentia etiam datur omnibus subditis talis Episcopi suspensi, ut suspensione ejus manifestata, & durante, liberè à vicinis Episcopis sine litteris etiam dimissoriis valeant Ordines accipere. *c. 2. hoc tit. in 6. Trid sess 23. de reform. cap. 8. Bulla Pij II. cum ex sacrorum &c.*

Sunt autem de Jure quatuor modi proditi, ex quibus aliquis subditus Episcopi quantum ad Ordines recipiendos censetur nimirum 1. ratione *originis*: 2. ratione *domicilij*. 3 ratione *Beneficij*: & 4. ratione *triennalis familiaritatis*, seu *commensalitatis* cum Episcopo, *c. 1. & 2. hoc tit. in 6. Trid. d. sess. 23 cap. 9.*

Ratione *Originis* potest quisque ordinari in 26
loco ubi natus est, licet alibi domicilium, aut beneficium possideat. *d. c. 2.* dummodo sit natus ex constituto ibidem parentum domicilio, qui verò in aliquo loco nascitur in transitu, & peregrinatione parentum, non ibi sed in loco domicilii, vel beneficii, aut etiam in loco paternæ originis ordinari debet, vel in loco originis maternæ, si fuerit naturalis tantùm sive illegitimus, casu quo ad Ordines legitimaretur. *L. 1. §. 2. L. ejus. 9. ff. ad municipalem.* quia filius naturalis non paternam, sed matetnam originem sequitur. *Riccius in praxi aurea. parte 1. resol. 266.* Præterea quia textus *in d. c. 2.* non præcisè dicit, aliquem in Diœcesi debere esse *ortum*, sed *oriundum*, ideò Doctores comuniter cum Riccio *d. loco n. 4.* docent, ordinari filium posse in loco paternæ originis, licet ipse alibi natus sit.

Arg. Legis assumptio §. 1. *ff. ad municipalem.* addunt tamen exceptionem, si modo filius non fuerit conceptus, atq; natus postquam pater ejus locũ originis deseruit, domicilium alio transferendo: ob quam exceptionem vix aut rarò potest dari alius casus quàm ille, quem mox de filio nato in transitu posuimus, ut consideranti patebit.

27 Ratione *domicilii* recipiuntur Ordines ab Episcopo in cujus Diœcesi ordinandus habitationẽ perpetuam constituit: dico, *perpetuam*, nam aliud est *quasi domicilium*, sive habitatio tantum temporalis ad plures annos, vel etiam saltem ad majorem anni partem V. g. certi negotii expediendi causâ, quòd licet ad percipienda alia Sacramenta sufficiat, ad Sacramentum tamen Ordinis ex concordi Doctorum sententia verum domicilium requiritur.

Constituitur autem verum Domicilium *animo & facto*; animo nimirum perpetuò permanendi in loco (perpetuitate saltem proposita, quamvis ex post facto hoc propositum sicut & Domicilium mutari possit) & facto, scilicet capiendo possessionem, transferendo res suas. *L. Domicilium.* 20. *ff ad municipalem. L. cives C. de incolis.* neque hic certi alicujus temporis lapsus ad constituendum domicilium requiritur, sed prima etiam die constitutum censetur, quo quis in locum animo perpetuo habitandi advenit. *Panor. in c. fin. de Parochiis. Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 23. n. 2. & communiter alii.* quod verò Imperator *in L. 2. C. de incolis*, scribit, eos, qui studio-

ſtudiorum causâ in aliquo loco morantur domicilium ibi non habere niſi 10. annis tranſactis eo loco ſedes ſibi conſtituerunt; non eſt intelligendum, quod ad conſtituendum domicilium requiratur *decennium*, vel ex decennali habitatione conſtitutum cenſeatur, ſed quod ex lapſu tanti temporis præſumptio Juris de conſtituto domicilio oriatur, niſi aliunde appareat de animo v. g. poſt abſoluta ſtudia diſcedendi. quem textum cum Gloſſ. *in d. l.* 2. ita interpretatur Sanch. *d. l. n.* 1. conſiſtentia enim quanticunq; temporis in loco non facit verum domicilium, ſi animus perpetuo habitandi abſit, teſte Barb. *de offic Epiſcop. alleg.* 4. *n.* 25.

Ratione *beneficij* ordinari quis poteſt ab Epi- 28
ſcopo in cujus diœceſi beneficium poſſidet. *c. cum nullus. h. t. in* 6. Porrò cùm textus non diſtinguat inter qualitates beneficii, exiſtimant Doctores, nec nos diſtinguere debere, *arg. L. de pretio. ff. de publiciana.* & ideò probabiliter docent, obtinentem beneficium quod certum tantùm ordinem, fortè Subdiaconatum requirat, licet perſonalem reſidentiam non habeat, vel tenue & modicum ſit, in loco illius beneficii ordinari poſſe. quia beneficium quodcunque tribuit Epiſcopo jurisdictionem in beneficiatum, & locum facere videtur *d cap. cum nullus.* generaliter & ſine diſtinctione loquenti, præſertim in materia tali, quæ ordinanti, & ordinato eſt favorabilis. *Riccius in praxi aurea. parte* 1. *reſol.* 27. & 272. *Barb. ad Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *n.* 22. *cum pluribus ibidem cit.*

Ra-

29 Ratione demùm *Triennalis familiaritatis* poteſt Epiſcopus ordinare ſibi aliàs non ſubditum, qui per triennium in ipſius familia, ſive ſervitio ejus ſumptibus vixit, & ita quaſi commenſalis fuit. *Trid. ſeſſ* 23. *de reform. cap* 9. quia tamen Conc. mandat, ut Epiſcopus tali familiari ordinato quàmprimùm beneficium conferat, ideò Epiſcopus *tutularis* & qui nullam Diœceſin actu habet, prætextu triennalis commenſalitatis neminem ordinare poteſt, cùm ipſi beneficium aliquod nequeat conferre, & generaliter omnis ordinatio alieni ſubditi ſine licentia proprii Prælati his Epiſcopis *tutularibus* interdicta eſt in eodem Conc. Trid. *ſeſſ.* 14 *de reform. cap* 2.

Cæterùm quamvis requiratur quod hoc triennium continuò cum Epiſcopo transactum ſit, nec ſufficiat ſi familiaris in alio loco (niſi forſan modico tempore) ſumptibus Epiſcopi vixerit, cùm aliàs Epiſcopo non poſſint eſſe ſatis cogniti mores ordinandi, ob quam rationem Conc. ordinationem familiaris potiſſimùm indulſit, non tamen requiritur, quod illud triennium cum Epiſcopo, ut Epiſcopo, tranſactum ſit, ſufficiet ſi inceptum ſit ante Epiſcopatum, dum Epiſcopus adhuc Canonicus erat. *Riccius in praxi aurea p.* 1 *reſol.* 276. & 278. Illud quoque communiter notant Doctores quòd Epiſcopus cum familiari ſuo alias non ſubdito in interſtitiis, vel aliis impedimentis Canonicis nequeat diſpenſare, niſi prius aliquod ei beneficium conferat, ex quo tanquam in ſubditum Eccleſiaſticam veram

Digitized by Google

veram jurisdictionem consequatur. *Riccius d. l. Barb. de officio Episcopi. p. 2. alleg. 5. n. 14.*

Quid, si quis nec domicilium originis paternæ vel avitæ (quia & pater & avus vagi fuerunt) nec proprium, nec beneficium, nec triennalem familiaritatem cum Episcopo habeat? R. talem probabiliter ordinari posse in illa diœcesi in qua invenitur, quia non est magis subject9 uni, quàm alteri Episcopo. *Tiberius in instruct. ordin. cap. 7. q. 46.* natus verò vel habitans in loco nullius Diœcesis à viciniori Episcopo ordinandus. *Trb. d. l. Ricc, in praxi Episc. p. 1. c. 1. n. 10.* 30

Disputant etiam Doctores, an si Clericus v: g. Subdiaconatum receperit ab Episcopo originis, liceat ipsi variare, & reliquos Ordines ab Episcopo domicilii vel beneficii recipere? pro negativa, quam tuetur Riccius *d. l resol.* 275. facit, quod regulariter concessâ electione, & re non amplius integra denegetur variatio; veluti contractus ab initio omnes sunt liberæ voluntatis & electionis, postquam autem contractum est, fiunt necessitatis, & non datur variatio. *L. sicut. de oblig. & act.* resignatio beneficii libera est, facta autem invariabilis, ut in tit. de renuntiatione, traditur. Nihilominus cùm hic simus in materia favorabili, ubi de extensione potestatis Episcopalis, & excusatione à censuris malæ ordinationis agitur, contrarium satis probabiliter teneri potest cum Francisco Zypæo *in Consult. Canon. tit. de ætate & qualitate ordinand. Consult.* 3. Zoccio *h. t. n.* 26. eò quòd in Jure talis variatio 31

circa

circa Ordines prohibita non inveniatur, & textus sine distinctione ex allegatis quatuor causis ordinationem concedat. Quod verò opponitur, electione permissâ variationem esse prohibitam: intelligendum est, circa eandem materiam & subjectum, non circa diversa, ordo ab ordine verò numero & specie distinguitur. In simili, qui Titium convenit in loco contractus ob debitum, non prohibetur utique eundem convenire in loco rei sitæ, vel domicilio ob prædium &c.

32 Speciale est in ordinato à summo Pontifice, quòd ab alio sine ejus licentia ordinari non possit: sicut traditur *in c. in distribuendis. 12 hoc. tit.* idque ob specialem reverentiam ordinantis, unde & tali ordinato quamvis non sit à Jurisdictione Episcopi exemptus, debetur tamen inter cæteros Clericos major honor. *c. per tuam. 7. de majoritate & obedientia.*

33 Regulares etiam Ordinum exemptorum debent recipere Ordines ab Episcopo Diœcesis, in qua illud Monasterium est situm, vel à viciniori, si locus sit nullius Diœcesis, si verò Episcopus Diœcesanus non habeat ordinationes, licet Abbati vel superiori Regulari dare dimissorias ad quemcunque alium Episcopum, ita in hac Diœcesi servatur, & de mandato Clementis VIII. à sacra Cong. declaratum refert Tamburinus *de Jure Abbatum. tomo. 2. disput. 2. quæst. 25. n. 3.* Barb. *ad Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 10. n. 11.* in quibusdam tamen locis hæc declaratio circa

Mo-

Digitized by Google

Monaſteria exempta non eſt uſu recepta, & practicatur ſententia Nav. *hoc. tit. conſilio* 36. quod *dimiſſorias* concedere ſimpliciter ad Abbatem exemptum pertinet; tùm quòd ſuperior exemptus ſit propriè ordinarius habens jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in ſubditos Regulares, tùm etiam quod in Trid. *d. c.* 10. tantùm prohibeatur Abbatibus exemptis, ne dimiſſorias *ſubditis Sæcularibus* concedant: unde à contrario rectè inferri videtur, quòd *Regularibus ſubditis* concedere valeant. Non obſtat illa clauſula conſilio Navarri in finè ab aliquo extraneo (ut diverſitas characteris arguit) annexa, quòd hoc ſit intelligendum, ſi Prælatus habeat privilegium; nam rationes Navarri non loquuntur de privilegio, ſed de Jure communi, & ſuppoſito privilegio nulla eſt dubitandi ratio.

Novitios Monaſteriorum poſſe ordinari in illa Diœceſi, in qua Novitiatum agunt, licet alibi ſint nati, valde probabiliter cum Riccio, & aliis docet Barb. *de officio Epiſcopi parte* 2. *alleg.* 4. *n.* 36. quia ingrediens Monaſterium animo faciendi profeſſionem, & perpetuò ibi manendi ſatis convenienter dici poteſt ibidem domicilium conſtituiſſe, unde & quoad *competentiam fori*, privilegium *Canonis*, aliósque Juris effectus ordinariè de corpore Monaſterii cenſetur, nec refert quòd Novitius poſſit redire ad ſæculum, debet enim attendi principalis intentio faciendi profeſſionem, prout non ideò minus verum domicilium eſt, quod ex poſt facto contra primam intentionem mutari poteſt. 34 Por-

Capitulis infra annum à die vacationis dimissorias concedere, nisi *arctatis beneficii recepti, aut recipiendi causa*; quando nimirū beneficium certum Ordinem requirit, cujus susceptio ultra annum differri non potest, huic constitutioni Capitulum contraveniens subjacet Ecclesiastico interdicto, & ordinat⁹, si in minoribꝰ est, non gaudet privilegio Clericali, si in majoribus, est ipso Jure suspensus ad beneplacitum futuri Prælati. 37

Memini perspè quæsitū, an *arctatus* dici possit, qui licet non speret beneficium, expectat tamen certò aliam conditionem, ad honestam sui sustentationem, quam non nisi habitis ordinibus obtinere potest? putarem affirmativā exparitate rationis in theoria valdè probabiliter sustineri posse. *arg. l. 13. ff. de LL.* maximè in Germania; ubi rarò ad beneficia, potiùs verò *ad titulos mensæ* (ut vocant) ordinantur Clerici, & aliundè sibi de necessariis providere debent. Præterea hic agitur de modico præjudicio futuri Episcopi è contra de magno cōmodo & necessitate ordinandi, ac amplianda potestate Capituli, quid ergo prohibet, interpretationem favorabiliorē facere. *c. odia. de R. l. in 6.* ut beneficii nomine largius sumpto & per Epikiam seu benignā interpretationem ex bono & æquo, quæ rigori est præferenda; *l. placuit. C. de judicijs.* intelligatur etiam alia gratia, vel conditio, sustentatio, aut alimentatio benevolè oblata, quæ in effectu & ratione finis (qui est servitium in divinis, & alimentatio Clerici) beneficio comparari potest.

quem-

quemadmodum idem Concilium Trid. *seſſ. 21. de ref. c. 2.* conſtituit, ne quis ſine *beneficio pacificè poſſeſſo* & ad victum honeſtum ſufficienti ordinetur, & tamen paſſim in Germania ad ſolum *titulum mensæ* qui utique beneficium propriè non eſt, (ut *in lib. 3. tit. de præbend.* videbimus) Clerici ordinantur. Idem putarem de privilegiis ordinandi extra tempora, quæ reſpectu *arctatorum* conceduntur. quia tamen hujus ſententiæ authorē hactenus ad manus non habeo, Ordinariorum judicio relinquo, quid in praxi tenendum arbitrentur.

38 Litteræ *dimiſſoriæ* ab Epiſcopo Vicario vel Capitulo ſemel conceſſæ non expirant, licet per mortem vel alium caſum beneficium concedentis eſſet, niſi expreſſè per ſucceſſorem revocentur, ſunt enim gratia & privilegium, quod non expirat morte concedentis. *Zabarella communiter receptus in Clem. fin. de elect. poſt num. 9. quæſt. 5. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloſſ. 12. n. 36.*

39 Demùm licet ex Trid. *ſeſſ. 14. de reform. c. 3.* & *ſeſſ. 23. c. 3.* Epiſcopus ipſe qui dimiſſorias concedit dimittendum prius examinare & approbare debeat, hoc tamen intelligendum videtur, ſi dimittendus alias in loco conſiſtat. & dimittatur, quia Epiſcopus impedit ur ordinationes habere; ſi verò dimittendus abſens ſit, nec facilè ad ſuum Epiſcopum accedere valeat, uſus obtinuit, ut examen committatur Epiſcopo ordinanti ejúſque deſuper conſcientia oneretur

TITU-

Titulus II.

Est 12. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Scrutinio in Ordine faciendo.

Summaria.

1. *Scrutinium quid & quotuplex.*
2. *In Scrutinio qua examinanda.*
3. *Ab haereticis eorumque fautoribus descendentes ordinari prohibentur.*
4. *Filij quare puniantur, in haresis & laesæ majestatis crimine.*
5. *Judæi & gentilium liberi cur non prohibeantur ordinari.*
6. *Ordinandus quæscire debeat.*
7. *Neophytus quando ordinari possit.*
8. *Tertium scrutinium quale.*

SCrutinium à scrutando, sive interrogando dicitur examen ordinandorum, idque triplex est, primum & secundum quod ante ordinationem, & tertium quod in ipsa ordinatione peragitur. Primum habetur ex decreto Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 5. ubi statuitur, ut hi *qui ad singulos majores Ordines sunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri cui magis expedire videbitur committat, ut nominibus ac desiderio eorum publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinatorum natalibus, ætate, moribus, & fide, à vitâ dignis diligenter inquirat, & testimonium inquisitionis mox ad Episcopum transmittat.* quod licet usus in Germania non receperit, expediret tamen tam salubrem constitutionem observare, 1

ut ſecundùm præceptum Apoſtoli. 1. *ad Corinth. 5. nemini citò manus imponatur*, priusquam de ipſius ſtatu, vita & moribus ſufficiens informatio habeatur.

Alterum ſcrutinium eſt, quod Epiſcopo ſecundùm ſtatuta antiquorum Canonum. *diſt.* 24. & Trid. *ſeſſ.* 23 *c* 7. incumbit, ut omnes ad ordinem accedere volentes *feria quarta ante ipsâ ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, ad civi-*
2 *tatem evocentur. Epiſcopus autem Sacerdotibus, aliisque peritis viris ſibi adjunctis ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem, diligenter inveſtiget & examinet* ſingula, quæ SS. Canones & Trid. examinari volunt, breviter percurramus.

3 Itaque ad examen *generis* pertinet inquirere, an ordinandus ſit ex genere maculato circa fidem; quia ſacri Canones ab ordinibus excludunt deſcendentes ab hæreticis, ac fautoribus, & defenſoribus eorundem, uſque ad ſecundum gradum per lineam maſculinam, & uſque ad primum per fœmininam, niſi eorum parentes ante mortem pœnituerint, & Eccleſiæ reincor-
4 porati fuerint. *Barb. in collect. ad Trid. d. cap. 7. n.* 5. & hæc hæreſis pœna eſt, quæ adinſtar criminis læſæ majeſtatis etiam in filiis punitur. *c. vergentes.* 10. *de hæret. L. quisquis, C. ad L. Juliam Majeſt.* tum ad execrationem ſceleris, ut parentes ſaltem in pœna filiorum terreantur, tum etiam, quod filii interdum heredes non tantùm bonorum, ſed etiam vitiorum paterno-

rum

rum præsumantur, ideóque puniantur sine culpa sua quidem, sed non sine causa: In Germania tamen ubi hæresis licentiosiùs grassatur, non est tam accurata hujus pœnæ observatio, dummodo descendentes ex hæreticis ipsi probi Catholici reperiantur.

Judæi autem & gentiles per januam baptismi nunquam in Ecclesiam ingressi, sicut extra Jurisdictionem Ecclesiæ constituti ob infidelitatem puniri nequeunt, ita etiam eorum liberi à sacris Ordinibus non prohibentur. 5

In *persona* examinatur ordinandus, sitne servus, obligatus, bigamus, legitimus, aut corpore vitiatus, ut in sequentibus tit. videbimus. Item de ætate ordinandi & institutione (id est titulo, *Gloss. in c. quando, dist.* 24.) in tit. *de ætate & qual.* tractabimus.

Mores probare debet ordinandus per testimonium Parochi & Magistri scholæ, juxta Trid. sess. 23. *cap.* 5. Undè infamia juris aut facti laborantes, & publicè pœnitentes ordinari prohibentur. *c. fin. de Tempor. ordin. c. ex pœnitentibus. dist.* 10.

Doctrina requisita excludit illitteratos. *c. fin. de ætate & qualitate. c. illitteratos. dist.* 36. ad primam tonsuram sufficit, si ordinandus fidei rudimenta, item legere & scribere (quod de materna tantùm lingua, cum Concilium aliam non expresserit, Doctores intelligunt) sciat. 6

Ad alios minores Ordines promovendi præter latinam linguam (quam in specie requirit

Trid. seſſ. 23. cap. 11.) etiam quæ sui sunt officii noſſe debent, nim. quod ad oſtiarium ſpectet Eccleſiam cuſtodire, dignos admittere, indignos excludere: ad Lectorem ſacra lectione fidelium animos ad pietatem excitare: ad Exorciſtam ſuper energumenos, & cathecumenos invocare: ad Acolythum lumina, vinum & aquam ad ſacrificium deferre.

Ad ſacros Ordines aſſumendi ſcire debent ea, quæ exercendo eorum Ordini conveniunt, ut quod Subdiaconus in ſolenni officio calicem ad altare deferre, Epiſtolam canere, & juxta ritum Eccleſiæ mediante Diacono in altari miniſtrare, præterea etiam ad deferendum habitum, & tonſuram Clericalem, recitandum Breviarium, & ſervandam caſtitatem ex voto ſacris Ordinibus annexo obligatus eſſe debeat. quod ad Diaconatum ſpectet, Sacerdoti ſolenniter celebranti immediatè in omnibus miniſtrare, Evangelium canere, populo prædicare, aliquandò etiam ex commiſſione Sacerdotis inſtante cauſa neceſſitatis, ubi Sacerdos præſens non eſt, baptizare, etiam ſolenniter; ad Presbyteratum denique talis ſcientia requiritur, ut ordinatus Sacramenta adminiſtrare & populum in his, quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, inſtruere valeat. *Trid. d. l.* [illegible] 14.

7 Circa *fidem* requiritur, ut ordinandus non tantùm alienus ab Eccleſia Catholica, ſed etiam *neophytus*, hoc eſt recenter converſus non ſit; erit tamen penes arbitrium Epiſcopi, conjicere ex moribus,

moribus, & pietate conversi, intra quantum tempus noviter conversus inter veteranos Christi milites, & ad Ordines dignus conseri possit, teste Covar. *in relect. Clem. si furiosus. parte 2. §. 2. n. 7. vers. tertia conclusio.*

Tertium demùm scrutinium quod fit in ipsa 8
ordinatione, & de quo loquitur *cap. un. hoc tit.* illud est, quando Episcopus in actu ordinationis quærit, utrum ordinandi digni sint, ut ad Ordines assumantur? cui quæstioni olim quidem respondebat Archidiaconus (ad cujus officium spectabat ordinandos examine, & ad Ordines Episcopo præsentare) quòd *quantum humana fragilitas nosse sinit, sciat & testificetur illos dignos esse.* Verùm id ipsum hodiè in desuetudinem abiit, & usus obtinuit, ut Capellanus vel Diaconus Episcopo ordinanti ministrans loco Archidiaconi per illa verba respondeat.

Titulus III.

Est 14. in Lib. 1. Decretal.

De Ætate, Qualitate, & Ordine præficiendorum.

§. I.

De Ætate, & Titulo ordinandi.

Summaria.

1. *Ætas quæ requiratur in Minoribus.*
2. *Quæ in majoribus.*
3. *Annus ultimus sufficit incheatus.*

Digitized by Google

4. *Natus ad initium ſeptimi menſis cenſetur legitimus.*
5. *Quid de defectu unius diei, vel horæ, vel biſſexti?*
6. *Ordinatus ante legitimam ætatem recipit characterem, ſed non executionem.*
7. *Quid ſi fuerit in bona fide, vel etiam abſolutus à ſuſpenſione ante legitimam ætatem celebraverit.*
8. *Bullæ extravagantis eſt tolerabilis ignorantia.*
9. *Ordinatus bona fide ab excommunicato non incurrit ſuſpenſionem quæ ſit cenſura.*
10. *Ordinatus Sacerdos ante legitimam ætatem etiam mala fide, an hoc ipſo efficiatur irregularis, quod Epiſcopo ordinanti concelebret.*

Alia Summaria poſt n. 10.

Tractat quidem compilator in hoc tit. principaliter de *ætate qualitate & ordine* eorum, qui dignitatibus præficiuntur, ut tamen in materia ordinationis pergamus, priùs de *ætate* & *tuulo* ſive beneficio ordinandi videbimus.

1 ÆTas alia in *majoribus*, alia in *minoribus* ordinibus requiritur. ad *minores* quod attinet, communior eſt Doctorum ſententia apud Barb. *de officio Epiſcopi*, *parte* 2. *Alleg.* 11. *n.* 1. quòd prima tonſura, Lectoratus, Oſtiariatus, & exorciſtatus *ſeptem*, Accolytatus autem *duodecim* annos completos requirat, ſicut colligitur ex textu & Gloſſ. *in c. de his diſt.* 28. *& c. in ſingulis. diſt.* 77. ſi qui autem Canones majorem ætatem in his Ordinibus præſcribant, ut *in c. nemo. diſt.* 78. illi explicandi ſunt, ut loquantur non de receptione, ſed de exercitio Ordinum, ut ſcilicet nullus aſſumatur ad exercendos illos Odines,

niſi

nisi saltem arbitrio Episcopi fuerit ir ætate idonea constitutus.

Subdiaconatus olim annos *octodecim*, & Diaconat⁹ *viginti* requirebat. *Clem. ult. hoc tit.* hodiè autem ex Trid. *sess. 23. de reform. cap. 12*, nullus potest promoveri ad *subdiaconatum* ante annum ætatis *vigesimum secundum*, & ad *Diaconatum* ante annū *vigesimum tertium*. Sacerdotium olim, sicut & Episcopatus *triginta* annos desiderabat. *cap. 1. & 2. dist. 28*. Exemplo Christi, ut existimant Doctores, qui teste Luca. *cap. 3. triginta* annorum cum esset incepit prædicare, & docere. postea verò hæc ætas licet fuerit in Episcopis retenta in Sacerdotibus tamen ad 25. annos restricta est. *d. Clem. ult. hoc tit. & Trid d. cap. 12.* 2

Est autem inter Doctores & in praxi receptū 3
cum Gloss. *in d. Clem. ult* quòd isti anni in majoribus Ordinibus non requirantur completi, sed sufficiant incepti, quia enim Canones non determinant, utrum anni cæpti, vel completi esse debeant, in dubio quod favorabilius, & quod minimū est, sequimur, *juxta Regulam 30. juris in 6. Barb. in Collect. ad d. c. 12. Trid n. 2.* & cum hac sententia recte consistunt verba Concilii Trid. quia non ordinatur V. g. *ante vigesimum secundum ætatis annum*, qui eundem agere inceperit. prout de Jure Civili *septimo* mense natus legitimus partus habetur. *L. septimo. 12. ff. de statu hom.* tametsi 182. die & ita (computando juxta morem Græcorum 30. dies pro uno mense) ad initium septimi mensis natus fuerit. *l. 3. & ibi nota Godofredi. ff. de suis & legit. hered.* 4

5 Addit etiam Barb. *c. l. n. 3.* quòd licet, si in ætate ad Ordines requisita unus dies aut una hora desideretur quo minus penultimus annus completus & ultimus inchoatus sit, Ordines licitè conferri nequeant, dies tamen *bissextilis* non computetur.

6 Cæterum ordinatus ante legitimam ætatem recipit quidem Ordinis Characterem, sed ex Bulla Pii II. quæ incipit; *cum ex sacrorum.* est ipso Jure suspensus, & si in tali suspensione ministraverit irregularis efficitur. Porrò licet hæc suspensio probabilius reservata non sit, sed ab ea etiam privatus Sacerdos absolvere possit, ut docet Card. de Lugo *in responsis Moralibus. Dubio* 10. *in fine.* quamdiu tamen ordinatus ad legitimam ætatem non pervenit, nec quidem cum licentia Episcopi ministrare valet; esset enim talis licentia dispensatio super ætate contra Canones, quæ regulariter tantùm S. Pontifici competit. atque ita à S. Congr. declaratum refert Garcias. *de beneficiis part.* 3. *cap.* 9. *n.* 51.

7 Sed quid, si de facto celebraret, vel ministraret, nunquid irregularis efficeretur; ex ea dubitandi ratione, quod usque ad legitimam ætatem fuerit à ministerio altaris suspensus adeoque in suspensione ministraverit. *c.* 1. *de sentent. & re jud. in* 6. Nihilominùs negativè respondendum est, si vel ob bonam fidem qua credidit se tempore ordinationis in legitima ætate constitutum nullam censurã incurrerit, vel certè si quam ob malam fidem incurrerit ab ea absolutus fuerit. nam

quod

quod de cætero ante legitimam ætatem prohibeatur miniſtrare, non eſt cenſura proprie dicta, quæ ob contemptum, & contumaciam infligitur, ſed impedimentum tantùm, & obſtaculum Canonicum, conſequenter ſi nulla cenſura contempta, nulla etiam irregularitas introducta fuit. *Covar. in Relect. Clem. ſi furioſus. parte 2. §. 2. n. 4. Barb. de officio Epiſc. parte. 2. Allegat. 16. n. 22.*

Notandum præterea, quod jam inſinuavi, nimirum ordinatum bona fide, & qui poſt diligentem inquiſitionem credidit, ſe ætatem legitimam habere, non incurrere ſuſpenſionem; loquitur enim conſtitutio Pii II. de illis, *qui præſumunt* ante legitimam ætatem ordinari, id eſt, qui dolosè, & ex contemptu Canonum agunt, *Navar. in Manuali. cap. 27. n. 155. Zypæus in Analyſi Juris Pont. tit. de ordinandis. n. 8.* Imò & ſi quis mala fide & ſcienter ante legitimam ætatem ordinatus ſit, ſi tamen ex ignorantia tolerabili dictæ Bullæ miniſtraverit, probabile eſt, eum nec cenſuram nec irregulariratem incurriſſe ex iis, quæ in tit. *de ſententia excom.* traduntur, quòd ignorantia cenſuræ excuſet à cenſura. & in hac ſpecifica materia docet Navar. *d. loco.* Covar. 8
in Relection. Clem ſi furioſus. d. parte 1. §. 2. n. 4. Accedit, quòd ignorantia Bullæ Extravagantis. ſicut eſt dicta conſtitutio Pii II. cenſeatur tolerabilis, excuſet à peccato, & conſequenter, à cenſura. *Navar. de officio delegat. conſilio. 4. n. 2.* Huc etiam transferantur, quæ ſupetius in proœmio decret. dicta ſunt, de obligatione, & au-

thoritate Bullarum Extravagantium, etsi in Bullario habeantur. & præsertim Bullæ continentes censuras non videntur obligare, nisi vel usu receptæ, vel à locorum ordinariis promulgatæ sint. *arg. cap. cum infirmitas. de panit & Remiss.*

Dices 1. non tantùm in Bulla Extravag. sed etiam Jure communi prohibitam esse ordinationem ante legitimam ætatem? R. de Jure communi magis docere Interpretes, ob ordinationem ante tempus non incurri censuram ipso facto, sed per sententiam Judicis.

9 Dices 2. si ignorantia probabilis excusat à censura, quomodo ergo ordinatus ignoranter ab excommunicato incurrit nihilominus suspensionem, ut in tit. *de ordinat. ab Episc. qui renunc.* dicemus. R. quod illa suspensio ordinati ignoranter ab excommunicato non sit propriè censura, quæ requirit contumaciam, qualis non ponitur in ignorante. *L. si ignorans 50. ff. locati*, sed tantum defectus in dante, sive ordinante, qui id, quod ipse non habuit, scilicet executionem Ordinis, dare haud potuit. *L. nemo potest. ff. de R. I.*

10 Demùm quod aliqui docent cum Barb. *de officio Episcop. parte. 2. Alleg. 16 n. 16.* Presbyterum ordinatum mala fide ante legitimam ætatē in ipsa ordinationis missa vigore d. Bullæ Pii II. effici suspensum, & irregularem, eò quòd jam tunc Episcopo celebranti concelebrârit, non putamus recipiendum; quia Ecclesia illam Missam in qua Presbyteri ordinantur respectu illorū non habet

habet pro actu celebrationis, sed pro actu ordinationis, ne unus idémque actus duplici pœna suspensionis, & irregularitatis puniatur. facit textus *in c. at si Clerici. §. de adulteriis. de Judiciis.* Et si in pœnalib⁹ termini sunt strictè & propriissimè accipiendi, certè non dicitur propriè celebrare, aut legere Missam, qui tantùm concelebrat, ad altare non accedit, Corpus Domini non pertractat, nec se ipsum sub utraque specie communicat. Usus quoque Ecclesiæ id confirmat, ubi prima Missa Presbyteri dicitur non illa, in qua quis ordinatus est, & in qua principalis celebrans est Episcopus, sed quam deinde per se solus & imediutè celebrat. Hanc sententiam sustinent Zypæus. *d. l. n.* 8. Quaranta *in summa Bullarii. V. ordo verſ. ampliatio illa.* & alij quàm plurimi apud Barb. *d. n.* 15. *citati.*

§. II.

De Titulo.

Summaria.

11. *Titulus quid, cur, & ad quos Ordines requiratur;*
12. *Sublatis titulis antiquorum Canon. hodie de Concil. Trid. ordinandus debet beneficium pacificè possidere.*
13. *Non requiritur ut beneficiatus tempore collationis habeat Ordinem beneficio annexum.*
14. *De titulo mensæ.*
15. *Titulus mensæ an debeatur illi qui non potest acquirere beneficium.*
16. *Pereunte titulo unde alendus Clericus.*
17. *Titulus mensæ non potest constitui super sola obligatione personali, sed reali.* 18. *In*

18. *In Ecclesiis collegiatis & Monasteriis requiritur consensus Capituli.*
19. *Titulus mensæ an possit constitui à Civitatibus & oppidis.*
20. *Clericus suspensus vel depositus an gaudeat titulo?*
21. *Ad titulũ Patrimonii quando quis ordinari valeat.*
22. *Quantum debeat esse Patrimonium.*
23. *Filius an possit ordinari ad hæreditatem Patris viventis.*
24. *Sicut pater tenetur dare donationẽ propter nuptias ita tenetur aliquid assignare filio ordinando.*
25. *Religiosi non habentes vota perpetua tenentur habere titulum. item & invalidè professi.*
26. *Quid speciale in* Societate.
27. *Quales pœnæ sint tum de Jure antiquo tum hodierno Conc. Trid. circa ordinationes sine titulo.*

Alia Summaria post §. 3.

II Cùm non deceat eos, qui divino ministerio, adscripti sunt, ut cùm ordinis dedecore, mendicent, aut sordidũ aliquem quæstum exerceant, ideò de Jure nemo ad sacros Ordines admittendus est, nisi titulum seu causam & mediũ se honestè alendi, ostendere possit. *c. neminem. c. sanctorum. dist.* 70. *c. accepimus. h. t. c. cum secundum. & c. tuis. de prabendis.* Dico *ad sacros Ordines*: ad *minores* enim ex communi sententia, & usu receptum est, contra Gloss. *in d. c. neminem.* non requiri titulum, quia Clerici in minoribus, si se clericaliter sustentare nequeant, liberè possunt à statu Clericali recedere, & alia negotia exercere. Propterea & constitutio Ttidentina (de qua mox dicemus) de *sacris* tantùm Ordinibus loqui-

loquitur, *Joan. Honorius de temporibus ordin. n.* 11. *Gare. de benefic. parte* 2. *n.* 5.

Quamvis autem de Jure antiquo ad diversos titulos aliquis ordinari potuerit, veluti ad titulum beneficii, patrimonii, hæreditatis paternæ, stipendii ab Episcopo sibi assignandi super fructibus suæ mensæ, item & ad titulum pensionis, vel stipendii à Laico assignandi super bonis suis, ut notatur in allegatis Capitulis: hodie verò constituit Conc. Trid. *sess.* 21. *de reform. cap.* 2. *Ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus, moribus, scientia, & ætate ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestum sufficiat pacificè possidere, id verò beneficium resignare nequeat, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admitti validè possit, nisi constiterit, quod resignans aliunde habeat, unde commodè vivat.* 12

Posset quidem alicui mirum videri, quomodo præcisè ad titulum beneficii pacificè possessi voluerit Conc. aliquem ordinari, cùm tamen ante susceptos Ordines Laicus beneficium Ecclesiasticum possidere non possit? sed sciendum est, quòd minores Ordines rectè suscipiantur absque titulo ut dictum, in minoribus autem regulariter quilibet beneficii Ecclesiastici capax sit, etsi illud beneficium Ordinem Sacerdotalem requirat, dummodò intra annum beneficiatus ad Ordinem requisitum promoveri valeat, vel etiam post annum, si justo impedimento retardetur. 13

detur. *c. licèt Canon. 14. de Elect. in 6. cap. 2. de Inſtit. in 6. & c. ſi pro Cleric. ubi Gloſſ. de præbend. in 6.*

14 In Germania quidem ubi præſertim in Parochiis opus eſt pluribus Cooperatoribus, nec beneficia ſimplicia adeò frequentia ſunt, uſus obtinuit, ut ad ſolum *titulum menſæ* abſque alio beneficio Clerici ordinentur. qui uſus poſſet exigente ſic neceſſitate tolerari, niſi inde abuſus ſubintraret, ut non tantùm Clerici, penes quos ſpes bonæ promotionis eſt, ſed ſine delectu quicunque abſque beneficio & ſpe beneficii ordinarentur, qui deinde, cum ante defectum virium ad *titulum* non recipiuntur, miſeram plerumque & ſcandaloſam vitam agunt.

Porrò de iſto *titulo menſæ* vix eſt aliquid apud Authores reperire, & tamen nonnunquam gravis quæſtio incidit, veluti primò an Clericus or-
15 dinatus, ſi beneficium acquirere non poſſit, debeat interea ex titulo alimentari, tametſi infirmus, vel ætate decrepitus non ſit? R. Si Clericus valeat ſe Miſſarum lectione, vel quocunque alio honeſto negotio, & ſtatum Clericalem non dedecente, alere, non debet neceſſario ali ex titulo, quemadmodum nec pater tenetur filio præſtare alimenta, qui ſe ipſum alere poteſt. *L ſi quis. 5. §. ſed ſi filius. ff. de agnoſcendis & alendis liberis.* quòd ſi autem Clerico revera omnia media ſe alendi deſint, & *titulus menſæ* ſit in terminis generalibus conceptus, tunc Clerico ex *titulo* alimenta in ſubſidium præſtanda ſunt, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare coga-

tur.

tur. si verò *titulus* sit specialiter limitatus, & restrictus in casum tantummodo infirmitatis, vel senectutis, nec concedens *titulum* facilè persuaderi possit, ut ex misericordia talem recipiat, tunc quia verba non obligant ultra intentionem proferentis, & alias limitata causa limitatum producit effectum, videtur planè Episcopo ordinanti, vel successori ejus saltem de bonis Ecclesiarum onus alendi incumbere, usque dum Clerico de beneficio provideatur. Etenim ad Episcopum pertinet consulere honori Ordinis Clericalis, sibique imputare debet, quòd ordinârit illum, qui per sufficientem titulum in omnem casum provisus de alimentis non fuit. *arg. cap. 2. 4. 16. de præb.* unde fiet, ut Episcopi reddantur cautiores, ne quoscunque tam facilè ad Clericatum recipiant, & ne uni plura beneficia, quàm honesta ejus sustentatio requirat, conferant.

Secundò quæritur, quis debeat alere Cleri- 16
cum, si ob interitum bonorum, super quibus titulus fundatus est, vel bellum aut pestem titulo frui nequeat? R. similiter ab Ecclesia alendum esse, si enim Ecclesia in necessitate debet alere pauperes etiam Laicos, multò magis Clericos tanquam propriè ad suam curam pertinentes? *Aurum Ecclesia habet*, ait D. Ambrosius *in c. aurum 12. quæst. 2. non ut servet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus.*

Tertiò quæritur, à quibus & super quibus re- 17
bus rebus *titulus mensæ* concedi debeat? R. *titulum*

Digitized by Google

lum quidem æquè à personis Laicis, quàm Ecclesiasticis constitui posse, non tamen super solâ obligatione personali, quia mortuâ personâ concedentis, & forsan hæreditate nullâ, aut tenui relictâ Clerico deperiret *titulus*. debet ergò *titulus* assignari cum obligatione reali & hypotheca bonorum, tot & tantorum, ut ex eorum redditibus Clerico possit esse sufficienter provisum, quod ex prudenti arbitrio Episcopi dependet, qui & illud diligenter advertere debet, ne hujusmodi bona sint prius ære alieno gravata. Cæterum titulus super bonis ita fundatus est onus reale, & transit ad quemcunque possessorem Jure ordinario hypothecæ.

18 Quòd si à Monasteriis vel Ecclesiis collegiatis concedatur *titulus*, non requiritur quidem hypotheca, quia bona Ecclesiarum non poterunt regulariter alienari, requiritur tamen consensus Capituli, aliàs enim successor in dignitate non tenetur stare obligationi sui antecessoris sine utilitate vel necessitate Ecclesiæ contractæ, per ea quæ traduntur *in c. pen. de fidejussor, & c. 1. de solut.*

19 De Civitatibus & Oppidis non videtur satis securè acceptari titulus à solo Magistratu, & Senatu civico subscriptus, nisi vel is in cujus dominio est locus, vel major pars Civitatis convocatæ consenserit, vel statutum aut consuetudo sit in loco, ut solus magistratus possit Civitatem vel Oppidum obligare, aut certè magistratus se suósque hæredes, & bona in subsidium obligârit.

Re-

Regulariter enim Civitas ex contractu quorundam non obligatur, niſi in dictis circumſtantiis, vel ſicut in mutuo probetur verſum in ejus utilitatem, aliàs verò non civitas, ſed illi qui contraxerunt tenentur. *L. Civitas. ff. ſi certum petatur. Rheyger in theſaur. jur. verbo Civitas. n. 6.*

Quæritur quartò, an Clericus, qui ob delictum ſuſpenſus vel privatus eſt beneficijs, aut depoſitus verbaliter, debeat ali ex *titulo*? Rſp. eſſe diſparitatem, an perſiſtat in contumacia ad petendam abſolutionem, vel diſpenſationem, aut non? ſi prius, non debent ipſi dari alimenta, ne non curet abſolutionem; cum poſſit per eam ſibi proſpicere: ſi poſterius, docent communiter cum Gloſſ. *fin. in c. ſtudent. 39. diſt. 5.* & Panorm. *in c. paſtoralis. §. verum. de appellat. n. 16.* quod, ne cogatur mendicare, debeant ipſi ex beneficio à quo ſuſpenſus vel privatus eſt, relinqui alimenta, ſi non integra, ſaltem in ſupplementum, in quantùm ea ex lectione Miſſarum, vel alio honeſto labore habere non poteſt, ſicut in ſimili tradit Godofred. *ad d. L. 6. §. 7. ff. de agnoſcendis liberis.* quòd ſi filius poſſit ſe ex ſuo opificio ſaltem pro parte alere, non teneatur pater alimenta præſtare.

Sed quid, ſi ſuſpenſus ab officio vel depoſitus nullum prius habuerit beneficium præter *titulum menſæ*, puto inprimis repetendam eſſe modo datam diſtinctionem, an ſit in contumacia nec ne? ſi illud, per denegationem alimentorum urgeri debet ad reſipiſcentiam, & petendam abſolu-

tionem, ſi iſtud, quia ob delictum Clericus non debet fieri mendicus ob honorem Ordinis Clericalis, planè exiſtimo, eſſe huc accomodanda, quæ ſuperius in prima & ſecunda quæſtione dicta ſunt.

21 Prætereà quia nonnunquam contingit ordinari, qui ex proprio *patrimonio*, penſione vel ſtipendio vivere poſſunt, ideò de his rurſus ſtatuit Trident. *d. ſeſſ.* 21. *cap.* 2, *ut patrimonium vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab illis obtineri, quæque à ſe alienare, vel abdicare non valeant, niſi aliunde oſtendant, ſe habere, unde vivere poſſint, &c.* Debet autem *patrimonium* fundari ſuper rebus immobilibus, vel talibus, quæ immobilibus comparantur, uti ſunt cenſus & annui redditus. Si contingat neceſſitatis, vel utilitatis causâ bonum patrimonii vendi, aut cenſum redimi, id non aliter, quàm cum licentia Epiſcopi fieri poterit, qui & curabit, ut pecunia rurſus vel in immobilia, vel alios cenſus collocetur.

22 Ipſa verò quantitas patrimonii determinata in ſpecie non eſt, ſed in genere, ut ſit tanta, quæ ad victum honeſtum ſufficiat. uſu apud nos receptum eſt, quòd capitale *mille* imperialium reputetur ſufficiens patrimonium, & nomine *patrimonij* intelligitur, non tantùm quod filius ex hereditate paterna, ſed ex quocunque alio titulo ceu ſuum, & proprium poſſidet, vel etiam in uſum-

usumfructum ad vitam habet. videatur Barb. *in Collect. DD. ad c. 2. Trid. sess. 21. n. 36. & seqq.*

De filio est quæstio, an ad futuræ hæreditatis 23
paternæ titulum ordinari valeat, si de facto nulla alia bona habeat? ratio affirmandi videtur, quòd filius sit heres certus & necessarius, ac jam in vita parentis *quasi Dominus* bonorum paternorum fictione Juris habeatur. §. *sui autem, Instit. de heredum qualit. & differ.* Item quod patri incumbat onus alendi filium. Nihilominùs negativa tenenda est cum Ugolino de Episcopi officio. *cap. 29. §. 9. n. 3.* Garcia *de beneficijs. part. 2. cap. 5. n. 92.* quia Trid. vult ab ordinandis *patrimonium verè*, & non fictè obtineri; bona enim paterna incerta sunt, potest enim pater in vita dilapidare, totus obæratus decedere, filium ex causa superveniente exheredare. Alimenta quidem debentur filio à patre quamdiu pater vivit, si præmoriatur, facilè evenire potest, ut ob æs alienum, vel justam exhereditationem filius sine alimentis sit.

Docent tamen Authores, quòd sicut pater te- 24
netur filio aut filiæ profanas nuptias habituris substantiam de bonis suis in *donationem propter nuptias*, aut *dotem* assignare. *L. fin. Cod. de Dotis promissione.* ita similiter quid teneatur facere, si filius aut filia spirituales nuptias per susceptionem sacrorum Ordinum, aut ingressum religionis celebrare intendant. *Barb. de officio Episcopi parte 2. Alleg. 99. n. 63. Sanch. de Matrim. lib. 4. disput. 26. n. 7.*

Digitized by Google

25 Licet porrò allegata Concilii constitutio tantùm de Clericis sæcularibus loquatur, & non de Religiosis, qui per professionem in Monasterio hoc ipso jus ad alimenta perpetua acquirunt; declaravit tamen Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex.* eâdem constitutione etiam comprehendi cujuscunque Ordinis Clericos Religiosos, sive sæculares modo Religiosorum in communi viventes, qui professionem, & stabilitatem perpetuam in Ordine non faciunt, ita ut sine speciali titulo ordinati suspensionem incurrant. Insuper sacra Cong. Card. interpretata est, hanc Pii constitutionē habere locum in illis, qui in quacunque Religione professionem
26 invalidam scienter, & malâ fide emittunt.

Patribus *Societatis* à Gregorio XIII. in Bulla; *Ascendente Domino* concessum est, ut tametsi vota tantùm simplicia emittant, nec stabilem faciant ab initio ante quartum votum professionem, nihilominus sine alio *Titulo* ordinari possint. Sed quia frequenter contingit ordinatos è Societate dimitti, tunc Prælatos ejusdem Societatis teneri dimisso de victu honesto providere, usque dum sufficiens beneficium assequatur ex declaratione Sixti V. tradit Barb. *in Collect ad dictum caput 2. Trid. sess. 21. n. 6. & de offic Epis opt. part 2 Alleg. 19 n. 7.*

27 Postremò Conc. Trid. *sæpè d. c. c. p. 2.* contra promotos sine Titulo innovat pœnas antiquorum Canonum, & quidem de Jure communi ordinator tenetur alere ordinatum sine titulo,

usque

usque dum beneficium consequatur. *c. 2. & 4. c. cum secundum Apostolum. de præbendis.* & si fecerit cum eo pactum de non petendo aliquid, suspenditur per triennium à collatione Ordinum. *c. si quis ordinaverit. de Simonia.* ordinatus verò sine titulo incurrit suspensionem ab officio. *c. neminem. c. Sanctorum. dist* 70.

Sed controversia est inter Doctores, an omnes hæ pœnæ sint per Conc. innovatæ? una est opinio affirmantium, eò quòd Concilium loquatur generaliter *de pœnis antiquorum Canonum.* & ne alias ordinans vel ordinator impunis esset, cùm tamen uterque delinquat. Rectè verò huic sententiæ additur limitatio, nisi alteruter culpâ vacaret, ut si ordinans ab ordinato per exhibitionem falsi tituli fuisset deceptus, aut ordinatus sub promissione beneficii, aut alimentationis ad suscipiendos Ordines inductus, tunc enim is, qui sine culpa esset, pœna afficiendo non foret.

Altera est opinio asserentium, solummodò pœnam *d. c. cum secundum, de præbendis, & c. si quis. de Simonia* esse innovatam, neque ordinatum sine titulo regulariter suspensionem incurrere, utpote quæ ab antiquioribus quidem Canonibus lata, in *d. c. cum secundum.* jam sublata fuit, ut ex textu patebit. & hanc partem DD. magno numero citati apud Barb. *d. parte 2. Alleg. 20. n* 27. tuentur, & à Sac. Cong. ita decisum referunt. Puto igitur & ipse, hanc posteriorem sententiam ob authoritatem Doctorum satis tutè teneri posse, eámque hac ratione adjuvari exi-

ſtimo, quòd pæna debeat tendere ad conſervandum, non ad evertendum finem legis, ſed ſi ordinatus *ſine titulo* ſuſpenderetur ab officio, ſæpè everteretur finis legis, qui eſt, ne Clericus mendicet, ſi enim Epiſcopus eſſet deceptus, ſi difficilis conventionis, Clericus ſuſpenſus non poſſet obtinere alimenta, aut ex celebratione Miſſarum ſuſtentationem habere, adeóque mendicare deberet; melius igitur videtur, ut relicto ei officio ſuo, ſi quid in ordinatione ſine titulo deliquit, alio modo juxta arbitrium ordinarii ſui puniatur. Conſtitutionem Sixti V. *Sanctum & ſalutare*, in qua contra ordinatorem, & ordinatum pæna ſuſpenſionis reſervatæ lata eſt, Clem. VIII. in Bulla: *Romanum Pontificem*, ad terminos Juris communis revocavit.

§. III.

De Ætate, Qualitate, & Ordine præficiendorum Beneficiis Eccleſiaſticis.

SUMMARIA.

28. *Quæ ætas requiratur ad beneficia ſimplicia.*
29. *Fundationi non cenſetur derogatum per Trid.*
30. *Epiſcopus an poſſit diſpenſare circa ætatem.*
31. *Ad penſionem probabiliter ſufficit ſeptennium.*
32. *Beneficia curata requirunt ætatem 25. annorum inchoatorum.*
33. *Cæteræ dignitates vel perſonatus incurati 22. ann.*
34. *Ad Canonicatus Cathedral. Eccleſ. qualis ætas requiratur.*
35. *Hodie ex Trid. ſingulis Canonicatibus debet eſſe ſacer Ordo annexus.*

36. Ob

36. *Ob neglectam ordinationem intra annum non inducitur privatio Canonicatus ipso jure.*

37. *Resignans Canonicatum non recepto Ordine an teneatur ad restitutionem fructuũ perceptorum.*

38. *Doctoribus vel Licentiatis in Theologia aut Jure Can. hortatur Conc. Trid. conferri Canonicatus.*

CUm ordinati vel ante ordinationem vel posteà de beneficiis Ecclesiasticis sibi providere debeant, ex quibus sua alimenta percipiant, & in quibus officia sacrorum Ordinum exerceant, ideò in hoc tit. cum Compilatore breviter aliquid de ætate & qualitate requisita ad beneficia dicendum erit, cætera *ex lib. 3. ex tit. de præbendis* sumenda.

Notandum igitur primò, licet de Jure anti- 28
quo dubium fuerit, quænam ætas ad beneficia simplicia requireretur, & etiam infra pubertatis annos præbendas, imò & Canonicatus tunc obtineri potuisse docuerit Glos. *in c. ex eo. de electione. in 6* hodie tamen apertius statuit Conc. Trid. *sess. 23. de reform. c. 6* ut nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus constitutus *ante decimum quartum ætatis annum* beneficium possit obtinere, nunc autem annum non requiri completum, sed inceptum sufficere à sacra Cong. decisum referunt citati apud Barb. *ad dictum caput 6 n. 2.*

Notandum II. Si in fundatione beneficii 29
cautum sit, ut etiam impuberi rectè conferri possit, tali fundationi non censebitur derogatum per præsentem Concilij constitutionem,

quia non exprimitur, & aliàs fundationum abrogatio ſine gravi cauſa fieri nec poteſt, nec ſolet. *Gonzalez ad regul. 8 Cancell. Gloſſ. 5. n. 91.*

30 Notandum 3. Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ut minor annis 14. habeat beneficium, quia diſpenſatio contra Canones & Conc. regulariter tantùm ſummo Pontifici, qui ſupra leges eſt, competit. *Azor. Inſtitut. Moral. p. 2. lib. 6. c. 5. quæſt. 9.*

31 Ad penſionem tamen non pauci exiſtimant ſufficere ætatem *ſeptem annorum*, nec in ea procedere diſpoſitionem Concilii, eò quòd penſio minus propriè ſit beneficium, & diſpoſitiones odioſæ præſertim Juris antiqui correctoriæ in propriiſſimis terminis ſint accipiendæ. *d. l. §. 5. n. 26.*

32 Nota 4. Neminem ad dignitates quaſcunque, quibus animarum cura ſubeſt (quod etiam de cura jurisdictionali, & fori èxterni rectè intelligit *Navarr. hoc. tit. Conſilio. 4. n. 2.*) promovendum eſſe, qui ſaltem *vigeſimum quintum ſuæ ætatis* annum non attigerit, & in Clericali Ordine verſatus, doctrinâ ad ſuum munus neceſſariâ, ac morum integritate commendetur, *c. cum in cunctis, de Electione. Trid. ſeſſ. 24. de Reform. c. 12.*

33 Nota 5. Ad cæteras dignitates (impropriè ſeu nominetenus tantùm tales) vel perſonatus, quibus cura animarum nulla ſubeſt, Clericos alioquin idoneos, & viginti duobus annis non minores aſſumendos eſſe. *Trident. d. c. 12. di-*

Digitized by Google

12. dispensare tamen posse Episcopum cum eo, qui vigesimum annum compleverit ad dignitatem, vel Personatum sine curâ, valdè probabiliter docet Zoesius *hoc tit. n.* 2. eo quod id olim licuerit *ex c. unico. Eodem in 6.* cui concilium expressè non derogavit, jus autem novum non plus censetur de priori tollere, quam exprimat. *L. præcipimus.* 32. *in fine. Cod. de Appellat.*

Not. 6. non satis expeditam quæstionem esse, 34
qualis ætas requiratur *ad Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum*? quam quidem quæstionem tractat Barb. *de offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 60. *n.* 70. ubi censet, nisi Canonicatui sit saltem Ordo subdiaconatus annexus, non reperiri, quòd aliquid sit per Trid. circa Canonicatus mutatum, quo minus 14. anni sufficiant. Etenim *in sess.* 24. *de reform. c.* 12. tantùm ad *dignitates*, & *personatus*, quibus cura animarum nulla subest, ætas *viginti duorum annorum* statuitur: *personatum* autem & *Canonicatum simplicem* (præsertim in materia Juris veteris correctoria, ubi termini sunt propriè & strictè accipiendi ad correctionem jurium evitandam. *c. cum expediat. de Elect. in 6.*) esse diversa, passim apud DD. legitur. Nam *dignitas & personatus* significant specialem præcedentiam & eminentiam præ reliquis Canonicis. *Barb. in Collect. ad d. c.* 12. *Trid. n.* 11. *Tamb. de jure Abb. tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 2. *n.* 3. Attamen idem Barb. *d. alleg.* 60. *n.* 70. aliquot declarationes Cardinalium adfert, per quas ætas 22. annorum ad Canonicatus desideratur. addit verò in fine: nisi illas declarationes intelli-

detur. *c. licet Canon. 14. de Elect. in 6. cap. 2. de Inst. in 6. & c. si pro Cleric. ubi Gloss. de præbend. in 6.*

14 In Germania quidem ubi præsertim in Parochiis opus est pluribus Cooperatoribus, nec beneficia simplicia adeò frequentia sunt, usus obtinuit, ut ad solum *titulum mensæ* absque alio beneficio Clerici ordinentur. qui usus posset exigente sic necessitate tolerari, nisi inde abusus subintraret, ut non tantùm Clerici, penes quos spes bonæ promotionis est, sed sine delectu quicunque absque beneficio & spe beneficii ordinarentur, qui deinde, cum ante defectum virium ad *titulum* non recipiuntur, miseram plerumque & scandalosam vitam agunt.

Porrò de isto *titulo mensæ* vix est aliquid apud Authores reperire, & tamen nonnunquam gravis quæstio incidit, veluti primò an Clericus or-
15 dinatus, si beneficium acquirere non possit, debeat interea ex titulo alimentari, tametsi infirmus, vel ætate decrepitus non sit? R. Si Clericus valeat se Missarum lectione, vel quocunque alio honesto negotio, & statum Clericalem non dedecente, alere, non debet necessario ali ex titulo, quemadmodum nec pater tenetur filio præstare alimenta, qui se ipsum alere potest. *L. si quis. 5. §. sed si filius. ff. de agnoscendis & alendis liberis.* quòd si autem Clerico revera omnia media se alendi desint, & *titulus mensæ* sit in terminis generalibus conceptus, tunc Clerico ex *titulo* alimenta in subsidium præstanda sunt, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare coga-

tur. si verò *titulus* sit specialiter limitatus, & restrictus in casum tantummodo infirmitatis, vel senectutis, nec concedens *titulum* facilè persuaderi possit, ut ex misericordia talem recipiat, tunc quia verba non obligant ultra intentionem proferentis, & alias limitata causa limitatum producit effectum, videtur planè Episcopo ordinanti, vel successori ejus saltem de bonis Ecclesiarum onus alendi incumbere, usque dum Clerico de beneficio provideatur. Etenim ad Episcopum pertinet consulere honori Ordinis Clericalis, sibique imputare debet, quòd ordinârit illum, qui per sufficientem titulum in omnem casum provisus de alimentis non fuit. *arg. cap. 2. 4. 16. de præb.* unde fiet, ut Episcopi reddantur cautiores, ne quoscunque tam facilè ad Clericatum recipiant, & ne uni plura beneficia, quàm honesta ejus sustentatio requirat, conferant.

Secundò quæritur, quis debeat alere Cleri- 16
cum, si ob interitum bonorum, super quibus titulus fundatus est, vel bellum aut pestem titulo frui nequeat? R. similiter ab Ecclesia alendum esse, si enim Ecclesia in necessitate debet alere pauperes etiam Laicos, multò magis Clericos tanquam propriè ad suam curam pertinentes: *aurum Ecclesia habet*, ait D. Ambrosius *in c. aurum 12. quæst. 2. non ut servet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus.*

Tertiò quæritur, à quibus & super quibus re- 17
bus rebus *titulus mensæ* concedi debeat? R. *titulum*

lum quidem æquè à personis Laicis, quàm Ecclesiasticis constitui posse, non tamen super sola obligatione personali, quia mortuâ personâ concedentis, & forsan hæreditate nullâ, aut tenui relictâ Clerico deperiret *titulus*. debet ergò *titulus* assignari cum obligatione reali & hypotheca bonorum, tot & tantorum, ut ex eorum redditibus Clerico possit esse sufficienter provisum, quod ex prudenti arbitrio Episcopi dependet, qui & illud diligenter advertere debet, ne hujusmodi bona sint prius ære alieno gravata. Cæterum titulus super bonis ita fundatus est onus reale, & transit ad quemcunque possessorem Jure ordinario hypothecæ.

18 Quòd si à Monasteriis vel Ecclesiis collegiatis concedatur *titulus*, non requiritur quidem hypotheca, quia bona Ecclesiarum non poterunt regulariter alienari, requiritur tamen consensus Capituli, aliàs enim successor in dignitate non tenetur stare obligationi sui antecessoris sine utilitate vel necessitate Ecclesiæ contractæ, per ea quæ traduntur *in c. pen. de fidejussor, & c. 1. de solut.*

19 De Civitatibus & Oppidis non videtur satis securè acceptari titulus à solo Magistratu, & Senatu civico subscriptus, nisi vel is in cujus dominio est locus, vel major pars Civitatis convocatæ consenserit, vel statutum aut consuetudo sit in loco, ut solus magistratus possit Civitatem vel Oppidum obligare, aut certè magistratus se suósque hæredes, & bona in subsidium obligârit.

Re-

Regulariter enim Civitas ex contractu quorundam non obligatur, nisi in dictis circumstantiis, vel sicut in mutuo probetur versum in ejus utilitatem, aliàs verò non civitas, sed illi qui contraxerunt tenentur. *L. Civitas. ff. si certum petatur. Rheyger in thesaur. jur. verbo Civitas. n. 6.*

Quæritur quartò, an Clericus, qui ob delictum suspensus vel privatus est beneficijs, aut depositus verbaliter, debeat ali ex *titulo*? *Rz.* esse disparitatem, an persistat in contumacia ad petendam absolutionem, vel dispensationem, aut non? si prius, non debent ipsi dari alimenta, ne non curet absolutionem; cum possit per eam sibi prospicere: si posterius, docent communiter cum Gloss. *fin. in c. student. 39. dist. 5.* & Panorm. *in c. pastoralis. §. verum. de appellat. n. 16.* quod, ne cogatur mendicare, debeant ipsi ex beneficio à quo suspensus vel privatus est, relinqui alimenta, si non integra, saltem in supplementum, in quantùm ea ex lectione Missarum, vel alio honesto labore habere non potest, sicut in simili tradit Godofred. *ad d. L. 6. §. 7. ff. de agnoscendis liberis.* quòd si filius possit se ex suo opificio saltem pro parte alere, non teneatur pater alimenta præstare.

Sed quid, si suspensus ab officio vel depositus nullum prius habuerit beneficium præter *titulum mensæ*, puto inprimis repetendam esse modo datam distinctionem, an sit in contumacia nec ne? si illud, per denegationem alimentorum urgeri debet ad resipiscentiam, & petendam absolu-

tionem, si istud, quia ob delictum Clericus non debet fieri mendicus ob honorem Ordinis Clericalis, planè existimo, esse huc accomodanda, quæ superius in prima & secunda quæstione dicta sunt.

21 Præterea quia nonnunquam contingit ordinari, qui ex proprio *patrimonio*, pensione vel stipendio vivere possunt, ideò de his rursus statuit Trident. *d. sess.* 21. *cap.* 2, *ut patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab illis obtineri, quaque à se alienare, vel abdicare non valeant, nisi aliunde ostendant, se habere, unde vivere possint, &c.* Debet autem *patrimonium* fundari super rebus immobilibus, vel talibus, quæ immobilibus comparantur, uti sunt census & annui redditus. Si contingat necessitatis, vel utilitatis causâ bonum patrimonii vendi, aut censum redimi, id non aliter, quàm cum licentia Episcopi fieri poterit, qui & curabit, ut pecunia rursus vel in immobilia, vel alios census collocetur.

22 Ipsa verò quantitas patrimonii determinata in specie non est, sed in genere, ut sit tanta, quæ ad victum honestum sufficiat. usu apud nos receptum est, quòd capitale *mille* imperialium reputetur sufficiens patrimonium, & nomine *patrimonij* intelligitur, non tantùm quod filius ex hereditate paterna, sed ex quocunque alio titulo ceu suum, & proprium possidet, vel etiam in usum-

Digitized by Google

uſumfructum ad vitam habet. videatur Barb. *in Collect. DD. ad c.* 2. *Trid. ſeſſ.* 21. *n.* 36. *& ſeqq.*

De filio eſt quæſtio, an ad futuræ hæreditatis 23
paternæ titulum ordinari valeat, ſi de facto nulla alia bona habeat? ratio affirmandi videtur, quòd filius ſit heres certus & neceſſarius, ac jam in vita parentis *quaſi Dominus* bonorum paternorum fictione Juris habeatur. §. *ſui autem, Inſtit. de heredum qualit. & differ.* Item quod patri incumbat onus alendi filium. Nihilominùs negativa tenenda eſt cum Ugolino de Epiſcopi officio. *cap.* 29. §. 9. *n.* 3. Garcia *de beneficijs. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 92. quia Trid. vult ab ordinandis *patrimonium verè*, & non fictè obtineri; bona enim paterna incerta ſunt, poteſt enim pater in vita dilapidare, totus obæratus decedere, filium ex cauſa ſuperveniente exheredare. Alimenta quidem debentur filio à patre quamdiu pater vivit, ſi præmoriatur, facilè evenire poteſt, ut ob æs alienum, vel juſtam exhereditationem filius ſine alimentis ſit.

Docent tamen Authores, quòd ſicut pater te- 24
netur filio aut filiæ profanas nuptias habituris ſubſtantiam de bonis ſuis in *donationem propter nuptias*, aut *dotem* aſſignare. *L. fin. Cod. de Dotis promiſſione.* ita ſimiliter quid teneatur facere, ſi filius aut filia ſpirituales nuptias per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, aut ingreſſum religionis celebrare intendant. *Barb. de officio Epiſcopi parte* 2. *Alleg.* 99. *n.* 63. *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *diſput.* 26. *n.* 74.

25 Licet porrò allegata Concilii constitutio tantùm de Clericis sæcularibus loquatur, & non de Religiosis, qui per professionem in Monasterio hoc ipso jus ad alimenta perpetua acquirunt; declaravit tamen Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex.* eâdem constitutione etiam comprehendi cujuscunque Ordinis Clericos Religiosos, sive sæculares modo Religiosorum in communi viventes, qui professionem, & stabilitatem perpetuam in Ordine non faciunt, ita ut sine speciali titulo ordinati suspensionem incurrant. Insuper sacra Cong. Card. interpretata est, hanc Pii constitutionē habere locum in illis, qui in quacunque Religione professionem
26 invalidam scienter, & malâ fide emittunt.

Patribus *Societatis* à Gregorio XIII. in Bulla; *Ascendente Domino* concessum est, ut tametsi vota tantùm simplicia emittant, nec stabilem faciant ab initio ante quartum votum professionem, nihilominus sine alio *Titulo* ordinari possint. Sed quia frequenter contingit ordinatos è Societate dimitti, tunc Prælatos ejusdem Societatis teneri dimisso de victu honesto providere, usque dum sufficiens beneficium assequatur ex declaratione Sixti V. tradit Barb. *in Collect ad dictum caput* 2. *Trid. sess.* 21. *n.* 6. *& de officio Epis. opt. part* 2 *Alleg.* 19 *n.* 7.

27 Postremò Conc. Trid. *sæpè d. c. cap.* 2. contra promotos sine Titulo innovat pœnas antiquorum Canonum, & quidem de Jure communi ordinator tenetur alere ordinatum sine titulo,

usque

usque dum beneficium consequatur. *c.* 2. & 4. *c. cum secundum Apostolum. de præbendis.* & si fecerit cum eo pactum de non petendo aliquid, suspenditur per triennium à collatione Ordinum. *c. si quis ordinaverit. de Simonia.* ordinatus verò sine titulo incurrit suspensionem ab officio. *c. neminem. c. Sanctorum. dist* 70.

Sed controversia est inter Doctores, an omnes hæ pœnæ sint per Conc. innovatæ? una est opinio affirmantium, eò quòd Concilium loquatur generaliter *de pœnis antiquorum Canonum.* & ne aliàs ordinans vel ordinator impunis esset, cùm tamen uterque delinquat. Rectè verò huic sententiæ additur limitatio, nisi alteruter culpâ vacaret, ut si ordinans ab ordinato per exhibitionem falsi tituli fuisset deceptus, aut ordinatus sub promissione beneficii, aut alimentationis ad suscipiendos Ordines inductus, tunc enim is, qui sine culpa esset, pœna afficiendi non foret.

Altera est opinio asserentium, solummodò pœnam *d. c. cum secundum, de præbendis, & c. si quis. de Simonia* esse innovatam, neque ordinatum sine titulo regulariter suspensionem incurrere, utpote quæ ab antiquioribus quidem Canonibus lata, in *d. c. cum secundum.* jam sublata fuit, ut ex textu patebit. & hanc partem DD. magno numero citati apud Barb. *d. parte* 2. *Alleg.* 20. *n* 27. tuentur, & à Sac. Cong. ita decisum referunt. Puto igitur & ipse, hanc posteriorem sententiam ob authoritatem Doctorum satis tutè teneri posse, eámque hac ratione adjuvari existimo,

Digitized by Google

stimo, quòd pœna debeat tendere ad conservandum, non ad evertendum finem legis, sed si ordinatus *sine titulo* suspenderetur ab officio, sæpè everteretur finis legis, qui est, ne Clericus mendicet, si enim Episcopus esset deceptus, si difficilis conventionis, Clericus suspensus non posset obtinere alimenta, aut ex celebratione Missarum sustentationem habere, adeóque mendicare deberet; melius igitur videtur, ut relicto ei officio suo, si quid in ordinatione sine titulo deliquit, alio modo juxta arbitrium ordinarii sui puniatur. Constitutionem Sixti V. *Sanctum & salutare*, in qua contra ordinatorem, & ordinatum pœna suspensionis reservatæ lata est, Clem. VIII. in Bulla: *Romanum Pontificem*, ad terminos Juris communis revocavit.

§. III.

De Ætate, Qualitate, & Ordine præficiendorum Beneficiis Ecclesiasticis.

SUMMARIA.

28. *Quæ ætas requiratur ad beneficia simplicia.*
29. *Fundationi non censetur derogatum per Trid.*
30. *Episcopus an possit dispensare circa ætatem.*
31. *Ad pensionem probabiliter sufficit septennium.*
32. *Beneficia curata requirunt ætatem 25. annorum inchoatorum.*
33. *Cæteræ dignitates vel personatus incurati 22. ann.*
34. *Ad Canonicatus Cathedral. Eccles. qualis ætas requiratur.*
35. *Hodie ex Trid. singulis Canonicatibus debet esse sacer Ordo annexus.*

36. Ob

36. *Ob neglectam ordinationem intra annum non inducitur privatio Canonicatus ipso jure.*

37. *Resignans Canonicatum non recepto Ordine an teneatur ad restitutionem fructuũ perceptorum.*

38. *Doctoribus vel Licentiatis in Theologia aut Jure Can. hortatur Conc. Trid. conferri Canonicatus.*

CUm ordinati vel ante ordinationem vel posteà de beneficiis Ecclesiasticis sibi providere debeant, ex quibus sua alimenta percipiant, & in quibus officia sacrorum Ordinum exerceant, ideò in hoc tit. cum Compilatore breviter aliquid de ætate & qualitate requisita ad beneficia dicendum erit, cætera *ex lib. 3. ex tit. de præbendis* sumenda.

Notandum igitur primò, licet de Jure anti- 28
quo dubium fuerit, quænam ætas ad beneficia simplicia requireretur, & etiam infra pubertatis annos præbendas, imò & Canonicatus tunc obtineri potuisse docuerit Gloss. *in c. ex eo, de electione. in 6* hodie tamen apertius statuit Conc. Trid. *sess 23. de reform. c. 6* ut nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus constitutus *ante decimum quartum ætatis annum* beneficium possit obtinere, nunc autem annum non requiri completum, sed inceptum sufficere à sacra Cong. decisum referunt citati apud Barb. *ad dictum caput 6 n. 2.*

Notandum II. Si in fundatione beneficii 29
cautum sit, ut etiam impuberi rectè conferri possit, tali fundationi non censebitur derogatum per præsentem Concilij constitutionem,

12. dispensare tamen posse Episcopum cum eo, qui vigesimum annum compleverit ad dignitatem, vel Personatum sine curâ, valdè probabiliter docet Zoesius *hoc tit. n.* 2. eo quod id olim licuerit *ex c. unico. Eodem n* 6. cui concilium expressè non derogavit, jus autem novum non plus censetur de priori tollere, quam exprimat. *L. præcipimus.* 32. *in fine Cod. de Appellat.*

Not. 6. non satis expeditam quæstionem esse, 34
qualis ætas requiratur *ad Canonicatus Cathedraliũ Ecclesiarum* ? quam quidem quæstionem tractat Barb. *de offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 60. *n.* 70. ubi censet, nisi Canonicatui sit saltem Ordo subdiaconatus annexus, non reperiri, quòd aliquid sit per Trid. circa Canonicatus mutatum, quo minus 14. annī sufficiant. Etenim *in sess.* 24. *de reform. c.* 12. tantùm ad *dignitates*, & *personatus*, quibus cura animarúm nulla subest, ætas *viginti duorum annorum* statuitur: *personatum* autem & *Canonicatum simplicem* (præsertim in materia Juris veteris correctoria, ubi termini sunt propriè & strictè accipiendi ad correctionem jurium evitandam. *c. cum expediat. de Elect. in* 6.) esse diversa, passim apud DD. legitur. Nam *dignitas & personatus* significant specialem præcedentiam & eminentiam præ reliquis Canonicis. *Barb. in Collect. ad d. c.* 12. *Trid. n.* 11. *Tamb. de jure Abb. tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 2. *n.* 3. Attamen idem Barb. *d. alleg.* 60. *n.* 70. aliquot declarationes Cardinalium adfert, per quas ætas 22. annorum ad Canonicatus desideratur. addit verò in fine: nisi illas declarationes intelli-

gamus, ubi Canonicatus solent esse sacris Ordinibus annexi ante factam illorum distributionem.

35 Not. 7. quòd Concilium Trid. *in eodem c.* 12. statuerit, *ut nemo ad dignitatem, Canonicatum aut portionem recipiatur, nisi qui eo Ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, vel præbenda requirit, aut saltem intra annum initiari valeat.* Item, *ut in Ecclesiis omnibus Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet, ac distribuat, quibus quisque Ordo ex sacris annexus imposterum esse debeat, ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Ubi autem consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes ex Canonicis sint Presbyteri, ea omninò observetur.*

36 Notandum 7. Licet in beneficiis curatis statutum sit, ut qui intra annum ad Ordinem Sacerdotii cessante justo impedimento promotus non fuerit, elapso anno ipso Jure beneficio privatus sit, *c. licet Canon.* 14. *& c. commissa.* 35. *de Elect. in* 6. attamen in Canonicatibus simplicibus non inducitur propterea ipso Jure privatio, sed Canonico non suscipienti Ordinem requisitum subtrahenda erit dimidia pars distributionum quotidianarum, & crescente contumaciâ per sententiam demùm privari poterit. *Clem.* 2. *hoc tit.; Barb. in tractatu de Canonicis. & dignitatibus. cap.* 16. *n.* 10. *&* 20.

37 Quæstionem hoc loco movent Doctores, an accipiens Canonicatum sine intentione suscipiendi

Digitized by Google

endi illum Ordinem, qui Canonicatui annexus, peccet, & teneatur ad reſtitutionem fructuum, ſi V. g. poſteà Canonicatum reſignet non ſuſcepto Ordine? Aliqui ſimpliciter utrumque affirmant, propter textum *in d. c. commiſſa. §. caterum de Electione in 6.* qui licet de Parochiali Eccleſia loquatur, eadem tamen eſt ratio de Canonicatu, agitur enim contra mentem fundationis, & collocationis beneficii, ideòque non tam ex pœna, quam ex defectu juſti tituli videtur talis Canonicus privari fructibus.

Alii è contra ſentiunt, peccatum quidem mortale tali caſu committi, ſed non eſſe obligationem reſtituendi; ſecundum receptum Juriſtarum axioma, quod lex pœnalis non extendatur ultra caſus expreſſos. Utramque ſententiam diſtinctionis fœdere conciliat Barb. *d. cap. 16. n. 22.* ut prior procedat, ſi quis ab initio poſitivam & fraudulentam intentionem habeat, vel habuerit non ſuſcipiendi Ordines, ſed perceptis fructibus poſt aliquod tempus à Canonicatu recedendi, facit textus *in d. c. commiſſa*, ibi: *cum eos receperis fraudulenter.* Altera verò ſententia obtineat, ſi quis non habuerit ſimpliciter intentionem non ſuſcipiendi, ſed tantùm differendi uſquedum per ſuperiorem cogeretur.

Denique in *ſæpè dicto cap. 12. Trid.* hortatur 38
S. Synodus, ut in provinciis, ubi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, vel ſaltem dimidia pars cononicatuum in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus conferantur tantùm Magiſtris,

ſtris, & Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico.

TITULUS IV.

Eſt 17. in Lib. 1. Decretal.

De Filiis Presbyterorum Ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1. *Filius Presbyteri etiam legitimus vel legitimatus non poteſt ſuccedere in beneficio Patris.*
2. *Illegitimi quamvis ad Ordines diſpenſati, non poſſunt habere etiam diſſimile beneficium in eadem Eccleſia, ubi Pater habuit, nec quovis modo miniſtrare.*
3. *An ſucceſſio in beneficia etiam reſpectu Patris, Collateralium & Nepotum interdicta ſit. & quid ſpeciale in reſignatione ex Bulla Pij V.*
4. *Nepotes ex filiis illegitimis Presbyt. an eodem Jure cenſeantur, quo filii?*
5. *Expoſiti poſſintne admitti ad Ordines.*
6. *Quis poſſit cum illegitimis diſpenſare ad Ordines & beneficia.*
7. *Diſpenſatio ſuper Natalibus & beneficiis per illegitimum obtinendis eſt ſtrictæ interpretationis.*
8. *Illegitimus diſpenſatus ad Ordines, an cenſeatur diſpenſatus ad beneficium.*
9. *Cum illegitimis an diſpenſare poſſit Epiſcopus, quando illegitimitas eſt occulta.*
10. *Legitimati an ſint ad Ordines admittendi.*

AGitur in hoc tit. generaliter de *illegitimis*, quatenus irregulares, & ad ſacros Ordines inhabiles.

inhabiles sint, tum quod reputentur personæ viles, quibus indignum est conferri Clericalem, & sacerdotalem dignitatem, tum ad execrationem paterni delicti, cujus memoriam continuò per liberos in Ecclesia repræsentari, indecens est; tumque denique, quod paternæ incontinentiæ imitatores existimentur. *Syl verbo illegitimus. n.* 1. materiam istam totam aliquot quæstionibus magis practicis explicabimus.

Quæritur, quare hic titulus *de filiis Presbyterorum* inscribatur, cum tamen non solum isti, sed alii quicunque illegitimi à sacris Ordinibus excludantur? R. quod in *Capitulis* sub hac Rubrica positis potissimum agatur de filiis Presbyterorum; non tantùm quatenus illegitimi & inhabiles sunt ad Ordines, sed etiam quatenus legitimi (puta ante Clericatum ex uxore legitima nati) legitimati vel dispensati, non possunt obtinere beneficium, quod pater eorum immediate ante (secus si media aliqua persona extranea intercesserit. *c.* 7. *hoc tit.*) habuit, ne successio quasi hereditaria in beneficiis introducatur; cum impiorum illa vox sit; *hereditate possideamus Sanctuarium Dei. Ps.* 82. *c. ad extirpanda.* 11. *& passim. hoc tit.* 1

Specialiter, ut paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris, quæ maxima puritas sanctitasque decet, arceatur, circa filios Clericorum illegitimos, quamvis ad Ordines dispensatos, constitutum est, ut in Ecclesia, ubi eorum patres beneficium aliquot Ecclesiasticum habent aut, 2

habue-

habuerunt, quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere, aut in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare (ne quidem ut musici simplices.) *Card. declaratio apud Garciam de benefic. p. 7. cap. 3. n. 68.* nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere valeant. *c. 2. c. cum decorem. c. ad abolendam. hoc tit. Trid. sess. 25. de reform. c. 15.*

3 Quæritur 2. an à successione in beneficio non tantùm filius, sed etiam pater, frater vel nepos prioris beneficiati excludatur? ratio dubitandi est, quod etiam his competat hereditaria successio *juxta Nov. 118. &.* de patre, fratre, aliove collaterali communius receptum esse, non excludi, eo quod jura de his non loquantur, & aliàs odiosa restringenda sint. neque jus successionis, ita propriè in ascendentibus, & collateralibus sicut in descendentibus (quos ipsa naturalis ratio ad successionem vocat. *L. cum ratio. ff. de bonis damnatorum.*) esse intelligatur. *Barb. in Collect. ad d. cap. 15. Trid. n. 7. & 8.* De nepote est aliqua distinctio facienda, nimirum, ut non possit ei beneficium conferri, si suo patre mortuo immediatus heres Avi sit, tunc enim propriè Jure hereditario veniret, & haberet locum, quod dicitur; appellatione filiorum etiam nepotes contineri, possit autem conferri, si beneficium avi petat, patre suo vivente, quia tunc in gradu remotior id Jure hereditario petere non censeretur. *Innoc. in c. ad extirpandas. hoc tit. Zoesius eodem. tit. n. 10.*

Quid verò speciale sit, circa beneficia resignata,

gnata, ut ea non possint consanguineis admittentium conferri, videatur Bulla Pii V. *quanta*. & licet Bulla tantùm utatur termino *admittentiũ*, admittere autem resignationem & resignare, utique diversa sint præsertim in materia odiosa & Juris communis ac ordinariorum restrictoria, possitque specialis ratio esse circa admittentium consanguineos, ne in favorem illorum directè vel indirectè adigatur quis ab ipsis admittentibus ad resignandum; Nihilominùs apud Garc. *de benef. p. 9. c. 2. n. 211. & p. 11. c. 3. n. 266.* refertur declaratio Cardinalium, in qua pro termino *admittentium* ponitur, *vel suis vel resignantium consanguineis, &c.* quia verò illa Bulla habet plura alia Capitula, nimirum ut resignationes beneficiorum nonnisi ex causis ibi expressis admittantur: item ne vel signo aut nutu successor in beneficio resignato denotetur, &c. quæ non ubique practicantur, hinc eam non ubique receptam esse tanquam Ordinariorum facultates multum restringentem testatur Zypæus in Anal. Jur. Pont. *tit. de renunciatione. sub n.* 1. & supponit Paulus Layman. *in Theol. mor. de benef. Eccles. cap.* 17. *sub. n.* 6. qua de re videri poterunt, quæ superius in proœmio, & in tit. de constitut. de authoritate ac receptione Bullarum extravagantium, & declarationum Card. dicta sunt.

Quæritur 3. quid de nepotibus ex filiis illegitimis Presbyterorum dicendum, anne idem, quod de filiis eorum mox dictum est? Constitutionem Concilii, *d. cap.* 18. non comprehen- 4

dere

dere nepotes Presbyterorum ex filio illegitimo docent quamplurimi apud Barb. *in collect. ibid. n. 6. citati*, eò quòd in materia pœnali appellatione liberorum non veniant nepotes, sed solùm in materia favorabili; ex doctrina Bartholi *in L. liberorum, ff. de verborum signif.* Alii è contra apud eundem Barb. contrarium tenent putantes, nepotes quoscunque etiam legitimos (id est à filio illegitimo ex legitimo matrimonio natos) comprehendi. Et hæc sententia videtur mihi menti legis conformior, saltem eo casu, quo avus adhuc viveret, & in eadem Ecclesia beneficium aliquod obtineret; vigeret enim tunc ratio Concilii, *ut paternæ incontinentiæ memoria, quàm longissimè arceatur.* Ad rationem prioris sententiæ dici potest, constitutionem Concilii non esse tam in pœna quàm in decentia & honestate congruente locis sacris fundatam. videatur Garcias *de benefic. p. 7. c. 3. n. 21.*

Quæritur 4. Utrum *expositi* seu in plateis aliisve locis reperti; quorum parentes ignorantur, sint legitimi, & habiles ad Ordines suscipiendos censendi? Quidam affirmant cum Felino *in c. cum deputati. de iudicijs, n.* 8. Paleoto. *in Tractatu de filijs Nothis. cap.* 63 Piasezio. *in praxi Episcoporum parte* 1. *tap.* 1. *n* 27. tum arg. *d. c. cum deputati.* tum quòd in dubio pro legitimitate filii, tanquam pro parte favorabiliori, præsumatur. Verùm negativa probabilior videtur, eò quòd præsumptio in dubio desumatur ex illis, quæ communiter, & quasi certò accidunt; communiter

muniter autem, & ordinariè quotidianâ experientiâ teste accidit, ut illi tantùm exponantur, qui ex illegitimis congressibus nati sunt. nec obest *d. c. cum deputati*, quia loquitur de toto alio casu, & ubi agitur non tam de quæstione natalium legitimorum, quàm de patria & ætate, ut ex Gloss. *ibidem, in V. nationis*. apparet. Ad rationem allegatam ℟. eam imprimis absolutè veram non esse teste Alziato *in Regula 3. de præsumpt. n. 12.* & deinde unam præsumptionem per aliam fortiorem elidi. *c. 4. de procurat L. divus. 7. ff. de in integrum rest.* Pro hac opinione videatur Covar. *in Relect. Clem. si furiosus, parte 1. in princip. n. 9. Garc. d. parte 7. cap. 2 n. 8.* Fatetur quoque Piasezius *d. loc. in fine* hanc posteriorem sententiam esse communem, & se vidisse in Curia pro expositis dispensationes ad Ordines expediri. Covar. tamen *cit. loco* putat, propter authoritatem DD. prioris sententiæ, expositum aliquem de facto promotum in Ordinibus administrandis tolerari posse.

Quæritur 5. Quis possit cum illegitimis dispensare? ℟. cùm irregularitas hæc humani potiùs quàm naturalis Juris sit, aut divini, ideò dubitandum non est, quin S. Pontifex circa eam dispensare possit, & soleat. *c. innotuit de Elect.* & quidem ad *sacros Ordines*, & majora sive curata beneficia regulariter nulli alii dispensatio competit, quàm Papæ, & cui is ex speciali privilegio concesserit, sicut Nuntiis suis, & legatis concedere solet. Ad *minores* autem Ordines, & bene- 6

ficium ſimplex etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, *c.* 1. *hoc tit. in 6.* & ſede vacante etiam Capitulum, quod in jurisdictionem Epiſcopi ſuccedit. *Navar. conſilio* 7. *hoc tit.* Declarant verò Doctores *d. c.* 1. *h t in 6.* tantùm procedere in beneficiis ſimplicibus minoribus, non autem majoribus ſcilicet dignitatibus, perſonatibus, & ſimilibus licet curam animarum actu non habentibus. Imò nec in Canonicatibus Cathedralium Eccleſiarum plerique admittunt, qui propter ſpecialem prærogativam majoribus beneficiis accenſetur, *arg. cap. quamvis. 4. de prebendis in 6. cap. ſtatutum. de reſcriptis. in 6* præſertim hodie poſt Trid. ubi Canonicatus Cathedralium Eccleſiarum requirunt ſacrum Ordinē, ad quem Epiſcop⁹ cum illegitimis diſpenſare non poteſt. *Barb de officio Epiſcopi p. 2. Alleg* 46 *n.* 19.

7 Quæritur 6. An diſpenſatio Pontificia cum illegitimis ſit latæ vel ſtrictæ interpretationis? *R.* ex comuni ſententia eſſe ſtrictæ; quia relaxat Juris vinculū, quod optimis rationibus in principio hujus tit. adductis illegitimos ordinari prohibuit. Ideóq; diſpenſatio ſimpliciter ad beneficia non intelligitur de beneficiis curatis vel dignitatibus, & probabiliter nec etiam de Canonicatibus niſi quatenus ſpecialiter fuerit expreſſum, & diſpenſatio ſimpliciter prolata ſuper curatis non intelligitur de dignitatib⁹, vel etiam Canonicatibus Cathedralium Eccleſiarum. *Barb. d. l n. 7. & ſeqq* eſt enim circa hæc beneficia ſpecialis ratio indecentiæ, quòd in dignitate aut

cura

cura animarum sit, cui macula illegitimæ nativitatis, & præsumptio incontinentiæ adhæret.

Utrum autem dispensatio simpliciter ad sacros Ordines, extendatur saltem etiam ad beneficia? diversæ sunt opiniones. Negativa multis placet, *arg cap. 3. hoc tit.* & quod in his, quæ separabilia sunt, dispensatio non trahatur de uno ad alterum. *Garcias de beneficijs parte 1. cap. 6. n. 70.* Affirmativa tamen videtur mihi probabilior cum Abbate *in c. ult. hoc tit. n. 2.* quia dispensatio licet sit strictæ interpretationis, debet tamen explicari secundùm verisimilem mentem dispensantis; verba enim debent intentioni deservire. *c. secundo requiris. de Appellat.* qui ergò vult posse aliquem suscipere sacros Ordines, vult etiam posse habere beneficium, ne cogatur mendicare. & si Episcopus potest conferre illegitimo beneficium, qui est in minoribus, juxta *c. 1. h. t. in 6.* ergò multò magis poterit, si sit in majoribus, quia iste pro sustentando statu Clericali, à quo amplius recedere non potest magis indiget. non obest. *d. c. 2.* nam fundatur in dolosa subreptione, ex qua litteræ subreptitiè impetratæ carent omni effectu, *c. super litteris. de Rescriptis.* Rationi adjunctæ dicitur, quòd Ordo & beneficium sint quidem separabilia, *physicè* loquendo, non autem *Canonicè*, cùm de Jure Canonico nullus sine beneficio ordinari debeat. *Trid. sess. 21. de reform. cap. 6.* 8

Quæritur 7. An saltem eo casu, quo illegitima nativitas est occulta, possit Episcopus ad sa- 9

cros Ordines dispensare vigore Concilii *sess. 24. de reform. c.* 6. ubi Episcopis datur potestas dispensandi in omnibus Censuris, & irregularitatibus ex delicto *occulto* (excepto homicidio voluntario) provenientibus? Quidam negant cum Navarr. in *Manuali c.* 27. *n.* 194. & Piasezio *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 56. eò quòd irregularitas ista non proveniat ex delicto ipsorum illegitimorum, sed aliis causis, ut dictum. Nihilominus affirmativa satis probabiliter sustineri potest cum Barb. *Jur. Eccles. univ. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 156 cùm hæc irregularitas proveniat saltem mediatè ex delicto parentum illegitimi, & illa dispositio Concilii sit aliquod privilegium Episcopo concessum nemini præjudicans, adeóque latiùs interpretandum. *c.* 4 *de præbendis. in* 6. *c. odia. de R. I. in* 6. non obstat quòd dispensatio cum illegitimis sit strictæ interpretationis, ut præcedente quæstione explicatum; quia aliud est dispensatio, aliud privilegium dispensandi, nam potestas dispensandi concessa Episcopo concernit plurium favorem, quorum interest, ne cogantur cum magnis impensis & molestiis Romanam curiam accedere pro dispensatione obtinenda, videantur etiam ea quæ inferius in *tit. de major. & obed.* §. 4 de dispensatione Episcopo *ex d. c.* 6. *Trid.* competente dicentur.

10 Quæritur §. An illegitimè nati *legitimati* habiles sint ad Ordines suscipiendos? R. Legitimatos per *rescriptum Principis*, vel *Comitem Palatinum* non posse absque dispensatione sacros Ordines

dines ſuſcipere. *Panor. in cap. venerabilem. Qui filij ſint legitimi. n.* 29. *Imperiali enim judicio non poſſunt Eccleſiaſtica jura* (prohibentia illegitimos ab Ordinibus) *diſſolvi, c.* 1. *diſt.* 10. & legitimatio per unum principem facta non prodeſt quoad effectus, qui pertinent ad jurisdictionem alterius Principis, ſicut in propoſito ad cognitionem & jurisdictionem Eccleſiaſticam. *Fachin. l.* 3. *Controv. c.* 58. Dices, ſicut Dominus per manumiſſionem ſervi tollit impedimentum ejus, & facit habilem ad Ordines, ut ſequenti tit. dicemus, ita etiam Imperator legitimando illegitimum. R. irregularitatem ſervi non eſſe abſolutam, ſed tantùm reſpectu Domini ob præjudicium, & intereſſe illius; ſecus irregularitas illegitimitatis, quæ ſe tenet abſolutè ex parte perſonæ illegitimæ, & provenit ex aliis cauſis in principio tituli allegatis, quas dijudicare, an & quatenus obſtent Ordinibus, vel cum tali perſona attendendæ non ſint, non eſt in poteſtate Imperatoris, vel Comitis Palatini, ſed ſuperioris Eccleſiaſtici.

R. 2. Ad principalem quæſtionem, *legitimatos per ſubſequens matrimonium* comparari legitimè natis, etiam quo ad Ordines, & dignitates. *c. tanta. Qui filij ſint legitimi. Gloſſ. & Panorm. in c. innotuit. de Elect.* ſed de hac materia videri debent tradita in lib. 4. Decret. *in d. tit. Qui filij ſint legitimi.* quem Tit. nos inferius in lib. 2. ponemus.

TITULUS V.

Est 18. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.

SUMMARIA.

1. *Servi qui dicantur.*
2. *Servo ordinato quid Juris.*
3. *Quid si religionem ingrediatur.*
4. *Regula*, quod semel DEO dicatum &c. *qualiter intelligatur.*
5. *Servitus qualiter hodie sublata.* (*dicantur.*
6. *Adscriptitii, Originarii, & homines proprii, qui*
7. *Filiusfam. an possit sine licentia Patris ordinari.*
8. *Filiisfam. bona post Clericatum acquisita censentur esse quasi Castrensia.*

1 SErvi in Jure dicuntur, non famuli, qui nobis pro annua mercede serviunt, & in sensu Juris verè liberi sunt, sed qui Jure gentium, contra naturalem libertatem dominio nostro subjiciuntur, cujusmodi erant, qui olim in bello capti, aut ex matre serva nati fuerant, sicut tradunt DD. *ad tit. Instit. de Jure personarum.*

2 Servorum igitur Ordinatio prohibetur ob præjudicium & injuriam Domini, propterea si contingat, servum de facto ordinari, distinguendum inprimis est, an sciente vel ignorante Domino id factum sit, si *sciente* & non *contradicente*, servus ordinatus statim liber efficitur, si *contradicente*, deponitur, & Domino restituitur, nisi

nisi jam in Presbyterum sit promotus, tunc enim propter dignitatem Ordinis Sacerdotalis liberatur à servili conditione, & serviet Domino in divinis tantùm officiis, Missas v. g. legendo &c.

Si ignorante Domino servus ordinatus sit ad minores Ordines, in servitutem revocatur: si ad majores, subdistinguitur an Episcopus sciverit, servum esse, si scivit, statim fit liber, in officio permanet, & Episcopus tenetur Domino dare duos servos æquè bonos, vel eorum æstimationem; si *ignoravit* Episcopus, tunc Subdiaconus, & Diaconus ordinatus Vicarium (id est alium servum) sui loco Domino præstat, vel pretium, aut in horum defectu in servitutem revocatur. Sacerdos autem statim liber fit, sed peculium, si quod habet amittit, idque Domino cedit, si peculium non habeat, serviet Domino in divinis. Perimitur autem hæc actio quæ Domino datur ad repetendum servum post annum lapsum à die, quo scivit ordinationem factam. videantur *textus hujus tit & in tota dist.* 54.

3 Quid verò Juris, si servus Religionem inscio Domino ingrediatur, & quod intra triennium repeti possit manente nihilominus servo votis obligato (nisi Monasterii culpa scientis servitutem vel negligentis inquirere admissus fuerit servus ad professionem, quo casu non repetetur servus sed præstabitur à Monasterio æstimatio ejus arbitrio boni viri) tradit Gloss. & Barb. *in c. 2. h. t.* Miranda *in Man. Prælat. tom. 1. q. 17. artic. 2.*

4 Prædictis non obſtat, quòd ſemel Deo dicatum non debeat amplius ad profanos uſus transferri. *c. ſemel de R. I. in 6.* cui objectioni reſpondetur apud Barb. *in d.c. 2. n. 5.* quòd tantùm procedat in inanimatis conſecratis, in quibus conſideratur conſecratio in ſuperficie, ut à Laicis contingi non debeant. Sed melius mihi videtur dici poſſe, quòd regula procedat in illis, quæ pleno Jure Deo dicata, ab eoque acceptata fuerunt, conſecrationem autem, votum, & oblationem perſonæ in alterius dominio conſtitutæ, cenſetur quidem Deus acceptare, in quantum perſona ſibimet præjudicare poteſt, non autem in præjudicium alterius ſive Domini.

5 Porrò licèt hodiernis Chriſtianorum moribꝰ ſervitus uſitata non ſit, niſi circa eos, qui ex Barbaris, aut infidelibꝰ capiuntur, qui quidem à nobis, & noſtri apud ipſos capti pro ſervis ab ipſis habentur, noſtros autem ab infidelibus captos à nobis quoq; quoad effectus Juris v. g. amiſſionẽ teſtamenti factionis, Patriæ poteſtatis &c. de conſuetudine pro ſervis haberi non crediderim, ob dignitatem Chriſtiani nominis, & ne ipſi videamur, tyrannidi infidelium ſubſcribere, quidquid olim de Jure Romano receptum fuerit.

6 Extenditur tamen hæc Juris Canonici diſpoſitio ſecundùm terminos habiles, & quantum fieri poteſt ſaltem ad intereſſe Domini reſarciendum etiã ad *adſcriptitios*, qui alicui fundo colendo in perpetuum adſcripti ſunt, & *originarios*, qui ex talibus adſcriptitiis nati ſunt (de quibus

in

in tit. Cod. de agricolis, & censitis.) omnesque illos qui alicui conditioni perpetuò obligantur, *c. quamvis leges, c. generalis. c. admittuntur. c. fin. & ibi Gloss. d. dist.* 54.

Præsertim verò videtur comprehendi illud genus servorum, quod in quibusdam Germaniæ partibus repetitur, quos proprios homines vel mancipia, Leibeygene vocamus, Plerique enim istos homines *adscriptitios*, vel *originarios*, aut saltem de eorum natura participiantes existimant teste Gail. *Lib. singul. de pignorat. observat.* 8. *n.* 1. unde & praxis est, ut tales homines consensum suorum Dominorum, vel aliquam manumissionem, id est liberationem in scriptis Episcopo exhibere debeant.

Quid demùm de filiofamilias dicendum, an 7
is sine licentia patris ad sacros Ordines promoveri valeat. R. utique valdè decens esse ut filius consensum patris requirat, interim tamen patrem impedire non posse, quin filius ordinetur, quia hoc in Jure Canonico statutum non reperitur, neque etiam de Jure Civili tanta est patri concessa potestas, imò si concessa foret, tanquam disponens de re Ecclesiastica, attendi non deberet. Et probat simile, quod Religiosus sine patris sui spiritualis Abbatis scilicet obtentâ venià, possit zelo Religionis ad strictiorem Ordinem transire. *c. licet. de Regular.*

Illud quoque observatione dignum est quòd 8
ex speciali privilegio à Justiniano Imperatore Clericis indulto omnia bona post Clericatum

à filiofamilias acquiſita in numerum *quaſi Caſtrenſis peculii* redacta ſint, ita ut de his liberè diſponere & teſtari valeat. *auth. Presbyteros. C. de Epiſcopis & Clericis.* quàmvis de cætero, & quo ad bona prius acquiſita Clericatus (excepta dignitate Epiſcopali) à patria poteſtate non liberet. *L. Sacroſanctæ 34. cum auth. ſeq. C. de Epiſc. & Cler.*

TITULUS VI.

Eſt 19. in Lib. 1. Decretal.

De Obligatis ad Ratiocinia ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1. *Obligati ad ratiocinia qui, & cur ab Ordinibus prohibeantur.*
2. *Clerici poſſunt eſſe tutores & curatores miſerabilium perſonarum.*
3. *Satisdatio tollit impedimentum obligationis.*
4. *Sponſalia an impediant Ordinationem.*

1 OBligati *ad Ratiocinia* dicuntur, qui generalē aliquam adminiſtrationem habent, vel habuerunt, & indè principalibus ſuis ad reddendas rationes tenentur, quales ſunt Procuratores, actores, executores, tutores & ſimiles, qui omnes ante redditas rationes, & plenam liberationem à ſuis principalibus obtentam ordinari prohibentur; partim quod magis intentione fugiendi ratiocinia, & forum Civile, quàm amore Religionis ad Clericatum tranſire præſumantur:

tur: partim etiam, quod infamaretur Ecclesia, & exosa fieret, si tales in suum gremium cum principalium damno reciperet, qui essent ære alieno, & magnis litibus obnoxii, Clerici enim facti ad forum Civile amplius trahi, & plena executio contra eos fieri non posset, sed *beneficium competentiæ*, & congrua sustentatio eis relinqui deberet. *cap. 3. de Solution. c. unico hoc tit.* Curam tamen gerentes miserabilium, aut Ecclesiasticarum personarum etiam in officio perseverantes rectè ordinantur, quia Clerici tutelam miserabilium personarum suscipere, & gerere possunt. *c. pervenit. dist. 86. c. judicatum. dist. 89. c. in nova. 16. quæst. 7.* 2

Illi quoque ad ratiocinia obligati ab Ordinibus prohiberi non debent, qui principalibus suis idoneè caverunt, se satisfacturos, *vice enim solutionis est*, inquit Ulpianus *in L. rescripto. 6. §. 1. ff. de muner. & honor ut quis aut pignoribus, aut fidejussoribus idoneè caveat.* 3

De eo controvertitur, qui alicui fœminæ sponsalibus seu promissione matrimonii obligatus est, an illâ invitâ possit ad Ordines admitti? Negativa probabilior est, quam tenet Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 47. n. 3.* Ratio est, ex generalitate regulæ *in h. t.* traditæ, ut nemo cum gravi alterius præjudicio ordinetur. & speciale Religionis (utpotè quæ morti naturali omnia solventi magis assimilatur) privilegium est, ut per ingressum ejus, sponsalia & matrimonium ratũ, etiam invitâ alterâ parte dissolvantur, quod non 4

est

Digitized by Google

à filiofamilias acquiſita in numerum *quaſi Caſtrenſis peculii* redacta ſint, ita ut de his liberè diſponere & teſtari valeat. *auth. Presbyteros. C. de Epiſcopis & Clericis.* quàmvis de cætero, & quo ad bona prius acquiſita Clericatus (excepta dignitate Epiſcopali) à patria poteſtate non liberet. *L. Sacroſanctæ 34. cum auth. ſeq. C. de Epiſc. & Cler.*

TITULUS VI.

Eſt 19. in Lib. 1. Decretal.

De Obligatis ad Ratiocinia ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1. *Obligati ad ratiocinia qui, & cur ab Ordinibus prohibeantur.*
2. *Clerici poſſunt eſſe tutores & curatores miſerabilium perſonarum.*
3. *Satisdatio tollit impedimentum obligationis.*
4. *Sponſalia an impediant Ordinationem.*

1 *Obligati ad Ratiocinia* dicuntur, qui generalē aliquam adminiſtrationem habent, vel habuerunt, & indè principalibus ſuis ad reddendas rationes tenentur, quales ſunt Procuratores, actores, executores, tutores & ſimiles, qui omnes ante redditas rationes, & plenam liberationem à ſuis principalibus obtentam ordinari prohibentur; partim quod magis intentione fugiendi ratiocinia, & forum Civile, quàm amore Religionis ad Clericatum tranſire præſumantur:

tur: partim etiam, quod infamaretur Ecclesia, & exosa fieret, si tales in suum gremium cum principalium damno reciperet, qui essent ære alieno, & magnis litibus obnoxii, Clerici enim facti ad forum Civile amplius trahi, & plena executio contra eos fieri non posset, sed *beneficium competentiæ*, & congrua sustentatio eis relinqui deberet. *cap. 3, de Solution. c. unico hoc tit.* Curam tamen gerentes miserabilium, aut Ecclesiasticarum personarum etiam in officio perseverantes rectè ordinantur, quia Clerici tutelam miserabilium personarum suscipere, & gerere possunt. *c. pervenit. dist. 86. c. judicatum. dist. 89. c. in nova. 16. quæst. 7.* 2

Illi quoque ad ratiocinia obligati ab Ordinibus prohiberi non debent, qui principalibus suis idoneè caverunt, se satisfacturos, *vice enim solutionis est*, inquit Ulpianus *in L. rescripto. 6. §. 1. ff. de muner. & honor ut quis aut pignoribus, aut fidejussoribus idoneè caveat.* 3

De eo controvertitur, qui alicui fœminæ sponsalibus seu promissione matrimonii obligatus est, an illâ invitâ possit ad Ordines admitti? Negativa probabilior est, quam tenet Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 47. n. 3.* Ratio est, ex generalitate regulæ *in h. t.* traditæ, ut nemo cum gravi alterius præjudicio ordinetur. & speciale Religionis (utpotè quæ morti naturali omnia solventi magis assimilatur) privilegium est, ut per ingressum ejus, sponsalia & matrimonium ratũ, etiam invitâ alterâ parte dissolvantur, quod non 4

est

est Clericatui sæculari concessum. *Extrav. Antiquæ De voto & voti redempt.* Dices, sicut votū non obligat in præjudicium melioris boni, ita nec sponsalia in præjudiciū status melioris, scilicet sacerdotalis. R. esse disparitatem, quia votum fit directè DEO, à quo non censetur acceptari in melioris boni præjudicium, sponsalia autem fiunt homini à quo simpliciter acceptantur, & exinde simpliciter nascitur obligatio. Dices iterum, sponsalia habere tacitam conditionem, *rebus sic stantibus, & nisi notabilis mutatio interveniat. c. quemadmodum. de jure juxando.* & sicut per votum simplex postea emissum ex sententia multorum Doctorum sponsalia solvenda sunt, ita etiam ex susceptione sacrorum Ordinum R. dictam conditionem tacitam esse intelligendam tantùm de mutatione casuali, non voluntaria, quam regulariter nemo potest ponere in alieni Juris præjudicium. Unde etiam verius est, ne quidem votum castitatis simplex in præjudicium sponsæ valere, sicut docet Sanch. *d. l. disp.* 46. *n.* 7. non enim licet vovere ea, quæ in voventis potestate non sunt. Est tamen contraria sententia etiam non omninò improbabilis propter authores à Sanch. dictis locis allegatos.

TITU-

TITULUS VII.

Est 20. in Lib. 1. Decretal.

De Corpore vitiatis ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1. *Corpore vitiati qui dicantur.*
2. *Debiles & deformes etiam alienâ culpâ ita facti prohibentur.*
3. *Claudicans an prohibeatur ordinari.*
4. *Quanta debeat esse debilitas vel deformitas in arbitrio est Episcopi.*
5. *Carens uno tantum oculo an sit irregularis.*
6. *Lusci, aut oculum fictitium habentes an prohibeantur ab Ordinibus.*
7. *Mutilantes se ipsos, aut mutilationem sine causa justa procurantes in quacunque parte corporis sunt irregulares.*
8. *Non est licita castratio ad tuendam castitatem.*
9. *Mutilatus ex justa causa morbi, aut invitus alieno facto non est irregularis, si membrum non sit ad executionem Ordinis necessarium, vel inde resultet deformitas.*
10. *Castratus non tenetur partem abscissam in collo portare.* (*irregularis.*
11. *Insignis disputatio, an castratus propter vocem sit*
12. *Castrationem propter vocem qui doceant esse licitã.*
13. *Contrarium probabilius.*
14. *Usufructuarius qualiter possit rem usufructuariam meliorare.*

15. *Vitia-*

15. *Vitiatus poſt ſuſceptos Ordines quando debeat prohiberi à Miniſterio.*
16. *Quid de Epilepticis & Energumenis.*
17. *Quid de Abſtemio.*
18. *Quid de hermaphrodito.*
19. *Cum mutilatis quis diſpenſet.*

1 CORpore vitiati tegulariter ad Ordines admittendi non ſunt. *diſt. 55. per totum & X. h t.* Sunt autem corpore vitiati in triplici differentia: alii enim ſunt *debilitati*, alii *mutilati*, alii *notabiliter deformes.*

Debilitati dicuntur, qui membrum aliquod ad ſacrum Miniſterium neceſſarium inutile habent, aut qui continuò, & gravi aliquo morbo laborant. *Mutilati* dicuntur, qui aliquo membro carent. *Deformes* denique, qui enorme habent vitium, defectum vel maculam in exterioribus membris, undè ſine notabili horrore, irriſione, vel ſcandalo conſpici nequeunt.

2 *Debiles & deformes*, ſive ſuâ, ſive alienâ culpâ debilitati aut deformati ſint, non debent ad Ordines promoveri, ut ſatis probatur, *ex c fin. diſt. 55.* ubi Pontifex *illi*, inquit, *cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundum Canones Sacerdotii jura concedi, neque enim aliquid ei prodeſt, quod oculum invitus amiſerit, &c.*

3 Claudicatio tamen licet videatur eſſe deformitas, non tamen impedit ab Ordinibus, dummodo claudicans ad ſolennia Miſſarum baculo non indigeat. *c. ſi quis. 10. diſt. 55. junctо c. nullus Epiſcopus, 57. diſt. 1. de Conſecrat.*

Gene-

Digitized by Google

Generaliter autem quanta debeat esse deformitas, vel debilitas, ut in casibus in Jure non expressis causet irregularitatem, arbitrio Episcopi relinquitur. *Innoc. & DD. communiter. in c. 1. & 2. h. t. c. communiter. dist. 33. Piasecius in praxi Episc. parte 1. c. 1. n. 36.* 4

Circa defectum oculorum adhuc quæritur, 5
sitne distinguendum; an quis dextro vel sinistro oculo careat? Item an alteruter oculus planè erutus, an verò pupillâ integrâ tantum virtus visiva in illo destructa sit? R. quia oculus erutus præter defectum visus causat simul deformitatem, ideò de Jure sive dexter sive siniſter sit, irregularitatem inducit, *neque enim Canones aliquẽ casum in amissione oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impediret, suis expressisse regulis invenimus*, ait Pontifex *in d. c. fin. d.* 55.

Interim tamen si quis oculum sinistrum salvũ & integrum haberet, (qui de stylo curiæ solet *oculus canonis* appellari, quod per illum Canon Missæ legi debeat) facilius à summo Pontifice dispensationem impetraret. *Zoesius h. t. n. 2.*

R. Qui oculum sinistrum bonum & videntem, dextrum autem integrum quidem, sed virtute visivâ destitutum haberet, ex communi Doctorum opinione irregularis non esset. Imò id ipsum non improbabiliter procederet, si in solo oculo dextro videns sine indecora faciei ad populum conversione *Canonem Missæ* legere valeret. *Barb Juris Eccles. univ. lib. 1. c. 33. n. 140. Navar. in Manuali. c. 27. n. 159.*

Quid

6 Quid de luſcis, aut tortos ſeu obliquatos oculos habentibus ſentiendum? R. deformitatem iſtam arbitrio Epiſcopi conſiderandam eſſe, ita ut tales, ſi immodicam corporis inclinationem ad legendum requirerent, vel populo riſum, aut illuſionem cauſarent, admittendi non ſint. *Zoeſius hoc tit. n.* 13.

Quid de habente oculum fictitium, vitreum, lapideum? Putarem ſine diſpenſatione facilè ordinandum non eſſe; quia revera oculus naturalis eſt erutus, & in Canonibus non ponitur hæc exceptio ob reſtitutionem oculi ficti, & deindè ille oculus artificialis facilè poteſt adverti, excidere, aut perire, & deficere occaſio reparandi, ut appareat deformitas.

7 Inter *mutilatos* diſtinctio eſt facienda, an ſe ipſos mutilârint, vel mutilationem ſine cauſa procurârint, an verò ab aliis caſu aut ex cauſa neceſſitatis, infirmitatis, vel perſecutionis ſint mutilati. Priori caſu, quando quis mutilationem fecit ſine cauſa, ſive in magno ſive parvo membro etiam in parte cujuslibet digiti, ab Ordinibus arceri debet: neque enim in eo tam conſideratur defectus, quàm ſævitia, & mala voluntas auſa ſibi ferrum iniicere. *c. qui partem. 6. diſt.* 55. ſicut de illis frequentia etiam ponunt exempla Canones, qui non per diſciplinam Religionis, & abſtinentiæ, ſed per abſciſſionem Plaſmati à DEO corporis exiſtimantes, poſſe à ſe carnales concupiſcentias amputari, caſtraverunt ſe, qui ſui homicidæ, & DEI conditionis inimici vocantur,

vocantur, *c. si quis*, 4. *c.* 5. & 9. *dist.* 55. *c. significavit. hoc tit.*

Posteriore casu, quando nimirum quis ex ju- 9
sta causa, vel certè alieno facto non affectato mutilatus est in tali membro, quod ad exercitium Ordinum necessariò requiritur, vel ejus defectus notabilem deformitatem inducit, ut amputatio manus, nasi, &c. tali casu ordinari non debet. *c. exposuisti. hoc tit.* si vèro membrum sine culpa amputatum non impediat usum divini Ministerii, tunc nec etiam susceptionem Ordinum impediet. sicut exemplum habetur *in c. Thomas* 7. *hoc tit.* ubi instrumentum ferreum alicui super dextræ pollicem fortuito cadens ab eo unguiam, seu priorem articulum avulsit: & deciditur ibidem, non esse impedimentum Canonicum, si mutilatus in reliqua parte pollicis sufficientem habeat ad frangendam hostiam fortitudinem.

Similiter qui à Medicis propter ægritudinem, vel à Barbaris, aut Dominis suis inviti castrati fuerunt, aut Eunuchi nati sunt, ad Clericatus officium admittuntur. *c. Si quis* 8. *cum seqq. dist.* 55. *c. ex parte. X. hoc tit.* vulgi autem error est, quod castratus, si vel de Jure, vel ex dispensatione ad 10
sacros Ordines admittatur, debeat partem exsectam in pulveres redactam in collo portare, quia non ideò minus foret integritate corporis, & virilitate destitutus, ut advertit *Gloss. in c. Eunuchus. dist.* 55. *Covar. in Relect. Clem. Si furiosus. par.* 1. *de Irregularit. n.* 5.

De eo dubitari posset, qui propter solam vocem musicam castratus est, an irregularis censeri debeat? vel an licita sit talis propter vocem castratio?

11 Et quidem quod attinet ad irregularitatem, si puer in cunis, vel ante septennium, & usum rationis; aut invitus per violentiam, aut dolum potu somnifero sopitus sectus esset, res minoris difficultatis foret? nam contra voluntatem secti non efficiuntur irregulares. At verò si sciens, volénsque castratus aliquis fuerit, non satis constat, quid de Jure respondendum sit, & tamen frequenter apud aulas Principum hæc quæstio movetur. Ferdinandus de Castropalao *in opere suo morali, parte 6. puncto. 12. n. 4.* summariter insinuat, non videri improbabile, vocis retinendæ causâ castratum irregulare non esse, eò quod hæc irregularitas in Jure statuta non legatur, aliundè autem constet, irregularitatem sine textu expresso induci non debere. *c. is qui. de sentent. excomm. in 6.*

12 Item addi posse videtur alia ratio, quòd ex sententia Pasqualigi, & Solonii, quos refert, & sequitur Caramuel *in Theologia fundam fundamento. 54. §. 19.* castratio propter vocem licita asseratur, tum quod suavis vox, maximè ad divinum cultum ordinata, sit perfectio corporalis, quæ pluribus membris, præsertim habita status consideratione minus necessariis præstat; tum quod homo licet non sit *Dominus* membrorum suorum, *L. liber homo. ff. ad L. Aquil.* sit tamen *usufru-*

ſufructuarius, qui poteſt rem *uſufructuariam* meliorem facere, V. g. inutiles arbores excidendo, meliores inſerendo, &c. *L. æquiſſimum. § fructuarius. ff. de uſufructu* tum denique, quod talis caſtratio magnam utilitatem importet, promerendo Principum gratiam, & ſtipendia cantoribus præſtari ſolita. Demùm etiam juvat, quod in caſtratis per ſe non videatur conſiderari aliquis defectus virilis formæ, aliàs nec invitè, vel ex cauſa ægritudinis inciſi ordinari poſſent.

Verùm licet diffiteri nequeam hujuſmodi caſtratum de facto ordinatum probabiliter tolerari; & ordinantem excuſari ob adductas rationes poſſe, cum & nonnunquam Epiſcopus in dubio Jure diſpenſare valeat, ut alibi diximus: magis tamen exiſtimo, in hoc caſu ſimpliciter irregularitatem ſtatuendam eſſe; ut etiam inſinuat Salonius, apud Caramuelem *d. l.* Bonac. *de cenſuris. diſput. 7. quæſt. 2. n. 34.* Si enim voluntariè procurans inciſionem propter caſtitatem ſervandā, & ſic propter finem ſupernaturalem eſt irregularis, ut dictum, ergo multò magis propter utilitatem humanam, & finem minùs excellentem.

Deinde mutilatio ſui illicita cauſat irregularitatem, ſed mutilatio ob vocem ſervandam ex magis communi & frequentiori Doctorum ſententia eſt illicita, ergo. hæc minor propoſitio probatur ab authoritate Divi Thom. 2. 2. *quæſt. 65. art. 1.* Dianæ *part. 3. Tract. 5. Reſolut. 38. & parte 6. Tract. 8. Reſolut. 36.* Bonac. *d. l.* & aliorum plurium apud hos. & Caramuelem *d. l. cit.* 13

Digitized by Google

Item *in novell.* 142. generaliter ſub pœna talionis, & bonorum confiſcationis prohibuit Imperator hominum caſtrationem ſine cauſa neceſſitatis intentatam. adde *L.* 4 §. 2 *ad L. Corn. de ſicar.* Ratio eſt, quod cum nemo ſit membrorum ſuorum Dominus, nemo poteſt in eorum abſciſſionem conſentire, niſi quatenus id exigit conſervatio totius corporis, vel membri principalis. & quia caſtratio importat præſens vitæ periculum, *ut in d. Novel. dicitur*, nemo poteſt ſe vitæ periculo ſine cauſa neceſſitatis, aut Reipublicæ exponere. Aliæ rationes in reſolutione contrariorum patebunt.

Igitur ad primum argumentum contrarium, reſpondetur, ſuavitatem vocis muliebris neutiquam eſſe perfectionem corporis virilis, & evirationem plerumque apud homines rideri, & probro duci. quamvis autem ſuavitas vocis applicetur ad cultum divinum, non eſt tamen cultui divino neceſſaria, ut nihil dicamus, quod fermè frequentius extra Eccleſiam, aut nonnunquam etiam intra ad laſciviam deſerviat.

14 Ad alterum argumentum dicitur, de Jure uſufructuarium rem meliorem facere poſſe, ſi id faciat ſine mutatione prioris ſtatus, non autem poſſe, auferendo rem etiam minus utilem (quæ ſimpliciter & abſolutè inutilis non ſit, ut arbor arida,) & reponendo meliorem, quàm quatenus id gratum ſit Domino. *textus apertus in corpore Gothofredi in L. 7. in fine. cum L. ſeqq. & L.* 11. *ff. de uſufructu.* ſed non videtur gratum DEO, qui eſt

Dominus

Dominus noſtri Corporis, ſine cauſa neceſſitatis mutilare partem corporis à ſe plaſmati, cum tales abſciſſores *Dei conditionis inimici* dicantur, *in ſæpè d. diſt. 55.* ergo.

Ad tertium reponitur, ex cauſa utilitatis temporalis, & lucri pecuniarii non licere amputare membrum, tum quod nemo ſit Dominus membrorum ſuorum, quæ pro ſuo arbitrio pro lucro computare valeat; tum etiam quod Corpus liberi hominis non recipiat æſtimationem. *L. 3. ff. ſi quadrupes pauperiem. l. 1. §. 4. & l. ult. ff. de his qui effuderint, vel dejecerint.*

Cæterum ſi quis poſt ſuſceptos Ordines vitiatus fuerit, ſuâ culpâ, aut facto proprio, ab Altaris Miniſterio debet removeri. *c. ſignificavit. 4. h. t.* ſi verò non ſuâ culpâ, ſed alieno facto mutilatus, debilitatus aut deformatus quis fuerit, in illis poterit officiis miniſtrare, ad quæ propter talem vitiationem non eſt inhabilitatus. *c. Presbyterum. de Clerico ægrot. Garcias. de beneficijs, parte 7. cap. 12. n. 101.* 15

De *Epilepticis*, & *Energumenis* ſive à Dæmonibus obſeſſis ſtatutum eſt, ut tam diu cenſeantur ab officio ſuſpenſi, uſque dum unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi à malo ſuo inveniantur liberati. *c. commun. diſt. 33 c. 1. 7. quæſt. 2.* 16

Abſtemius licet ad Presbyterium aſcendere nequeat, ex probabiliori tamen ſententia ad Subdiaconatum vel Diaconatum reputandus non eſt inhabilis, quia inferiores Ordines dantur quidem in Ordine ad miniſterium Sacerdotii, 17

ſed non ad neceſſarium aſcenſum ad Sacerdotium. Ita plures ſunt tituli Cardinalium, & plures præbendæ in Eccleſiis Cathedralibus, in quibus ſolus Ordo Subdiaconatus ſufficit. *Zypæus in Analiſi Juris Pont. tit. de ordinandis. n.* 11. *Navar. in Man. cap.* 27. *n.* 204.

18 Hermaphroditus, licet ſi in eo ſexus virilis prævaleat viris annumeretur, *L. quæritur. ff. de ſtatu hominum.* non tamen videtur ad Ordines admittendus propter moralem indecentiam, & monſtroſitatem, cum non ſit vir ſimpliciter, ſed naturam fæminæ participet. *Navar. d. lo. n.* 203. *videatur etiam Zoeſius, h. t. n.* 12.

19 Poſtremò *in hoc tit.* ſciendum eſt, quod cum mutilatis vel deformatis irregularibus ordinariè tantum ſummus Pontifex diſpenſet. *Covar. in Relect. Clem. ſi furioſus. parte* 1. *in princ. n.* 7. poſſit tamen Epiſcopus inprimis declarare, an defectus ſit talis, & tantus qui indigeat diſpenſatione. Deinde poſſit Epiſcopus ſubindè deformato, qui in publico honeſtè apparere nequit, dare licentiam celebrandi in privatis Capellis teſte Innoc. *in c.* 1. *h. t.* quod intelligendum, ſi poſt Ordines ſuſceptos aliquis deformetur, prius enim deformatus admitti non deberet. Denique ſi irregularitas proveniat ex mulitatione illicita occulta, poterit Epiſcopus diſpenſare authoritate Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform c.* 6.

Quandonam autem mutilationi vel occiſioni alienæ cauſam præbentes fiant irregulares. *in l.* 5. *t. de homicidio.* tractatur.

TITU-

TITULUS VIII.

Est 21. in Lib 1. Decretal.

De Bigamis non ordinandis

SUMMARIA.

1. *Bigamia quid, & cur inducat irregularitatem.*
2. *Bigamia vera quid,*
3. *Quid interpretativa, & quibus casibus contrahatur*
4. *Cum vidua nulliter contrahens an efficiatur bigama?*
5. *Quid si matrimonium fuerit nullum ex defectu consensus,*
6. *Peccans cum corrupta, vel cum pluribus non est irregularis.*
7. *Ducens à se prius corruptam non est irregularis.*
8. *Bigamia in infidelitate contracta an noceat post conversionem.*
9. *Bigamia similitudinaria quid.*
10. *Explicatur* c. un. h t. in 6.
11. *In bigamia quis dispenset.*
12. *Apostolorum dicta non omnia faciunt jus divinũ.*

Bigamia nihil est aliud, quam Matrimonii reiteratio, & quamvis mortua prima uxore licitum sit ad alias nuptias transire (non verò plures uxores simul retinere quod peccatum *Polygamia* dicitur ut *in lib. 4. tit. ult.* traditur) causat tamen bigamia irregularitatem, quòd Apostolus 1. *ad Timoth. 3.* Episcopum jubeat, *unius uxoris virum esse.* licet autem Apostolus de Episcopo loquatur, nihilominùs eodem vocabulo etiam Presbyteros intellexisse, communis Sanctorum Patrum sententia est, & Conc. Nizænum

Digitized by Google

addidit, nec ad quemcunque Ordinem Clericalem bigamum promovendum esse. *c. cognoscamus. dist.* 34 Ratio est non solùm ex eo, quod in primitiva Ecclesia etiam Presbyteri Episcopi nomine fuerint quandoque compellati. *c.* 1. *dist.* 21. *c. legimus.* 34 *dist* 93. sed etiam, quod generaliter à sacris Canonibus inconveniens existimetur, ut quis ad Sacramenta fidelibus ministranda ordinetur post conjugium prius habitum, si ipse in Sacramento Matrimonii defectũ passus sit. patitur autem *bigamus* defectum in Sacramento Matrimonii quoad ejus significationem, nam Sacramentum hoc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, teste Apostolo *ad Ephes. cap* 5. Christus autem uni tantum se conjunxit sponsæ Ecclesiæ, bigamus verò duabus, &c. *c. debitum h t.* Præterea bigamia communiter à Doctoribus dividitur in *veram, interpretativam, & similitudinariam.*

2 *Vera bigamia* uno modo contrahitur, quando scilicet quis successivè duas legitimas uxores habuit, & ambas cognovit. *text. Gloss. & interp. passim in dist.* 26. *&* 34. *& t. toto præsentr.*

3 *Bigamia interpretativa* tribus casibus committitur: Primò, quando Matrimonium celebratur cum corrupta, sive jam illa vidua sit, *c. si quis viduam.* 13 *dist.* 34. *c. de bigamis, & c. debitum. X. hoc. tit.* sive per copulam fornicariam defiorata, *c. plorandum. c. præcipimus, & d. c. si quis viduam. dist.* 34. etenim licet Matrimonium contractum cum corrupta verum sit Sacramentum, repræ-

repræsentans per mutuum consensum conjunctionem Christi & animæ justæ, non est tamen quoad significationem omninò perfectum Sacramentum, quippe quòd minimè significet conjunctionem Christi cum unica & immaculata Sponsa Ecclesia, sive ut loquitur summus Pontifex *in c. debitum. hoc tit.* corrupta in uxorem ducta non est unica unici. Si verò primum matrimonium, quod vidua contraxit, consummatum non fuisset, nec illa aliàs virginitatem amisisset, absque bigamiæ irregularitate posset in uxorem duci. *d. c. debitum. in fine*

Secundò *interpretativa* bigamia contrahitur, quando maritus reddit debitum conjugi adulteræ, etiamsi ignoret illam adulteram esse, aut debitum pendente lite ad præceptum Ecclesiæ reddat. *c. si cujus. & seq. dist. 34. Zoesius hoc tit. n. 6. & alij passim.* neque enim necesse est, ut quis bigamus dicatur, quòd scienter contraxerit bigamiam, quia bigamia non in pœnam contrahentis (ubi sine dubio propositum & scientia desideraretur) sed propter defectum Sacramenti, quem etiam ignorans patitur, impedimentum facit ordinando, ut bene notat Joan. Honorius *hoc tit. n. 3.* Patitur autem defectum in Sacramento is, qui conjugem suam adulteram cognoscit, quòd ipsius Matrimonium cesset significare conjunctionem Christi cum Ecclesia unica unici.

Tertiò *interpretativè* bigamus efficitur, qui in figura & specie Matrimonii viduam, vel plures

mulieres tanquam uxores suas cognovit, quamvis à parte rei propter impedimentum aliquod dirimens uxores legitimæ non fuerint, tales enim bigami censentur, non quidem propter defectum significationis Sacramentalis, cùm ex supposito nullum Matrimonium, aut Sacramentum fuerit, *sed propter affectum intentionis, cum opere subsecuto*, quia quantum in ipsis fuit, secundas mulieres matrimonialiter sibi junxerunt, *c. nuper. & c fin. hoc tit.* unde hæc est specialis exceptio ab illa regula, quod *non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, omnes enim regulæ generales procedunt regulariter, & cedunt Constitutionibus specialibus. Requiritur autem in omni casu bigamiæ perfecta copula, & non sufficit nud⁹ contract⁹ Matrimonii.

4 De eo qui cum vidua nulliter contraxit putat Navar. *in Manual. c.27. n.* 195 probabiliter dici posse, non contraxisse irregularitatem, quod *cap. fin. h. t.* tantùm de Clerico loquatur, de Laico autem sic contrahente nulla juris dispositio habeatur nihilominus probabilius videtur, non esse hac in parte inter Clericum & Laicum differentiam faciendam, quia ratio Constitutionis, scilicet intentio sive affectus Matrimonialis cum opere subsecuto in utroque locum habet, ubi autem est eadem ratio, eadem debet esse Juris Constitutio. *Zoesius hoc tit. n.* 12. *Covar. in Relect. Clem. si furiosus. parte* 1. §. 1 *n.* 2.

5 Quid autem si matrimonium cum corrupta fuerit nullum non tantum ob impedimentum con-

Digitized by Google

consanguinitatis, aut aliud dirimens, sed ex defectu consensus, cùm ille, qui contraxit tantùm ad habendam mulierem simulavit Matrimonium? Etiam hoc casu contrahi irregularitatem, censet *Zoesius hoc tit. n.* 11. eò quòd Ecclesia attendat exteriorem consensum, qui ponit indecentiam, & arguitur *ex c.* 4. *hoc tit.* quod loquitur de Sacerdote contrahente, qui utique non potest habere verum consensum in Matrimonium. Libenter quidem subscribo huic opinioni eo casu, quo constat, aliquem de facto contraxisse cum corrupta, & non satis constat de defectu intentionis, quæ cùm sit de internis, facilè apparere non potest. Attamen cessante scandalo, & casu occulto posito, ubi v. g. aliquis cum corrupta contraxisset, quæ tamen publicè virgo credebatur, putarem, valde probabiliter talem ab irregularitate excusari. quia Canones non quamcunque conjunctionem, sed cum intentione maritali requirunt, & cum aliàs irregularitas sit strictæ interpretationis, *c. is qui de sententia excom. in* 6. non videtur ultra verborum proprietatem extendenda. neque hic in foro externo poneretur indecentia aut scandalum, cum suppositâ virginitatis existimatione nulla crederetur inducta irregularitas. Instantia etiam de Sacerdote allata non convincit, licet etiam Sacerdos, de quo *in c.* 4. *h. t.* non potuerit habere intentionem contrahendi Matrimonium Canonicam & Juris, potuit tamen habere intentionem naturalem & facti.

Hinc

6 Hinc etiam eſt, quòd ex defectu conſenſus Matrimonialis, & Sacramenti bigamus reputandus non ſit, qui extra Matrimonium cum corrupta peccavit, vel plures concubinas habuit *c. quia circa. hoc tit.* ſed cur magis ſit irregularis ducens corruptam, quam corruptus ipſe, rationem aſſignant, quòd ſicut motus ſpecificatur à terminis, ita etiam actus contrahendi matrimonium & vitium corruptionis non cadat ſupra ſe ipſum, ſed ſupra alterum conjugem, & conſequenter, ſi etiam mulier eſſet capax Ordinis ducendo corruptum efficeretur irregularis. hanc rationem à Divo Thoma aſſignatam communi conſenſu approbari teſtatur, Covar. *d. l. ſub n.* 3. Aliæ rationes videantur apud Gloſſ. *in c. debitum. hoc tit.*

7 Quòd ſi quis à ſe tantùm prius corruptam in uxorem duxerit, verius eſt cum Gloſſ. fin. *in d. c. debitum.* & Covar. *cit. l.* non cenſendum irregularem, quia talis adhuc eſt *unica unici*, & Matrimonium ſubſequens, quod ad forum externum, tollit præcedentem maculam, ac fictione Juris habetur perinde, ac ſi copula in Matrimonio contigiſſet. *DD. in c. tanta. Qui filii ſint legitimi.*

8 De infidelibus ad fidem converſis dubitatur, an ſi prius in infidelitate corruptam duxerint, vel plures uxores habuerint, hæc polygamia cauſet irregularitatem? in hac quæſtione SS. PP. Hieronymus, & Auguſtinus olim in diverſas ſententias abiêrunt, ut videre eſt *in c. 1. & ſeqq. diſt.* 26. magis tamen recepta eſt ſententia affirmati-

mativa, quæ fuit S. Augustini, Ambrosii, & Iñoc. eò quòd hæc irregularitas non fundetur in aliqua culpa, quæ per Baptismum tolli possit, sed in ratione de defectu significationis Sacramenti Matrimonialis sæpius insinuata. Nec etiam obest, quod Jus Pontificium non liget infideles, quia saltem ligat post conversionem, quando ratio irregularitatis ex actibus in infidelitate factis adhuc perdurat. *Covar. in d. Relect. Clem. si furiosus, parte* 1. §. 2. *n.* 5.

Similitudinariam demùm bigamiam contrahit, 9
qui prius per votum solenne Religionis, aut sacris Ordinibus annexum spiritualiter cum Deo vel Ecclesia contraxerit, & posteà Matrimoniũ carnale de facto attentare præsumpserit. Dicta est hæc *similitudinaria* bigamia à similitudine, quam inter se habet spirituale & carnale conjugium. *c. quæ Christo.* 27. *quæst.* 1. *c.* 1. *& c.* 2. *qui Clerici vel voventes. c. fin. hoc tit.*

Dubitari etiam posset, quomodo intelligen- 10
dum sit *Capit. unicum, hoc tit. in* 6. ubi declarat Pontifex, bigamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & jurisdictioni fori sæcularis esse addictos, prohibitos quoque sub anathemate deferre habitum, & tonsuram Clericalem? R. interpretationem esse desumendam. ex *c. unico. de Clericis conjugatis in* 6. ubi Clericus in minoribus constitutus, si cum unica & virgine contraxerit, dicitur gaudere omni privilegio Clericali. & Trid. *sess.* 23. *c.* 17. voluit, si deficiant Clerici celibes pro exercitio minorum Ordinum, Cleri-

cos conjugatos saltem in Ecclesia habitum Clericalem gestantes constitui: quòd si ergò Clericus in minoribus constitutus bigamiâ contraxerit, ipso Jure perdit Clericalia privilegia. In sacris autem Ordinibus constitutus non perdit privilegium Clericale, sed si ante Ordines susceptos contraxerit bigamiam manet irregularis; & suspensus usque dum dispensationem impetrârit: si posteà de facto attentârit Matrimonium, & sic *bigamiam similitudinariam* incurrerit, poterit ab Episcopo dimissa uxore; absolutione obtenta, & peractâ longiori arbitrio Episcopi infligendâ pœnitentiâ certâque emendatione apparente, officio suo restitui, & etiam ad ulteriores Ordinis promoveri. *c. sanè. 4. & ibi Gloss. de Clericis conjug.* dummodo non cum vidua, vel corrupta, aut pluribus uxoribus contraxerit. *c. nuper. & c. fin. h. t. Barb. in d. c. 4. n. 2.*

11 Sciendum ultimò, quòd hæc irregularitas ex communi Doctorum sententia tantùm Juris positivi sit, & consequenter in ea summus Pontifex dispensare valeat, non obstante quod *in c. 2. & seq. h. t.* dicitur, *doctrinam Apostoli esse, ne bigamus ordinetur, & ideò in bigamia dispensare non licere*, quia Doctores hæc verba de difficultate dispensationis, & præsertim non suppositâ satis justâ
12 causâ intelligunt. Cæterum autem non omnia, quæ Apostoli constituerunt, Juris divini sunt, nisi aut subjecta materia, aut verba Apostoli insinuent, quòd ex Deo acceperint, quia & ipsi Apostoli tanquam suo tempore primates & Antistites

tiſtites Eccleſiæ multa ſeparatim à præceptis divinis pro rationabili fidelium directione, ſicut hodie ſolet ſummus Pontifex, & Epiſcopi, ſtatuerunt; prout Apoſtolus in eodem contextu, 1. *ad Timoth.* 1. ubi de *bigamo* loquitur, etiam prohibuit, ne percuſſor, vel criminoſus ordinetur, & tamen *in c. at ſi Clerici. §. de adulteriis. de Iudicijs* conceditur Epiſcopo, poſt peractam pœnitentiam in adulteriis, & aliis minoribus delictis diſpenſare, & optimè confirmant verba Apoſtoli, 1. *ad Corinth.* 7. *cæteris ego dico, non Dominus, &c.*

Epiſcopo autem non niſi in ſimilitudinaria bigamia diſpenſare conceditur, vel ſi caſus neceſſitatis ob penuriam Clericorum & difficilem acceſſum ad ſummum Pontificem daretur. Et ex Jure noviſſimo Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 7. ſi bigamia ſit occultè & ſimul ex delicto contracta, uti eſt illa quæ oritur ex duplici Matrimonio utroque vel ſaltem alterutro invalido. *Barb. de officio Epiſcopi parte* 2. *Alleg.* 49. *n.* 25. vide tamen quæ dicam inferius *in tit. de major. & obed. §.* 4. ubi conabor probare, idem eſſe, de qualibet bigamia occulta etiam ſine delicto contracta.

Superiores Regularium habentes jurisdictionem quaſi Epiſcopalem poſſunt in illis caſibus diſpenſare cum ſuis Regularibus, in quibus Epiſcopi, per ſolum autem ingreſſum in Religionem non tolli hanc irregularitatem, neque diſpenſari poſſe à Prælato non exempto carente.

Ei i-

Item *in novell.* 142. generaliter ſub pœna talionis, & bonorum confiſcationis prohibuit Imperator hominum caſtrationem ſine cauſa neceſſitatis intentatam. adde *L.* 4 §. 2 *ad L. Corn. de ſica riis.* Ratio eſt, quod cum nemo ſit membrorum ſuorum Dominus, nemo poteſt in eorum abſciſſionem conſentire, niſi quatenus id exigit conſervatio totius corporis, vel membri principalis. & quia caſtratio importat præſens vitæ periculum, *ut in d. Novel. dicitur*, nemo poteſt ſe vitæ periculo ſine cauſa neceſſitatis, aut Reipublicæ exponere. Aliæ rationes in reſolutione contrariorum patebunt.

Igitur ad primum argumentum contrarium, reſpondetur, ſuavitatem vocis muliebris neutiquam eſſe perfectionem corporis virilis, & evirationem plerumque apud homines rideri, & probro duci. quamvis autem ſuavitas vocis applicetur ad cultum divinum, non eſt tamen cultui divino neceſſaria, ut nihil dicamus, quod fermè frequentius extra Eccleſiam, aut nonnunquam etiam intra ad laſciviam deſerviat.

14 Ad alterum argumentum dicitur, de Jure uſufructuarium rem meliorem facere poſſe, ſi id faciat ſine mutatione prioris ſtatus, non autem poſſe, auferendo rem etiam minus utilem (quæ ſimpliciter & abſolutè inutilis non ſit, ut arbor arida,) & reponendo meliorem, quàm quatenus id gratum ſit Domino. *textus apertus in corpore Gothofredi in L. 7. in fine. cum L. ſeqq. & L. 11. ff. de uſufructu.* ſed non videtur gratum DEO, qui eſt Dominus.

Dominus noſtri Corporis, ſine cauſa neceſſitatis mutilare partem corporis à ſe plaſmati, cum tales abſciſſores *Dei conditionis inimici* dicantur, *in ſæpè d. diſt. 55.* ergo.

Ad tertium reponitur, ex cauſa utilitatis temporalis, & lucri pecuniarii non licere amputare membrum, tum quod nemo ſit Dominus membrorum ſuorum, quæ pro ſuo arbitrio pro lucro computare valeat; tum etiam quod Corpus liberi hominis non recipiat æſtimationem. *L. 3. ff. ſi quadrupes pauperiem. l. 1. §. 4. & l. ult. ff. de his qui effuderint, vel dejecerint.*

Cæterum ſi quis poſt ſuſceptos Ordines vitiatus fuerit, ſuâ culpâ, aut facto proprio, ab Altaris Miniſterio debet removeri. *c. ſignificatum it. 4. h. t.* ſi verò non ſuâ culpâ, ſed alieno facto mutilatus, debilitatus aut deformatus quis fuerit, in illis poterit officiis miniſtrare, ad quæ propter talem vitiationem non eſt inhabilitatus. *c. Presbyterum. de Clerico ægrot. Garcias. de beneficijs, parte 7. cap. 12. n. 101.* 15

De *Epilepticis*, & *Energumenis* ſive à Dæmonibus obſeſſis ſtatutum eſt, ut tam diu cenſeantur ab officio ſuſpenſi, uſque dum unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi à malo ſuo inveniantur liberati. *c. commun. diſt. 33 c. 1. 7. quæſt. 2.* 16

Abſtemius licet ad Presbyterium aſcendere nequeat, ex probabiliori tamen ſententia ad Subdiaconatum vel Diaconatum reputandus non eſt inhabilis, quia inferiores Ordines dantur quidem in Ordine ad miniſterium Sacerdotii, 17

ſed non ad neceſſarium aſcenſum ad Sacerdotium. Ita plures ſunt tituli Cardinalium, & plures præbendæ in Eccleſiis Cathedralibus, in quibus ſolus Ordo Subdiaconatus ſufficit. *Zypæus in Analiſi Juris Pont. tit. de ordinandis. n.* 11. *Navar. in Man. cap.* 27. *n.* 204.

18 Hermaphroditus, licet ſi in eo ſexus virilis prævaleat viris annumeretur, *L. quæritur. ff. de ſtatu hominum.* non tamen videtur ad Ordines admittendus propter moralem indecentiam, & monſtroſitatem, cum non ſit vir ſimpliciter, ſed naturam fæminæ participet. *Navar. d. lo. n.* 203. *videatur etiam Zoeſius, h. t. n.* 12.

19 Poſtremò *in hoc tit.* ſciendum eſt, quod cum mutilatis vel deformatis irregularibus ordinariè tantum ſummus Pontifex diſpenſet. *Covar. in Relect. Clem. ſi furioſus. parte* 1. *in princ. n.* 7. poſſit tamen Epiſcopus inprimis declarare, an defectus ſit talis, & tantus qui indigeat diſpenſatione. Deinde poſſit Epiſcopus ſubindè deformato, qui in publico honeſtè apparere nequit, dare licentiam celebrandi in privatis Capellis teſte Innoc. *in c.* 1. *h. t.* quod intelligendum, ſi poſt Ordines ſuſceptos aliquis deformetur, prius enim deformatus admitti non deberet. Denique ſi irregularitas proveniat ex mulitatione illicita occulta, poterit Epiſcopus diſpenſare authoritate Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform c.* 6.

Quandonam autem mutilationi vel occiſioni alienæ cauſam præbentes fiant irregulares. *in l.* 5. *t. de homicidio.* tractatur.

TITU-

TITULUS VIII.

Est 21. in Lib 1. Decretal.

De Bigamis non ordinandis

SUMMARIA.

1. *Bigamia quid, & cur inducat irregularitatem.*
2. *Bigamia vera quid,*
3. *Quid interpretativa, & quibus casibus contrahatur*
4. *Cum vidua nulliter contrahens an efficiatur bigama?*
5. *Quid si matrimonium fuerit nullum ex defectu consensus.* (*regularis.*
6. *Peccans cum corrupta, vel cum pluribus non est ir-*
7. *Ducens à se prius corruptam non est irregularis.*
8. *Bigamia in infidelitate contracta an noceat post conversionem.*
9. *Bigamia similitudinaria quid.*
10. *Explicatur* c. un. h t. in 6.
11. *In bigamia quis dispenset.*
12. *Apostolorum dicta non omnia faciunt jus divinũ.*

BIgamia nihil est aliud, quam Matrimonii 1
reiteratio, & quamvis mortua prima uxore licitum sit ad alias nuptias transire (non verò plures uxores simul retinere quod peccatum *Polygamia* dicitur ut *in lib. 4. tit. ult.* traditur) causat tamen bigamia irregularitatem, quòd Apostolus 1. *ad Timoth.* 3. Episcopum jubeat, *unius uxoris virum esse.* licet autem Apostolus de Episcopo loquatur, nihilominùs eodem vocabulo etiam Presbyteros intellexisse, communis Sanctorum Patrum sententia est, & Conc. Nizænum

Digitized by Google

addidit, nec ad quemcunque Ordinem Clericalem bigamum promovendum esse. *c. cognoscamus. dist.* 34 Ratio est non solùm ex eo, quod in primitiva Ecclesia etiam Presbyteri Episcopi nomine fuerint quandoque compellati. *c.* 1. *dist.* 21. *c. legimus.* 24 *dist* 93. sed etiam, quod generaliter à sacris Canonibus inconveniens existimetur, ut quis ad Sacramenta fidelibus ministranda ordinetur post conjugium prius habitum, si ipse in Sacramento Matrimonii defectū passus sit. patitur autem *bigamus* defectum in Sacramento Matrimonii quoad ejus significationem, nam Sacramentum hoc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, teste Apostolo *ad Ephes. cap* 5. Christus autem uni tantum se conjunxit sponsæ Ecclesiæ, bigamus verò duabus, &c. *c. debitum h t.* Præterea bigamia communiter à Doctoribus dividitur in *veram, interpretativam, & similitudinariam.*

2 *Vera bigamia* uno modo contrahitur, quando scilicet quis successivè duas legitimas uxores habuit, & ambas cognovit. *text. Gloss. & interp. passim in dist.* 26. *&* 34. *& t. toto præsenti.*

3 *Bigamia interpretativa* tribus casibus committitur: Primò, quando Matrimonium celebratur cum corrupta, sive jam illa vidua sit, *c. si quis viduam.* 13 *dist.* 34. *c. de bigamis, & c. debitum. X. hoc. tit.* sive per copulam fornicariam defiorata, *c. ploraudum. c. præcipimus, & d. c. si quis viduam. dist.* 34. etenim licet Matrimonium contractum cum corrupta verum sit Sacramentum,

repræ-

repræsentans per mutuum consensum conjunctionem Christi & animæ justæ, non est tamen quoad significationem omninò perfectum Sacramentum, quippe quòd minimè significet conjunctionem Christi cum unica & immaculata Sponsa Ecclesia, sive ut loquitur summus Pontifex *in c. debitum. hoc tit.* corrupta in uxorem ducta non est unica unici. Si verò primum matrimonium, quod vidua contraxit, consummatum non fuisset, nec illa aliàs virginitatem amisisset, absque bigamiæ irregularitate posset in uxorem duci. *d. c. debitum. in fine*

Secundò *interpretativa* bigamia contrahitur, quando maritus reddit debitum conjugi adulteræ, etiamsi ignoret illam adulteram esse, aut debitum pendente lite ad præceptum Ecclesiæ reddat, *c. si cujus. & seq. dist. 34. Zoesius hoc tit. n. 6. & alij passim.* neque enim necesse est, ut quis bigamus dicatur, quòd scienter contraxerit bigamiam, quia bigamia non in pœnam contrahentis (ubi sine dubio propositum & scientia desideraretur) sed propter defectum Sacramenti, quem etiam ignorans patitur, impedimentum facit ordinando, ut bene notat Joan. Honorius *hoc tit. n. 3.* Patitur autem defectum in Sacramento is, qui conjugem suam adulteram cognoscit, quòd ipsius Matrimonium cesset significare conjunctionem Christi cum Ecclesia unica unici.

Tertiò *interpretativè* bigamus efficitur, qui in figura & specie Matrimonii viduam, vel plures

Digitized by Google

mulieres tanquam uxores ſuas cognovit, quamvis à parte rei propter impedimentum aliquod dirimens uxores legitimæ non fuerint, tales enim bigami cenſentur, non quidem propter defectum ſignificationis Sacramentalis, cùm ex ſuppoſito nullum Matrimonium, aut Sacramentum fuerit, *ſed propter affectum intentionis, cum opere ſubſecuto*, quia quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres matrimonialiter ſibi junxerunt, *c. nuper & c fin. hoc tit.* unde hæc eſt ſpecialis exceptio ab illa regula, quod *non præſtet impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum*, omnes enim regulæ generales procedunt regulariter, & cedunt Conſtitutionibus ſpecialibus. Requiritur autem in omni caſu bigamiæ perfecta copula, & non ſufficit nud⁹ contract⁹ Matrimonii.

4 De eo qui cum vidua nulliter contraxit putat Navar. *in Manual. c.27. n.195* probabiliter dici poſſe, non contraxiſſe irregularitatem, quod *cap. fin. h. t* tantùm de Clerico loquatur, de Laico autem ſic contrahente nulla juris diſpoſitio habeatur. nihilominus probabilius videtur, non eſſe hac in parte inter Clericum & Laicum differentiam faciendam, quia ratio Conſtitutionis, ſcilicet intentio ſive affectus Matrimonialis cum opere ſubſecuto in utroque locum habet, ubi autem eſt eadem ratio, eadem debet eſſe Juris Conſtitutio, *Zoeſius hoc tit. n. 12. Covar. in Relect. Clem. ſi furioſus. parte 1. §. 1 n. 2.*

5 Quid autem ſi matrimonium cum corrupta fuerit nullum non tantum ob impedimentum con-

consanguinitatis, aut aliud dirimens, sed ex defectu consensus, cùm ille, qui contraxit tantùm ad habendam mulierem simulavit Matrimonium? Etiam hoc casu contrahi irregularitatem, censet *Zoesius hoc tit. n.* 11. eò quòd Ecclesia attendat exteriorem consensum, qui ponit indecentiam, & arguitur *ex c.* 4. *hoc tit.* quod loquitur de Sacerdote contrahente, qui utique non potest habere verum consensum in Matrimonium. Libenter quidem subscribo huic opinioni eo casu, quo constat, aliquem de facto contraxisse cum corrupta, & non satis constat de defectu intentionis, quæ cùm sit de internis, facilè apparere non potest. Attamen cessante scandalo, & casu occulto posito, ubi v. g. aliquis cum corrupta contraxisset, quæ tamen publicè virgo credebatur, putarem, valde probabiliter talem ab irregularitate excusari. quia Canones non quamcunque conjunctionem, sed cum intentione maritali requirunt, & cum alias irregularitas sit strictæ interpretationis, *c. is qui de sententia excom. in 6.* non videtur ultra verborum proprietatem extendenda. neque hic in foro externo poneretur indecentia aut scandalum, cum supposita virginitatis existimatione nulla crederetur inducta irregularitas. Instantia etiam de Sacerdote allata non convincit, licet etiam Sacerdos, de quo *in c.* 4. *h. t.* non potuerit habere intentionem contrahendi Matrimonium Canonicam & Juris, potuit tamen habere intentionem naturalem & facti.

Hinc

6 Hinc etiam est, quòd ex defectu consensus Matrimonialis, & Sacramenti bigamus reputandus non sit, qui extra Matrimonium cum corrupta peccavit, vel plures concubinas habuit *c. quia circa. hoc tit.* sed cur magis sit irregularis ducens corruptam, quam corruptus ipse, rationem assignant, quòd sicut motus specificatur à terminis, ita etiam actus contrahendi matrimonium & vitium corruptionis non cadat supra se ipsum, sed supra alterum conjugem, & consequenter, si etiam mulier esset capax Ordinis ducendo corruptum efficeretur irregularis. hanc rationem à Divo Thoma assignatam communi consensu approbari testatur, Covar. *d. l. sub n.* 3. Aliæ rationes videantur apud Gloss. *in c. debitum. hoc tit.*

7 Quòd si quis à se tantùm prius corruptam in uxorem duxerit, verius est cum Gloss. fin. *in d. c. debitum.* & Covar. *cit. l.* non censendum irregularem, quia talis adhuc est *unica unici*, & Matrimonium subsequens, quod ad forum externum, tollit præcedentem maculam, ac fictione Juris habetur perinde, ac si copula in Matrimonio contigisset. *DD. in c. tanta. Qui filii sint legitimi.*

8 De infidelibus ad fidem conversis dubitatur, an si prius in infidelitate corruptam duxerint, vel plures uxores habuerint, hæc polygamia causet irregularitatem? in hac quæstione SS.PP. Hieronymus, & Augustinus olim in diversas sententias abiêrunt, ut videre est *in c. 1. & seqq. dist.* 26. magis tamen recepta est sententia affirmati-

mativa, quæ fuit S. Augustini, Ambrosii, & Inoc. eò quòd hæc irregularitas non fundetur in aliqua culpa, quæ per Baptismum tolli possit, sed in ratione de defectu significationis Sacramenti Matrimonialis sæpius insinuata. Nec etiam obest, quod Jus Pontificium non liget infideles, quia saltem ligat post conversionem, quando ratio irregularitatis ex actibus in infidelitate factis adhuc perdurat. *Covar. in d. Relect. Clem. si furiosus, parte* 1. §. 2. *n.* 5.

Similitudinariam demùm bigamiam contrahit, 9
qui prius per votum solenne Religionis, aut sacris Ordinibus annexum spiritualiter cum Deo vel Ecclesia contraxerit, & posteà Matrimoniũ carnale de facto attentare præsumpserit. Dicta est hæc *similitudinaria* bigamia à similitudine, quam inter se habet spirituale & carnale conjugium. *c. quæ Christo.* 27. *quæst.* 1, *c.* 1. *& c.* 2. *qui Clerici vel voventes. c. fin. hoc tit.*

Dubitari etiam posset, quomodo intelligen- 10
dum sit *Capit. unicum, hoc tit. in* 6. ubi declarat Pontifex, bigamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & jurisdictioni fori sæcularis esse addictos, prohibitos quoque sub anathemate deferre habitum, & tonsuram Clericalem? Ra. interpretationém esse desumendam. ex *c. unico. de Clericis conjugatis in* 6. ubi Clericus in minoribus constitutus, si cum unica & virgine contraxerit, dicitur gaudere omni privilegio Clericali. & Trid. *sess.* 23. *c.* 17. voluit, si deficiant Clerici celibes pro exercitio minorum Ordinum, Cleri-

cos

cos conjugatos saltem in Ecclesia habitum Clericalem gestantes constitui: quòd si ergò Clericus in minoribus constitutus bigamiâ contraxerit, ipso Jure perdit Clericalia privilegia. In sacris autem Ordinibus constitutus non perdit privilegium Clericale, sed si ante Ordines susceptos contraxerit bigamiam manet irregularis; & suspensus usque dum dispensationem impetrârit: si posteà de facto attentârit Matrimonium, & sic *bigamiam similuudi iariam* incurrerit, poterit ab Episcopo dimissa uxore; absolutione obtenta, & peractâ longiori arbitrio Episcopi infligendâ pœnitentiâ certâque emendatione apparente, officio suo restitui, & etiam ad ulteriores Ordinis promoveri. *c. sanè. 4. & ibi Gloss. de Clericis conjug.* dummodo non cum vidua, vel corrupta, aut pluribus uxoribus contraxerit. *c. nuper. & c. fin. h. t. Barb. in d. c. 4. n. 2.*

11 Sciendum ultimò, quòd hæc irregularitas ex communi Doctorum sententia tantùm Juris positivi sit, & consequenter in ea summus Pontifex dispensare valeat, non obstante quod *in c. 2. & seq. h. t.* dicitur, *doctrinam Apostoli esse, ne bigamus ordinetur, & ideò in bigamia dispensare non licere*, quia Doctores hæc verba de difficultate dispensationis, & præsertim non suppositâ satis justâ
12 causâ intelligunt. Cæterum autem non omnia, quæ Apostoli constituerunt, Juris divini sunt, nisi aut subjecta materia, aut verba Apostoli insinuent, quòd ex Deo acceperint, quia & ipsi Apostoli tanquam suo tempore primates & Antistites

tiſtites Eccleſiæ multa ſeparatim à præceptis divinis pro rationabili fidelium directione, ſicut hodie ſolet ſummus Pontifex, & Epiſcopi, ſtatuerunt; prout Apoſtolus in eodem contextu, 1. *ad Timoth.* 1. ubi de *bigamo* loquitur, etiam prohibuit, ne percuſſor, vel criminoſus ordinetur, & tamen *in c. at ſi Clerici. §. de adulteriis. de Judiciis* conceditur Epiſcopo, poſt peractam pœnitentiam in adulteriis, & aliis minoribus delictis diſpenſare, & optimè confirmant verba Apoſtoli, 1. *ad Corinth.* 7. *cæteris ego dico, non Dominus, &c.*

Epiſcopo autem non niſi in ſimilitudinaria bigamia diſpenſare conceditur, vel ſi caſus neceſſitatis ob penuriam Clericorum & difficilem acceſſum ad ſummum Pontificem daretur. Et ex Jure noviſſimo Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 7. ſi bigamia ſit occultè & ſimul ex delicto contracta, uti eſt illa quæ oritur ex duplici Matrimonio utroque vel ſaltem alterutro invalido. *Barb. de officio Epiſcopi parte* 2. *Alleg.* 49. *n.* 25. vide tamen quæ dicam inferius *in tit. de major. & obed. §.* 4. ubi conabor probare, idem eſſe, de qualibet bigamia occulta etiam ſine delicto contracta.

Superiores Regularium habentes jurisdictionem quaſi Epiſcopalem poſſunt in illis caſibus diſpenſare cum ſuis Regularibus, in quibus Epiſcopi, per ſolum autem ingreſſum in Religionem non tolli hanc irregularitatem, neque diſpenſari poſſe à Prælato non exempto carente

Epi-

Digitized by Google

Episcopali jurisdictione fermè communius receptum est, quod id in Jure statutum non sit: vid. *Barb. d. l.*

TITULUS IX.

Est 15. in Lib. 1. Decretal.

De Sacra Unctione.

SUMMARIA.

1. *Unctio sacra quando adhibeatur, & de antiquissima ejus traditione.*
2. *Oleum simplex & chrisma cur ab Ecclesia consecrentur.*
3. *Unctio Sacerdotum non est de substantia Ordinis.*
4. *Unctio Imperatoris & Regum hodie fit in brachio.*
5. *Imperium Romanum quomodo ad Germanos translatum.*
6. *De Electione Imperatoris.*

QUia Presbyteri in sua Ordinatione Chrysmate unguntur, propterea in tractatu de Ordinibus intromiscetur hic tit. in quo de diversis sacris unctionibus in Ecclesia Catholica fieri solitis tractatur.

2 Impenduntur hujusmodi unctiones in Baptismo, Confirmatione, Consecratione Episcopi, ordinatione Sacerdotum, in coronatione Imperatoris, & Regum, in extremâ Unctione, in consecrationibus Ecclesiarum, Altarium, & vasorum sacrorum. De singulis his unctionibus licet textus apertos sacræ Scripturæ non habeamus, antiquissima tamen, & ab Apostolis continuata ejus rei Ecclesiæ Catholicæ est traditio, ut

Digitized by Google

ut dubitare fas non ſit, quin ex inſtituto Chriſti, vel ex inſtinctu Spiritus S. per Apoſtolos in Eccleſiam introductæ ſint; non enim omnia quæ fecit Chriſtus, ſcripta ſunt in libro Evangeliorum, teſte Joan. Evang. *cap ult.* quemadmodum & plures alios fidei articulos, imò & ipſam ſacram Scriptuiam; quòd talis ſit, ex traditione & authoritate Eccleſiæ magna ex parte probare debemus, uti ſuprà *in tit. 4. de conſuetudine. in princ.* diximus. ſanè oleum ſacrum fuiſſe in Eccleſia tempore Apoſtolorum probatur luculenter ex Epiſtola S. Jacobi. *cap.* 5. ibi: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini &c.*

Conſecratur autem per Eccleſiam in primis 2
oleum Olivarum ſimplex, quod *oleum Cathecumenorum*, & *infirmorum* appellatur, quia per id baptizandi, & infirmi agonizantes unguntur. Deinde conficitur *Chryſma ex oleo*, & *balſamo*, quod etiam adhibetur in Baptiſmo, confirmatione, conſecratione Epiſcopi, Eccleſiæ, Altarium. habent iſtæ unctionum materiæ ſuas myſticas ſignificationes, nam per *oleum* nitor bonæ conſcientiæ ſignificatur, juxta illud Evangelii: *prudentes Virgines acceperunt oleum cum lampadibus.* Item & promptitudo ad pugnandum pro fide Catholica, & contra inimicos inviſibiles, prout olim ad luctam inungebantur Athletæ: per *balſamum* verò odor bonæ famæ intelligitur, ſecundum illud Apoſt. *ad Timoth.* 3. *Chriſti bonus odor ſumus.* & *Eccl.* 24. *ſicut balſamum aromatizans odorem dedi &c.*

Solennitates porrò & modos unctionum ex Pontificali & Paſtorali libro deſumere oportet: & myſticam rationem ac internam, & Spirituales unctionum operationes diſertè deſcribit Pontifex *in c. unico hoc tit.* omiſſis aliis unctionibus ad alios titulos pertinentibus, hic de unctione Sacerdotum, ac Imperatoris, & Regum breviter aliquid dicemus.

3 Ad unctionem Sacerdotum in manibus eorũ per Epiſcopum fieri ſolitam, ſciendum eſt, non eſſe de ſubſtantia Sacramenti Ordinis Sacerdotalis, ſed eſſe tantùm de neceſſitate præcepti, & Eccleſiæ Cæremoniam, poteſtatem autem Sacerdotalem, per aliam materiam & formam conferri: nimirum *poteſtatem conſecrandi* per traditionem calicis cum pane, & illa verba, *accipite poteſtatem offerendi Sacrificium Deo*, & poteſtatem *remittendi peccata*, per impoſitionem manuum cum illis verbis: *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata &c.* quare ſi contingeret, per infirmitatem ordinati, vel ordinantis impediri unctionem, non propterea tota ordinatio nulla, & reiteranda eſſet, ſed illa tantùm Cæremonia unctionis ſupplenda foret, ut in titulo ſequenti explicabimus.

4 Circa unctionem Imperatoris & Regum (propter quam Imperator *Sacratiſſimus* dicitur) notandum eſt in primis, in veteri quidem Teſtamento Reges unctos fuiſſe in capite, hodie verò poſt Adventum Chriſti, qui caput eſt Eccleſiæ, cujusque perſonam Pontifices repræſentant, tantùm

tantùm Pontifices & Episcopos ungi *in capite*, Principis autem auctionem *ad brachium* esse translatam. per *brachium* enim Principatus, & Regionem congruè denotatur, prout Samuel poni fecit armum in convivio ante Saul, quem unxit in Regem. 1. *Regum* 9. Ungitur autem Imperator à S. Pontifice, vel cui is commiserit, *c. venerabilem. de Elect.* Reges verò à suis Metropolitanis. Sicut refert Hostiensis, *in summa h. t. n.* 8. quòd olim Reges Germaniæ unxerit Archiepiscopus Colonienſis; Reges Angliæ, Cantuarienſis.

Sciendum quoque *ex d. c. venerabilem.* quòd imperium Rom. per Leonem III. summum Pontificem à Græcis ad Germanos in Persona Caroli Magni translatum fuerit: nam quia tunc temporis Græci Imperatores Ecclesiam Romanam in Occidente à Longobardis, aliisque hostibus infestatam partim non potuerunt, partim Hæretici noluerunt defendere, necesse fuit aliũ Ecclesiæ defensorem, & patronum inquirere, quàm defensionem victoriosè præstitit Carolus Magnus origine & sanguine Francus propè Moguntiam natus, ideóque Romæ à Leone III. in die Natalis Domini Anno Christi DCCC. Imperator declaratus, salutatus, & coronatus est. *Annal. Eccles. Cæs. Baron Anno Christi* 800. *Gloss. in d. c. venerabilem. Bellarm. de translat. Imperii. lib.* 1. quòd autem summus Pontifex habeat Jus in mundo supra Imperatorem, & sit *constitutus super gentes, & regna, ut evellat. & dissipet, & ædifi-* 5

ct, & plantet, quatenus agitur de ſalute animarum & recta Eccleſiæ gubernatione, inferius in tit. *de majoritate & obedientia* trademus. Hinc etiam eſt, quòd *ſacrum Imperium Romanum* dicatur, non ſolùm quòd per ſucceſſionem à Romanis Imperatoribus Julio, Auguſto, & cæteris acceptum ſit, ſed etiam quòd Imperator ſpeciali obligatione, & Juramento Eccleſiæ Romanæ Advocatus & Patronus habeatur, *Clem. Romani de jurejurando. d. c. venerabilem.* Eôque ſenſu *in c. in die 15. de Conſecratione, diſt. 5.* & in Gloſſ. *in d. c. venerabilem. in V. tranſtulit.* Teutonici, dicuntur habere *Regimen Eccleſiæ Romanæ*, ſcilicet in temporalibus.

6 Præterea ſummus Pontifex Jus eligendi Romanorum Regem & Imperatorem (qui ſit unus ex Germanorum gente, & familia, neque hæreticus aut excommunicatus vel aliàs ad regendum inhabilis, *tex. & Abb. in ſæpe d. c. venerabilem.*) Principibus Germaniæ conceſſit, fuitque hoc Jus Electionis ab initio penes omnes Principes, deinde ſucceſſu temporum ob difficultatem conventionis ex Principum conſenſu ad 7. Electores reſtrictum eſt. videatur Baronius *in Annalibus Eccleſiaſticis Anno Chriſti* 996. ſibi verò Pontifex examen, confirmationem, coronationem, & unctionem Electi Imperatoris reſervavit: item etiam, ut ſi Electio de duobus in diſcordia contigerit, & Electores admoniti præfixo termino non convenerint, litem dirimere, & alterutri Electo favere poſſit. non tamen videtur

tur ob Electionem indigni, v. g. excommunicati, aut aliàs inhabilis Jus eligendi, pro ea vice amissum, & ad Papam pertinere, sicut in Electione Prælatorum Ecclesiasticorum, nam hoc in Electione Imperatoris non reperitur statutum, nec in pœnalibus debet fieri extensio, nisi Electores moniti nollent aut diu differrent aliũ eligere. Plura in hac materia ex Jure publico, & aurea Bulla Caroli IV. desumenda sunt.

Titulus X.

De Sacramentis non iterandis.

Summaria.

1. *Quæ Sacramenta nequeant iterari.*
2. *Character quid.*
3. *Irregularitas quæ contrahitur ex rebaptizatione, an etiam ex iterata Confirmatione.*
4. *Chrisma an sit de substantia Confirmationis.*
5. *Si in Confirmatione pro Chrismate oleum fuerit adhibitum, qualiter debeat hic defectus suppleri.*
6. *Manuum impositio in ordinatione Presbyteri omissa, qualiter supplenda.*
7. *Conciliatur* c. 1. h. t. *cum c.* Subdiaconus dist. 23.

TRia sunt ex Sacramentis, quæ *Characterem* 1
invisibilem in anima suscipientis imprimunt, nimirum *Baptismus*, *Confirmatio*, & *Ordo*. ac propterea sine sacrilegio reiterari non possunt. *Trid. sess 7. Can. 9.* quòd si verò in eorum collatione aliqua ceremonia, quæ non est de substantialibus, omissa sit, illa proximo tempore supplenda erit,

2 Est autem Character, quem dicta Sacramenta imprimunt, *signum Spirituale, & indelebile animæ impressum, quo suscipiens Christo duci Principi, summoque Sacerdoti unitur & in illius servum, militem, Ministrum ad divinum cultum deputatur, & consignatur. Baptismo* namque consignatur in servum Christi, & Domesticum Dei; *Confirmatione* in militem, ad confirmandam, tuendámq; illius fidem: *Ordine* deputatur in dispensatorem mysteriorum Dei. cujus rei testimonium habemus apud Apostolum 2. *ad Corinth.* 1. ibi. *qui unxit nos Deus & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* & ad *Ephes.* 4. *nolite contristare Spiritum S. quo signati estis in diem Redemptionis,* ubi per *signationem* de qua loquitur Apostolus, SS. Patres & Ecclesiæ Doctores unanimiter *Characteris impressionem* intelligunt.

Cætera Sacramenta, nimirum *Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Matrimonii, & extremæ Unctionis* reiterabilia sunt; tum quia Characterem non imprimunt, tum quia propter fragilitatem humanam illis sæpius indigemus.

3 Dubitatur primò, utrùm sicut ex reiteratione Baptismi baptizans, & baptizatus fiunt irregulares, quo minus ad Ordines promoveri possint, *c. 2. de Apostatis. c qui in qualibet. 1. quæst. 7. c. eos, quos. de Consecr. dist. 4.* ita etiam ex reiteratione *Confirmationis* (ut sæpè apud Plebeos contingit) vel *Ordinis?* Affirmativè ex paritate rationis quidam respondent cum Navar. *in Manuali c. 27. n. 247.* Negativa tamen fermè communior est, quia

quia irregularitas non ex paritate rationis, tanquam pœnalis, sed ex textu expresso desumenda est. *c. is qui. de sententia excom. in 6. Covar. in Relect. Clem. si furiosus. in princ. primæ partis. n. 8.*

Utrum autem irregularitas ex Baptismo reiterato, etiam ab ignorantibus contrahatur? videantur pro utraque sententia Navar. & Covar. *cit. locis* & Layman in Theol. mor. *de irregularitate c. 2. n. 2.* ut propterea in casu contingente ad cautelam Episcopus tanquam in Jure dubio dispensatione, vel declaratione, uti possit, per ea, quæ tradit Garc. *de benef. parte 7. c. 2. n.* 10.

Dubitatur 2. Utrùm *Confirmatio* reiterari de- 4
beat, si Episcopus per errorem non *Chrismate*, sed *oleo benedicto* confirmandum unxerit? nihil tali casu esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuit omissum, expresse respondit Pontifex *in c. 1. hoc tit.* Unde plerique Canonistæ inferunt, non esse de essentia Sacramenti confirmationis, sed tantùm de necessitate præcepti, quòd confirmandus præcisè *Chrismate* & non *oleo* ungatur, aliàs propter omissionem *Chrismatis Confirmatio* nulla, & omninò reiteranda foret. *Navar. in Manuali cap. 22. n. 8. Covar. variar. resolut. lib. 1. c. 10. n. 4.*

Sed inquies, suppletio in hoc casu solo *balsamo* 5
fieri non potest, quia hoc esset contra morem Ecclesiæ, ut quis solo *balsamo* ungatur, & balsamum non comixtum oleo non est Chrisma, & consequenter primum *oleo*, & deinde *balsamo* separatim unctus, nec dum dicetur *Chrismate* unctus, si verò

Chrisma denuò adhibeatur, erit utique reiteratio Sacramenti? R. hanc suppletionem faciendam esse per inunctionem Chrismatis, sed verba *confirmationis* vel adhibenda non esse, sicut videtur tenere Covar. *cit. loco.* vel adhibenda esse sine intentione tamen reiterandi Sacramentum, & solummodo cum intentione *supplendi defectum*, uti docet Navar. *h. t. consilio primo. in fine.*

6 Dubitatur 3. Quomodo intelligendum sit, quod *in c. fin. hoc tit.* dicitur, si in ordinatione Presbyteri *manus impositio* omissa sit, nihil innovandum, sed illam tantùm supplendam esse, cùm tamen *manus impositio* non sit mera ceremonia, sed materia & substantiale quid illius ordinationis, qua Sacerdoti datur potestas remittendi peccata? Duæ responsiones adferuntur: primò

7 quòd non sit iterandum totum Sacramentum Ordinis, sed supplenda illa tantùm *manuum impositio* omissa, quia Sacerdotium ex duabus partialibus ordinationibus perficitur, per primam *cum traditione Calicis*, & *patenæ* datur potestas in *Corpus Christi verum* scilicet consecrandi illud: per alteram *cum impositione manuum* datur potestas in *Corpus Christi mysticum* scilicet *ligandi & solvendi &c.* hæc posterior potestas quamvis sine illa consistere nequeat, sed eam necessariò præsupponat, illa tamen potestas consecrandi potest stare sine hac posteriori, prout Christus utramque potestatem diversis temporibus contulit, illam in Cæna, istam post resurrectionem suam. *Joan.* 20.

Altera

Altera responsio est, quod *cap. fin. h. t.* loquatur de manuum impositione, quæ in prima particulari ordinatione ante traditionem Calicis & patenæ adhibetur, quæ tantùm ceremonia est, & nihil substantiale.

Dubitatur 4. quomodo *in c. Subdiaconus dist.* 21. dicatur, Subdiaconatum non accipere manus impositionem, cum tamen contrarium asseratur *in c.* 1. *h. t.* R. quod Subdiaconus non accipiat manus impositionem consecratoriam, seu per quam in se Ordo conferatur, sed benedictoriam, *Gloss. & Panor. in d. c.* 1. *hoc tit.* Alii putant errore Typographorum *in eodem c.* 1. pro Diaconatus scriptum esse Subdiaconatus, & ita ex quibusdam Exemplaribus demonstrari posse. *Barb. ibidem sub n.* 1.

Titulus XI.

Est 13. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiavit, & ab excommunicato.

Summaria.

1. *Episcopus renunciare potest vel loco, vel dignitati.*
2. *Loco tantum renuncians retinet potestatem ordinandi, si ab alio invitetur.*
3. *Qui de facto tantũ loco pulsus est nihil juris amittit.*
4. *Renuncians dignitati licitè ordinare non potest. exceptis minoribus Ordinibus si fuerit invitatus.*
5. *Ordinatus ab excommunicato recipit quidem Cha-*

racterem, sed non executionem, & quis possit absolvere.

6. C. 1. 2. & 3. caus. 9. q. 1. *explicantur.*
7. *Defenditur Gratiani interpretatio.*
8. *Episcopus in hæresin lapsus & necdum denunciatus an retineat exercitium potestatis suæ.*

Præsentem titulum & tres sequentes ideò huc transtuli, & præcedenti subjunxi, quia in casibus istorum titulorum posset fortassis dubitari, annon aliquid de sacra ordinatione *reiterandum* foret.

1 CIrca materiam igitur hujus tit. prænotandũ est, quod duobus modis Episcopus suo Episcopatui renuntiare possit, nim. *loco*, vel *dignitati*, loco, si V. g. ob hostilitatem aut aëris intemperiem Diæcesin renuntiando dimittat, retineat tamen Episcopalem titulum, & authoritatem. *Dignitati* verò, si forsan ob zelum ingrediendæ Religionis, vel ut præveniat depositionem promeritam, ipsum Episcopale officium, nomen ac dignitatem resignet.

2 Quòd si igitur Episcopus *loco* tantum cesserit ab alio Episcopo invitatus quoscunque Ordines legitimè conferet, nimirum subditis Episcopi invitantis, proprios enim quos habuerat per renunciationem à sua jurisdictione dimisit.

3 Contingit tamen aliquando, quòd Episcopus citra renuntiationem, defacto tantùm ob metum hostium, vel recuperandam sanitatem extra diæcesin moretur, quo casu nihil juris in suos subditos amittit, sed eos etiam in aliena diæcesi

Digitized by Google

diæcesi cum licentia Diæcesani Episcopi (quæ semper ad exercenda pontificialia in aliena diæcesi requiritur) rectè ordinat.

Si dignitati quoque renuntiavit Episcopus Cha- 4
racterem quidem Ordinis Episcopalis indelebilem à se abdicare non potuit, & indè de facto ordinans validè ordinat, sed quia executionem Ordinis ipse amplius non habuit, aliis dare etiam de licentia proprii Episcopi haud potuit, ideò si ab eodem sacros Ordines scienter quis receperit citra summi Pontificis dispensationem non habebit sui officii executionem; si ignoranter poterit quidem Episcopus proprius dispensare; nisi crassa & supina ignorantia fuerit, minorum tamen Ordinum collatio quæ aliquando non Episcopis, veluti Abbatibus competit, cum licentia propriorum Prælatorum tali Episcopo renuntianti non denegatur. *c. 1. h. t. & ibi Panor. aliique Doctoaes.*

Similiter etiam dicendum circa ordinatos ab 5
Episcopo *excommunicato*, qui characterem quidē, sed non executionem recipiunt, & ideò si per ignorantiam fuerint à tali Episcopo ordinati, poterit cum eis per suos Episcopos dispensari: si scienter, aut ex crassa ignorantia, dispensatio ad summum Pontificem pertinebit; nisi religionem ingrediatur ordinatus, quo casu proprius Prælatus Ordinis dispensare poterit. *c. 2. & ibi Barb. n. 2. h. t.*

Quod si Episcopus excommunicatus proprium subditum hujus excommunicationis ignarū ordi-

ordinaverit, tunc dispensatio, inquit Vallensis [illegible] ad summum Pontificem pertinebit, ne Episcopus videatur dispensare super proprio delicto; sed non est improbabile quod docet Panor. *in c. 2. h. t. n. 5.* quod vel successor Episcopus, vel etiam ipse Episcopus ordinans post absolutionem censuræ obtentam id possit, sicut Sacerdos potest absolvere peccatum suo mandato commissum. Hodiè post Conc. Constantiense observanda est Extravagans Martini V. *ad evitanda scandala, &c.* ex qua Constitutione excommunicatus *non denuntiatus*, nisi fuerit notorius percussor Clerici, etiam in divinis vitandus non est. sicut hac de re prolixius in lib. 5. in tit. *de sententia excommunicationis* dicemus.

6 Præmissis de ordinatione ab Excommunicato facta, quod imprimat Characterem, videntur obstare difficiles textus *in c. 1. 2. & 3. causa. 9. quæst. 1.* ubi talis ordinatio omninò nulla & invalida declaratur. sed dicendum est cum Gloss. & Gratiano ibidem, quòd hæc capitula non loquantur de quibuscunque excommunicatis, sed tantùm de hæreticis illis, qui nunquam Catholici fuerunt, adeoque postetatem ordinandi non acceperunt, vel certè, si de omnibus excommunicatis, aut prolapsis in hæresin loquantur, tunc hæc fuerit quorundam antiquorum Patrum, & Doctorum opinio posteriori Pontificum & Doctorum censurâ correcta. Circa hanc quidem interpretationem erroris arguit Gratianum Layman *in Theol. mor. de Sacram. Ordinis. c. 9. n. 5.*

eo quòd similia capitula possint faciliùs explicari, quod ordinatio sit invalida solùm quoad effectum executionis, non quoad impressionem Characteris : attamen non possum adstipulari viro cæteroquin doctissimo, quia in allegatis capitulis expressè dicitur, quod talis ordinatio tanquam à non habentibus potestatem *facta pro infecta habenda sit ; & per manus impositionem potiùs vulnus inflictum censeatur, undè & iterari necesse sit, quod minimè probatur esse collatum, &c.* si ordinans potestatem non habuit ; si reiterari debet talis ordinatio, & habetur tanquam non facta, & vulnus infligens, ergo non impressit Characterem : indubitatum enim est, quod actus Sacramentalis utcumque illicitè factus imprimens Characterem reiterari nullo modo possit. ut superius in tit. *de Sacramentis non iterandis.* traditum. 7

Cæterum Episcopus ritè in Ecclesia consecratus retinet Characterem Ordinis Episcopalis, licet in hæresin labatur, & ideò aliquem saltem validè ordinare potest, etsi non licitè, nec executionem dare. sed utrum ei suffragetur Extravagans, *Ad evidanda.* si denuntiatus non sit, dubitatur ? affirmat Navarrus *consilio* 10. *de hæreticis.* quod non fiat exceptio *in d. Extravagante.* In contrarium inclinat Zoësius *h. t. n.* 4. eò quod hæreticus amittat jurisdictionem ex duplici causa scilicet propter hæresin, & propter excommunicationem, undè licet retineat tantisper ob excommunicationem non denunciatam, non tamen ob hæresin. hæc posterior sententia est tu- 8

tior,

tior & ante factum tenenda, post factum tamen videtur ordinatus secundum authoritatem Navarii tolerari posse in Ordine suscepto.

TITULUS XII.

Est 43. in Lib. 3. Decretal.

De Presbytero non baptizato.

SUMMARIA.

1. *Baptismus janua ad Ecclesiastica Sacramenta.*
2. *Presbyter non baptizatus baptizandus & denuò ordinandus.*
3. *Preesbyter non baptizatus an validè conferat Sacramenta.*
4. *Exceptio circa Baptismum & Matrimonium.*
5. *Sine Confirmatione validè recipiuntur Ordines.*

1 IN hoc tit. ponitur casus, quo ordinatio repetenda est, nimirum si quis non baptizatus ordinatus fuerit, est enim Baptismus janua ad Ecclesiam & reliqua Sacramenta, atque sine eo nec licitè, nec validè suscipiuntur, aut Characterem aliquem inprimunt, ut proindè Clericus non ba-
2 ptizari & denuò ordinari debeat. *c. 1. & fin. h. t. c. si quis per ignorantiam. 1. q. 1.*

3 Porrò *dubia quæstio est*, inquit Barb. *in Collect. ad c. 2. h. t.* in præsenti textu disputari solita, utrùm ille qui non baptizatus, se tamen baptizatum credens Ordines procuravit assumere, illos receperit, Christive Corpus conficiat, &c. Cui quæstioni ita respondet Sylv. *in v. Baptismus. 6. n. 3.* (ex S. Thoma, cum quo concordant alii etiam DD. apud Barb. *d. c. 2.*) *dicit S. Thom. in 4. dist.*

dist. 24. quòd non baptizatus non potest Ordinem recipere, nec conficere, nec absolvere, pie tamen credi potest, quod summus Sacerdos suppleat, quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod indè Ecclesiæ posset imminere periculum. Alberi. tamen putat talem, si ordinetur ad Sacerdotium, conficere, non in virtute sua, sed Ecclesiæ, quod summa Angeli sequitur, & falso attribuit S. Thom. sed primum est verius. hæc Sylvester. *c. l.* & quod non valeant gesta ob communem errorem, quandò est defectus in Sacramento ex jure divino dependens, quidquid aliqui sentiant, rectè docet Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 22. n. 27. cum citatis ibidem.*

Baptismus autem à tali Sacerdote non baptizato acceptus repetendus haud foret, quia ejus 4
Minister potest esse quilibet homo viator etiam non baptizatus habens intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. *c. in necessitate. & c. Romanus. dist. 4. de Consec.*

Item nec Matrimonium cui talis Sacerdos adstitit. repetendum docet Joan. Hon. *h. t. n.* 2. ratio esse potest, quia in Matrimonio Parochus vel Sacerdos non requiritur ut Minister Sacramenti, quod contrahentes sibi ipsis ministrare intelliguntur; sed per modum excellentis testis, undè fit, ut etiam invitus vel excommunicatus validè assistat, *Barb. in Collect. DD. ad c. 1. Trid sess. 24. de ref. Matr. n. 79. & seqq.* & facit quod tradit Sanch. *de Matri n. lib. 3. disput. 22. n. 91.* valere Matrimonium, *licet is cui concedit Parochus*

licen-

licentiam assistendi Matrimonio sit merus Laicus, si communi æstimatione & errore credebatur Sacerdos.

Cæterùm quæ de Presbytero non baptizato dicuntur, non sunt extendenda ad eum, qui non præmisso Confirmationis Sacramento ordinatus est, sine hoc enim, quàmvis non licitè, validè tamen SS. Ordines recipiuntur nec reperitur aliqua Censura in pœnam statuta. *Barb. in Collect. DD. ad c. 1. h. t. n. 3.*

TITULUS XIII.

Est 29. in Libr. 5. Decretal.

De Clerico per saltum promoto.

PEr saltum promotus dicitur, qui omisso Ordine medio ad superiorem ascendit; V. g. qui omisso Diaconatu ordinatus est Presbyter.

Quamvis autem aliqui existiment, taliter promotum esse absolutè irregularem, magis tamen inter DD. convenit, esse tantùm ipso Jure suspensum, & quidem solummodo quoad illum Ordinem per saltum susceptum, & irregularem tunc primùm, si in hoc Ordine suscepto, vel in illo, quem suscipere omisit, ministraverit, sicut tradit Barb. *in Collect. DD. ad c. un. h. t.*

Prætereà hodie ex Concilio Trid. *sess. 23. de reform. c. 14. in fine.* concessum est Episcopis, ut cum promotis per saltum dispensare possint, nisi, ut præmissum ministraverint, adeoque insuper irregulares facti sint; quo casu Episcopi non aliter dispensare poterunt, quàm si delictum susce-

Digitized by Google

ſuſceptæ per ſaltum Ordinationis occultum fuerit, juxta Trid. *ſeſſ.* 24. *de ref. c.* 6.

TITULUS XIV.

Eſt 30. *in Lib.* 5. *Decretal.*

De eo qui Ordinem furtivè ſuſcepit.

ORdines *furtivè* ſuſcipere dicitur, qui abſque conſenſu Epiſcopi in numerũ ordinandorum ſe ingerit, veluti ſi ſubterfugerit examen, & nihilominus in ordinatione comparuit, vel eadem die præter minores Ordines etiam Subdiaconatum, vel duos ſacros Ordines acceperit.

Pœna hujus delicti eſt, quod taliter ordinatus non habeat executionem Ordinis *furtivè* ſuſcepti, & inſuper inhabilis reddatur ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos.

Competit tamen Epiſcopo diſpenſatio in duobus caſibus. 1. ſi furtiva Ordinum ſuſceptio non prius fuerit ab ordinante ſub excommunicatione prohibita. 2. ſi ordinatus Monaſterium ingrediatur, & ibi aliquamdiu laudabiliter vivat, quo poſteriori caſu non tantùm Epiſcopo, ſed etiam Abbati diſpenſare conceditur. *text. & DD. communiter in c.* 1. 2. *&* 3. *h. t.*

Admittitur quoque *in c.* 2. *h. t.* conſuetudo, ſi quæ ſit, ut eadem die minores Ordines cum Subdiaconatu ſuſcipiantur: idque per Concilium Trid. *ſeſſ.* 23. *de ref. c.* 11. annale interſtitium requirens non fuiſſe correctum, ſive tali conſuetu-

dini derogatum, docent multi graves DD. cum Barb. *in Collect. ad d. c 2. h. t. n. 2. cc.*

TITULUS XV.

Est 22. in Lib. 1. Decretal.

De Clericis peregrinis.

SUMMARIA.

1. *Clerici peregrini sine testimonio Episcoporum de suâ ordinatione non sunt admittendi ad sacra saltem publicè.*
2. *In defectu testimoniorũ qualiter probentur Ordines.*
3. *Cognitio de Ordinibus circà Clericum peregrinum pertinet privativè ad Episcopum.*

CONtingit non rarò, ut se divinis Ministeriis ingerant, qui aut ritè ordinati non sunt, aut certè aliquâ censurâ Ecclesiasticâ excommunicationis, suspensionis, interdicti, vel irregularitate affecti existunt, ideò hic & sequentes tituli materiæ ordinationis annectuntur.

1 In hoc itaque tit. prohibetur Episcopis, ne Clericos peregrinos, id est incognitos & alienigenas publicè in Ordinibus ministrare permittant, vel ad altiores Ordines promoveant etiamsi juramento asserent se ritè ordinatos, & ab omni censurâ liberos esse, nisi in ipsum per suorũ Episcoporũ scriptum testimonium, aut testes fide dignos ostendant, præsertim annequâ per aliquod tempus ipsorum vita & boni mores approbati fuerint *c. 1. & 2. h. t.* facilius tamen in privata Capella ex devotione Sacerdos peregrinus celebrare

celebrare permitti poteſt, ſi de illo nulla alia gravis ſuſpicio habeatur: *c.* 31 *h. t.* quod ſi de facto Clericus peregrinus ſine licentia Epiſcopi celebraverit, nullam ſuſpenſionem aut irregularitatem ex hoc incurret, cùm id Jure expreſſum non ſit. *Barb. in Collect. DD. ad d. t.* 2. *n.* 4.

Quid autem ſi Clericus per injuriam belli exul, nec inſtrumenta, nec teſtes de ſua ordinatione producere poſſit? Item quid, ſi ſuas litteras aliquo caſu perdiderit; nunquid ſufficiet, ſi Juramento ſe ordinatum probaverit? R. quàmvis in *c.* 2. *h. t* dicatur, non eſſe credendum Clerico juranti ſe ordinatum, niſi alibi probet, id tamen intelligendum de eo, qui omiſſa petitione litterarum à ſuo Epiſcopo, quas facile habere potuiſſet, diſceſſit, cujus fides plurimum ſuſpecta redditur, ſi ſe tam facile ad Juramentum offerat, adinſtar teſtis, qui non requiſitus prohiis eſt ad deponendum. *Panorm. in d. c.* 2. *n.* 2. verùm ſi Clericus peregrinus juſtas cauſas probaverit, ob quas legitimum teſtimonium de ſua ordinatione producere nequeat, tali caſu, quia de nullius gravi præjudicio agitur, etiam per famam, bonam converſationem, item quod communiter reputetur pro Clerico, & alia indicia, ac inſuper per Juramentum ab Epiſcopo delatum Clericatus aut Sacerdotium probari rectè poterit. *Panorm. d. l Gart. de benef. p.* 7. *c.* 1. *n.* 138. Quid Juris autem ſit circa fori competentiam, quando captus à Laico judice ſe Clericum eſſe prætendit, vid. tex. *in c. ſi judex* 2

6. c. 5. & c. fin. X. h. t. quando autem hodie Episcopo in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare concedatur habetur in Concilio Trid. *sess.* 24. *de ref.* c. 6. & dicemus inferius hoc eodem lib. ad tit. *de majoritate & obed.* §. 4.

Dixi, Clericum censuratum fieri irregularem si actum sui Ordinis proprium exerceat, V. g. Sacerdos Missam legat, Diaconus in solenni officio Evangelium canat, &c. secus autem est, si 2
talis actus fiat, qui possit etiam per Laicos exerceri, ut si baptizet non solenniter in casu necessitatis, (quo sensu explicandum est *c. de Cler. non Ord. Min.*) si in privata Missa ad altare deserviat, &c. Actus quoque qui non sunt tam Ordinis quam Jurisdictionis irregularitatem haud inducunt. veluti si Episcopus censuratus judicium aut censuras ferat, diœcesin visitet, beneficia conferat; si Parochus Matrimonio assistat (absque tamen solenni benedictione) vel alteri licentiam ad assistendum concedat.

Præterea etiam celebrationem ob gravem me- 3
tum infamiæ vel scandali, alteriusve mali (dummodo metus in contemptum Censurarum & Ecclesiæ non fuerit incussus) ab irregularitate excusant DD. Item si in casu necessitatis deficiente alio Sacerdote moribundis Sacramenta ministrentur. non enim videtur prohibitio & pœna Ecclesiastica ad hos casus extraordinarios extendenda. Demum etiam irregularitatem evitat? qui bona fide ex ignorantia Censuræ mini-

Digitized by Google

ſtrârit: vel qui ex conſcientiâ erroneâ credidit ſe cenſuratum, cum reverâ non fuerit. Dubitans verò debet laborare de inquirendâ veritate, & ſi poſt diligentiam adhibitam adhuc incertus remanſerit, poteſt depoſito dubio practico miniſtrare. Pluribus de hac Materia agemus in Lib. V. in tit. *de ſentent. excom.* interim vid. Zoëſius, *h. t.* Suarez. *tom.* 5. *de Cenſuris. diſp.* 40. & alii paſſim de Cenſuris ſcribentes.

TITULUS XVII.

Eſt 7. in Lib. 5. Decretal.

De Clerico non ordinato miniſtrante.

SUMMARIA.

1. *Non ordinatus miniſtrans quando fiat irregularis.*
2. *Hodie traditur Curiæ ſæculari puniendus.* (rorē.
3. *Poteſtas Ordinis an ſuppleatur* ob communem er-

1 SI quis Clericus officium ſuperioris Ordinis, quem nondum accepit, exercuerit, V. g. Subdiaconus uti Diaconus vel uti Presbyter divina Miniſteria & Sacrificia peregerit, efficitur irregularis, quoad *ſuſceptos* autem arbitrio Epiſcopi ſuſpenditur & punitur. *c.* 1. & 2. *h. t.* Quod ſi Laicus ſe fingens Clericum id fecerit, non tantùm quoad illum Ordinem in quo miniſtraverit, ſed probabilius quoad omnes omnino irregularis cenſeri debet, per textū generalem *in d. c.* 1. ibi *ab Eccleſia abijciatur, & nunquam ordinetur*, ſicut ex Suarez. docet Zoëſ. *h. t. n.* 4. & 5.

Hodie

Hodie ex Constitutione Clem. VIII. quæ in- 2
cipit: *Etsi alias.* & refertur à Quar. *in Sum. Bull. V Ordo. in fine.* & à Barb. *in c. 1. h. t. n. 7. & cap. 2. num.* 2 qui missam celebrare, aut Confessiones audire nondū ordinatus Presbyter ausus fuerit, jubetur per Inquisitores, vel locorum Ordinarios tanquàm Ecclesiæ misericordiæ indignus è foro Ecclesiastico abiici, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habet, ritè degradari, ac à Judicibus sæcularibus pro merito puniri. est enim hoc peccatum & sacrilegium gravissimum, dum divinis Sacramentis illuditur, & fidelibus per falsitatem purus panis cum vino (qui per non Sacerdotem consecrari haud potuit) pro Corpore & Sanguine Christi adorandus proponitur: item dum fideles tali homini peccata sua periculosè aperiunt, nec ab ipso ob defectum claviū & Jurisdictionis valent absolutionem obtinere.

Quid autem circa defectum potestatis in ad- 3
ministratione Sacramentorum *communis error.* supplere possit, videatur latè disputans Sanch. *de Matrim lib. 3. disp* 22 ubi *n.* 37. docet, si conditio, potestas vel Jurisdictio ex Jure divino aut Naturali requiratur, non suppleri ob *communem errorem*; quia authoritas Ecclesiastica & generaliter humana tantùm supplet defectus requisitorum ex Jure humano dependentium, qualia requisita statuere aut tollere in ipsius est potestate. arg. tex. *in L Barbarius. ff. ad officio prat.* ibi: *verum puto nihil eorum reprobari, cum populus Romanus etiam servo potuisset decernere hanc potestatem*

tem, ſecùs ergo, ubi *non potuiſſet decernere*, ut circa defectum Juris naturalis aut divini. vid. etiam dicta ſuperius ad tit. XII. *de Presbyt. non baptiz. n.* 3. & 4.

TITULUS XVIII.

Eſt 1. *in Lib.* 3. *Decretal.*

De Vita & Honeſtate Clericorum.

Sub quo continentur

n. 13.

Tit. De Clerico venatore.

Eſt 24. *in Lib.* 5. *Decretal.*

n. 15.

Tit. De Clerico Percuſſore.

Eſt 25. *in Lib.* 5.

n. 19.

Tit. Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus ſe negotiis immiſceant.

Eſt 50. *in Lib.* 3. *Decretal.*

n. 25.

Tit. De cohabitatione Clericorum & mulierum.

Eſt 2. *in Lib.* 3. *Decretal.*

SUMMARIA.

1. *Clerici unde dicti.*
2. *Clericorum appellatione an veniant omnes Eccleſiaſtici.*
3. *Clericatus qualiter probetur.*
4. *Differentia inter Clericatum primitivæ Eccleſiæ & hodiernum.*
5. *Moni-*

(*hodierum*

5. *Monitum Concilii Trid. circa vitam & honestatem Clericorum.*
6. *De Tonsura & Corona Clericali.*
7. *De Habitu & vestimentis Clericorum.*
8. *Clerici in minoribus an & quando teneantur habitum & tonsuram deferre, si beneficium aut pensionem habeant.*
9. *Et quid, si non habeant beneficium.*
10. *Clerici debent abstinere à crapula & tabernis publicis.*
11. *Non debent intereße obscœnis Comœdiis, Saltatores, Histriones, aut personati esse.*
12. *Non debent esse Aleatores.*
13. *Venatio prohibita Clericis, non verò piscatio.*
14. *Arma quæ prohibeantur Clericis.*
15. *Clericus non debet esse percußor.*
16. *Neque Avarus.*
17. *Pauperes ex divitijs Ecclesiæ alendi.*
18. *Alchimicum aurum fieri & expendi prohibetur.*
19. *Negotia sæcularia generaliter vitare debent Ecclesiastici.*
20. *Sanguinis effusio sive per judicium sive per chyrurgiam prohibetur Clericis.*
21. *Clerici posßunt esse tutores & procuratores personarum miserabilium.*
22. *Officia sæcularia non videntur prohibita Clericis, qui propter territoria & bona quæ sub Principibus sæcularibus possident jure sæculari aliquo respectu censentur.*
23. *Tabellionis seu Notarii officium qualiter prohibitum Clericis.*
24. *Ad studia sæcularia scil. Legum & Medicinæ an & quando Clerici possint admitti.*

25. *Clerici debent continenter & castè vivere.*

Postquàm in præcedentibus titulis latius tractavimus, qualiter per Sacram ordinationem ex Laicis Clerici efficiantur, nunc in præsenti disquiremus, quid nomen Clericale importet, & quam vivendi rationem exigat.

1 BEatus Isidorus relatus *in c.* 1. *dist.* 21. *Clericos*, inquit, *hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem etiam per Apostolos intelligimus ordinatum, Cleros enim Græcè Sors Latinè, vel hereditas dicitur, propterea ergò dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent, generaliter autem Clerici nuncupantur, qui in Ecclesia Dei deserviunt.* hæc Isidorus.

Porrò ex his ultimis Isidori verbis quærit Panormitanus in *Præfat. ad Rubr. hujus tit.* Sylvest. V. *Clericus n.* 2. utrùm in quavis materia vel con-
2 stitutione *Clericorum* appellatione omnes omninò *Ecclesiastici* comprehendantur, adeóque etiam Prælati, Canonici & Regulares? Respondet, si ex subjecta materia, aliisve circumstantiis de mente Legislatoris constare non possit, tunc in dubio esse distinguendum inter materias favorabiles & odiosas: in materia *favorabili* v. g. si Princeps exemptionem à vectigalibus, aut aliis tributis & oneribus Clericis concedat) censent, *Clericorum* appellatione omnes *Ecclesiasticos* comprehendi, in materia verò *odiosa* tantùm inferiores Clericos sæculares, *juxta vulg. c. odia de R. l. in* 6. ita *in c. quia periculosum, de sent. excomm. in* 6. declaratur, quòd nulla censura etiam contra

Eccle-

Ecclesiasticos lata liget Episcopos, nisi specialis eorum mentio fiat. Et interdicto in Clerum lato non censeri eomprehensos Religiosos, nisi aut verba, aut causa interdicta aliud innuerent, rectè docet Sylvest. *V. interdictum. 2. n. 17.* & Armilla *eodem verbo. n. 10.*

Interim tamen ea, quæ in hoc & similibus titulis *de vita & honestate Clericorum* dicuntur, ex naturali ratione non tantùm de inferioribus Clericis, sed etiam quibuslibet aliis, maximè in dignitate constitutis, servatâ proportione intelligenda sunt, utpote qui monente Apostolo *ad Tim. 1. & ad Titum 2.* debent esse *irreprehensibiles, & in omnibus se ipsos præbere exemplum bonorum operum*, ne, ut loquitur Concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 1. totius familiæ Domini status & Ordo nutare incipiat, si quòd requiritur in corpore, non inveniatur in capite.*

Cæterùm de diversis gradibus, dignitatibus, officiis, & prærogativis Clericorum in tit. *de majoritate & obed. & sequentibus.* inferius hoc eodem lib. prolixius tractabimus.

Item qualiter probetur Clericatus, si quis ignotus se Clericum, aut Sacerdotem asserat: tra- 3
didimus superius *tit. de Clericis peregrinis.* & videri etiam poterit Joan. Honorius *h. tit. n. 2.* si captus à Judice Laico se Clericum esse prætendat, que semper anteà Clericaliter incedere solitus fuerit, incunctanter judici Ecclesiastico restituendus erit, si verò mox ante capturam induerit vestes Clericales, vel ne tunc quidem, manebit

in

in captura judicis laici, sed cognitio super statu Clericali ad Ecclesiasticum judicem pertinebit. *c. si judex Laicus. 12. de sent. excomm. in 6.* plura de privilegio *Canonis*, & *fori* Clericis competente explicantur *in lib. 2. Decretal. tit. de foro competent. in lib. 3. tit. de immunitate Ecclesiastica, & lib. 5. tit. de sent. excom.* In hoc igitur titulo solùm regulæ ad vitam Clericalem rectè instituendam præscribuntur.

Advertere autem oportet rationem vivendi, & institutum Clericorum non idem esse nostris temporibus, quod fuit in primitiva Ecclesia; etenim tunc, juxta sacræ Scripturæ & SS. Patrum testimonium omnes Apostoli eorúmque discipuli vivebant in comuni unanimes in oratione, & nullus eorum proprium possidebat, sicut *in Actibus Apostolorum 4. cap.* legitur. Hinc S. Hieron. *in c. duo sunt. 12. q. 1.* de Clericis sui temporis dicit, *quod victu & vestitu contenti nullam inter se proprietatem tenentes habuerint omnia communia.* Et confirmatur *in c. quia tua. c. scimus. causa 12. q. 1.* eadem habet divus Augustin. *in sermone de communi vita Cleric*, cujus fragmenta referuntur *in c nolo & c. non dicatis. d. causa. 12. q. 1.* & Sanctus Chrysost. *in lib. 3. contra Monast. vitæ vituper.* dicit: Ecclesiam Dei fuisse in initio velut *Monachalem Religionem*. Imò non pauci docent apud Tambur. *de Jure Abbatum tomo 1. dis. 2. q. 3. & 4.* Apostolos, si non omnia, saltem aliqua religionis, Consiliorúmve Evangelicorum vota emisisse.

Verùm

Digitized by Google

Verùm dilatatâ Ecclesiâ alius succeſſit ſtatus Clericorum, quibus conceſſum eſt, & ſeparatim viverè, & proprium poſſidere, dummodo ea obſerve-
5 t, quæ ad Clericalis vitæ honeſtatem à ſacris Canonibus præſcripta, & per Concilium Trid. *ſeſſ.* 22. *de reform. c.* 1. innovata ſunt.

Inprimis ergò & generaliter hortatur Concil. Trid. *d. l.* nihil eſſe, *quòd alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe divinò miniſterio dedicârunt, cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque ſumunt, quòd imitentur. quapropter,* pergit Concilium, *ſic decet omninò Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam morrésque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſtu, ſermone, aliísque omnibus rebus nihil niſi grave moderatum ac religione plenum præſeferant, ut eorum actiones cunctis adferant venerationem,* ſed ut ea, quæ in ſpecie Clericis vitanda ſint, meliùs cognoſcantur.

Not. 1. eſt. Clericos debere tonſuram Clericalem in capillis deferre, & quidem hæc tonſura olim erat per totum caput ſolâ coronâ in medio relictâ ut ex *c. duo ſunt. & c. prohibete. diſt.* 23. colligit Barb. *Juris Eccleſ. univ. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 7. de qua corona S. Hieron. *in ſæpe dic. c. duo ſunt. hanc coronam,* ait, *habent Clerici ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur, raſio verò capitis eſt temporalium depoſitio.* Hodie autem uſu paſſim introductum eſt, ut Clerici ſæculares modicum tantùm circulum abraſum

in-

deferre? R. distinguendum esse, an tales Clerici beneficium Ecclesiasticum habeant, vel non? de iis, qui beneficium habent, statuit Concilium Trid. *sess. 14. de reform. cap. 6.* quòd si, postquam ab Episcopo suo moniti fuerint, honestum habitum Clericalem non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, nec non si semel correcti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum possint coërceri.

Imò Sixtus V. in Bulla. *cum Sacrosancta.* voluit, 9
omnes Clericos beneficiatos & pensionarios, etiamsi necdum Jus *in beneficio*, sed tantùm *ad beneficium* haberent, non deferentes habitum Clericalem esse ipso Jure suis beneficiis privatos; sicut refert Quar. *in sum. Bull. V. habitus Clericalis.* Verùm hanc bullam non esse usu receptam, saltem quoad hoc, ut non deferens habitum sine ulteriore monitione Episcopi mox sit ipso Jure beneficio privatus, credit Garc. *de benef. p. 7. c. 1. n. 23.* & ipse Sixtus V. paulò post aliam Bullam edidit, quæ incipit: *pastoralis &c.* in qua obligationem deferendi habitum remisit *pensionariis*, quorum pensiones non excedunt annuatim summam 60. ducatorum auri de Camera, vel si excedant, necdum cum effectu exigi potuerint, ubi adverter dum, quòd Pontifex in hac posteriori Bulla loquatur solùm de illis, quibus pensiones vel fructus, aut prædia Ecclesiastica in usum reservata sunt, qui non sunt propriè beneficiati, neque enim pensio, aut temporalis fructuum

ctuum reservatio propriè beneficium vocari potest, ut in lib. 3. tit. *de præbendis* dicemus, ideòque non videtur omninò sustuliſſe vigorem prioris Bullæ, ex qua etiam tantùm Jus *ad beneficium* habens (qui utique nullos adhuc fructus percipit, ut etiam notavit Brandenus *in quæstion. super Concordatis Germaniæ. q. 5. n. 32.*) tenetur ad habitum deferendum. Interim si ita alicubi constans & multi temporis usus sit ut in minoribus constituti si Canonicatus v. g. obtinuerint, in quibus vel investiti adhuc non sunt, vel residentiam non fecerunt, nec fructus percipiunt, habitum Clericalem non gestent, poterunt excusari ob non receptam Bullam: honestiùs tamen procul dubio facerent, clericaliter incedendo.

Porrò Clerici in minoribus constituti, beneficium Ecclesiasticum non habeant, ad deferendum habitum & tonsuram quidem non tenentur, sed privilegio fori, quòd scilicet coram judice sæculari conveniri nequeant, non gaudebunt. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 6.* & licet Concilium tantum de privilegio *fori* loquatur, idem tamen de privilegio *Canonis* sensisse multi DD. affirmant apud Paul. Laym. *in Theol. mor. de excom. cap. 5. sub n. 7.* ut percutiens talem Clericum in excommunicationem non incidat, nisi Clericus habeat conditiones, quæ in Concilio ad privilegium fori requiruntur, eò quòd faciliùs amittatur privilegium *Canonis*, quàm *fori*, cùm hoc Juris divini sit, illud tantùm positivi. Præterea à delatione habitus & tonsuræ excusa-

re

Digitized by Google

re posset imminens grave periculum, ob quod necesse foret habitum transformari, vel nimia paupertas, aut adversa valetudo, quæ capitis rasuram non toleraret. *Quar. d. l. in additione. Zypæus in Analysi juris Pontificij. h. t. n. 7.*

Not. 3. Quòd *cùm habitus & tonsura non faciant Monachum, aut Clericum, sed bona & religiosa conversatio*, ideóque ad honestatem vitæ Clericalis plurimùm spectet, ut omnes Clerici & Ecclesiastici *à crapula & ebrietate* abstineant. nam *ebrietas mentis inducit exilium, & libidinis provocat incentivum.* uti dicitur in *c. â crapula. 14. h. t.* unde non debent tabernas publicas nisi ex causa itineris frequentare. *c. non oportet, c. Clerici. dist. 44.* convivia quoque ea tantùm Clericis sacri Canones permittunt, quæ magis charitatis & amicitiæ honestæ, quàm commessationis & ingurgitationis gratiâ fiunt. *c. convivia. d. dist. 44.* & S. Hieron. *in Epist. ad Nepotianum de vita Clericorum c. 12.* hortatur Clericos, ut, ni velint contemni, potiùs sint consolatores Christianorum in mœroribus, quàm convivæ in prosperis. 10

Not. 4. Quòd Clerici non debeant intendere mimis, histrionibus, choræis, comediis obscœnis, & similibus. *c. penult. h. tit. c. Presbyteri. dist. 19. & c. 2. dist. 37.* multò minùs debent ipsi Clerici histriones agere, larvati incedere, aut personatum habitum induere. *c. cùm decorem. h. t.* hinc in *c. 1. eodem tit. in 6.* Clerici per annum artem histrionicam exercentes, ipso Jure privantur omni privilegio Clericali. 11

12 Not. 5. Quòd Clericis inhibeatur, ne ad aleas & taxillos ludant, *c. inter dilectos. 11. de excessibus Prælator. c. 1. dist 35.* alearum autem nomine omnis lusus prohibetur, qui fortunâ potiùs quàm arte regitur, unde secundùm Panorm. *in c. Clerici. 15. h tit. n. 11.* non censetur prohibitus lusus conorum, schachorum, & similium, & generaliter etiam ludum alearum & chartarum tunc esse graviter prohibitum, si non tam causa recreationis, quàm lucri, & frequenter ac immodicè cum periculo scandali, vel amissione temporis utiliùs in studia, vel pietatem, vel divinum officium impendendi, aut pro pecunia prospectu Ecclesiæ acquisita, & in pauperes distribuenda ludatur, censet Sylvester. *V. ludus. n. 11.* Less. *de Just & jure. lib. 2. cap. 29. n. 5.*

13 Not. 6. Quòd Clericis interdicta sit venatio clamorosa cum canibus & saltibus, qua de re est tit. in lib. 5. Decretal. *de Clerico venatore.* piscari verò Clericis prohibitum non est exemplo Apostolorum, quos piscatores ad se Christus vocavit, quique eandem artem etiam post conversionem exercuerunt, ut passim in Evangelio legitur. rationem differentiæ inter venationem & piscationem assignant, quòd venatio propter saltus & clamores magis dissolvat, & dehonestet Clericalem modestiam, nutriat otium, & vitia, ac per crebram, & immitem calidi sanguinis animalium effusionem excitetur in homine asperitas, & truculentia contra Clericalem mansuetudinem.

Not.

Not. 7. Quòd Clerici non debeant arma ge- 14
ſtare. *c.* 2, *h. t.* ſed hoc de armis proditoriis & offenſivis, atque ſi Clerici vellent paſſim ſicut Laici & milites armati incedere, ſentiunt Interpretes cum Gloſſa *in d. c.* 2. indeque concedunt Clericis itinerantibus per loca periculoſa, ad terrorem hoſtium, vel latronum, & defenſionem proprii corporis arma portare, quamvis interim haud dubiè ſanctius & laudabilius ſit, in Deo confidere & obſervare dictum S. Ambr. *in c.* 3. 23. *q.* 8. *dolor*, inquit, *fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma adverſus milites talia enim munimenta ſunt Sacerdotis, ſervum Chriſti non cuſtodiæ corporalis, ſed Domini providentiæ ſepire conſuevit.*

Item qualiter exemplo Chriſti manſuetiſſi- 15
mi deceat Clericos manſuetudo, & dedeceat percuſſio ac rixatio, traditur etiam in lib. 5. decretal. *de Clerico percuſſore*, & textus ſunt *per totam diſt.* 45. *& ſeq.* Ideóque pro exceſſu percuſſionis & qualitatem delicti & delinquentis à ſuo ſuperiore arbitrariè puniri, & datâ incorrigibilitate etiam deponi debent. *c.* 1. *de Cleric. percuſſ.*

Quòd ſi aliquando à Prælatis vel Judicibus & ſuperioribus Eccleſiaſticis causâ diſciplinæ contra delinquentes corporalis caſtigatio adhibenda ſit, ut in *c.* 2. *de adult. in c.* 4. *de raptor.* cum manſuetudine rigor eſt temperandus. *c. diſcipl. & ſeqq. cum præf. Grat. quæ incipit. Salomon. diſt.* 45.

Quomodo autem ex percuſſione, vel conflictu incurratur irregularitas, traditur in lib. 5. Decretal. in *tit. de homicidio. & de Clericis pugn.*

Item quòd Eccleſiaſticus Judex non inferat pœnam ſanguinis, in eod. lib. 5. *in tit. de pœnis.* tractatur. Et quòd Epiſcopus non debeat aliquem propriis manibus cædere, & contra doctrinam Apoſtoli. 1. *ad Timoth.* 3. *percuſſorem agere*, habetur *in c. non licet. diſtinct.* 89.

16 Notand. 8. Quod monet Henr. Zoëſ. *h. t. n.* 7. ſtatum Clericalem plurimùm infamari ab *avaratia*, dum vel ſibi aut ſuis heredibus (plerumque ingratis & prodigis, apud quos bona Clericorum parùm fructificant) vel etiam Eccleſiæ cum nimia ſolicitudine, exiguâ verò in Deum confidentiâ & largitate in egenos omnia conquirunt, neque enim probandi ſunt miniſtri, ait Zoëſ. *d. l.* qui ut magis fideles videantur, & in aram Eccleſiæ quid inferant, cuncta extorquent, & corradunt, ſacrificium per hoc ſe Deo facere putantes minùs ei gratum, qui *odio habet rapinam*
17 *in holocauſto.* Videantur etiam textus *in Can. quod autem. 23. quæſt. 7. Can. res Eccleſiæ. cum duobus ſeqq. cauſa. 12. q. 1.* & præcæteris inſignia monita D. Ambr. & Hieron. *in c. aurum 70. & c. gloria. 71. cauſa. 12. quæſt. 2.* ubi per plura elegantia verba concludunt, minimè Deo acceptum eſſe, vel ipſas etiam Eccleſias ſplendidiùs ornare (quæ ornamenta multoties ſacrilega hoſtium manus invadit) ſi interim pauperes, egentes, & captivi apud hoſtes in duriſſima ſervitute conſtituti negligantur, qui pecuniâ Eccleſiæ juvari potuiſſent: tantùm abeſt, ut privatis & proprijs divitiis ſtudere conceſſerint, quod

Sa-

Digitized by Google

Sacerdoti ignominioſum D. Hier. *in d. c. gloria* pronuntiat. Et qualiter Clerici teneantur ſuperfluos redit⁹ proſpectu Eccleſiæ acquiſitos in pios uſus convertere, & univerſim de poteſtate diſponendi circa Clericorum bona & reditus, traditur in l. 3. *in tit.* de peculio Clericorum & ſeqq. & explicavi in Man. Paroch. *parte* 4. *c.* 4.

Prætereà ad avaritiæ prohibitionem etiam 18
referri poteſt, quòd Joan. XXII. *in extravag. ſpondent. de crimine falſi. inter com.* generaliter quidem omnibus, in ſpecie verò Clericis ſub pœna privationis beneficiorum, & inhabilitationis ad ea impoſterùm obtinenda interdixerit, ne aurum vel argentum alchymicum, quod plerumque falſum eſt, & veri auri vel argenti in igne ſubſtantiam non habet, faciant, aut fieri procurent, vel facto in exſolutione debitorum utantur. Nam præter fraudem in damnum proximi cedentem per talem Chymicorum laborem fit jactura temporis & pecuniarum, nec prodiguntur tantùm opes, ſed & exinaniuntur, & in fumũ abeunt cum gravi reipublicæ, & piarum cauſarum, ac pauperum præjudicio. Quamvis de cætero ars Chymica, quæ naturæ principia & qualitates pulchrè demonſtrat, & plurima ſalubria medicamenta parat, merritò commendanda ſit.

Not. 9. Quòd Clerici univerſim vitare de- 19
beant, negotia ſæcularia, quia, ut inquit Apoſtolus, 2 *ad Corinth.* 7. *nemo militans Deo implicat, ſe negotijs ſæcularibus.* & ideò in lib. 3. Decretal. ponitur totus titulus; *ne Clerici vel Monachi ſæcula-*

cularibus se negotijs immiſceant, atque *in c. 1. eod. tit.* inter negotia ſæcularia numerantur pleraque, quæ hactenus Clericis evitanda diximus. Et præterea *in c. 6.* prohibetur, ne causâ lucri negotientur, quod DD. intelligunt de negotiatione continua adinſtar Mercatorum. *Barb. in Collect.* 20 *add c. 9* Item in *c. pen. eod. tit.* vetatur, ne Clerici dictent, aut proferant ſententiam ſanguinis, nec vindictam ſanguinis exerceant, nec ubi exercetur interſint, nec litteras dictent, vel ulli ſcribant pro vindicta ſanguinis, aut viris ſeu Executoribus ſanguinis præponantur. Neque etiam artem chyrurgiæ, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit exerceant. Quando verò ex ſimilibus contrahatur irregularitas *in l 5. tit. de homicidio.* commodius tractabitur. Et an Clericis interdicta ſit chyrurgia vel medicina abſque aduſtione vel inciſione, vid. Sanch. *in præcept. Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 14. n. 17.*

Quod autem in *c. 2. & 5. d. t.* prohibetur, ne Clerici ſint Miniſtri, Procuratores, Vice-Co-
21 mites, Præpoſiti aut locum tenentes Sæcularium, patitur limitationem circa perſonas ſæculares miſerabiles, ut pauperes, pupillos, viduas & ſimiles, qualium perſonarum tutelam & defenſionem Clerici non tantùm licitè, ſed & laudabili-
22 ter ſuſcipiunt. *d. c. 1. c. fin. diſt.* 86. Deinde hæc prohibitio ſuo modo limitanda eſt circa Prælatos Eccleſiaſticos, qui ſub Imperatore, vel alio Principe terras & bona temporalia poſſident, ratione quorum non ſecùs ac alii Domini ſæcu-

lares

lares ad Comitia & consilia vocantur, & ibidem diversa officia susciplunt. cùm enim talia officia maximè cedant in utilitatem Ecclesiarum, in quarum præjudicium aliàs per Dominos sæculares nonnunquam multa inducerentur, ideò non est verisimile, quòd SS. Canones prohibere voluerint, sed potissimum illa, quæ causâ privatæ avaritiæ cum neglectu divini servitii ab Ecclesiasticis suscipluntur, ut ex *d. c. fin. dist.* 86. colligitur.

Præterea quòd in *c. sicut.* 8. *d. t.* statuitur, Clericum officio tabellionis seu Notarii fungi non posse, intelligendum est circa forum sæculare, & actus merè sæculares. in foro autem Ecclesiastico, & circa causas ac negotia spiritualia etiam Clericos hoc officiũ exercere posse magis receptum est. Porrò si Clericus aut Religiosus ante Religionis ingressum legitimè Notarius creatus contra prohibitionem Juris instrumentum fecerit, antequam sibi exercitium hujus officii à suo superiore interdictum fuerit, valere tale instrumentum, eo quòd irritatio ejus in Jure non reperiatur, communior est sententia cum Panor. & Barb. *in eod c.* 8. *ne Clerici vel Mon.* 23

Demùm quòd *in d. t. c.* 3. *& fin. X. & in c.* 1. *eod. in* 6. non tantùm negotia, sed etiam studia sæcularia interdicantur, ne scil. Clerici & Religiosi in publicis Universitatibus *Leges Civiles*, aut *Physicam*, id est, *Medicinam* audiant, volunt DD. hâc constitutione pœnali & strictæ interpretationis non comprehendi illos, qui privatim ad majorẽ 24

intelligentiam Juris Canonici (quod in plurimis ſcientiam Juris civilis ſupponit præcipuè circa contractus, hereditates &c.) legibus ſtudent: Item nec eos, qui ut ſæculares dicta ſtudia abſolverunt, & deinde ut Clerici gradum accipere volunt. *Barb. in d. c. 3. & fin.* Denique in multis Univerſitatibus. ſicut & in hac noſtra Salisburgenſi per privilegia Papalia iſta prohibitio relaxata eſt, ut Clerici & Religioſi ad lectiones Juris civilis admitti poſſint.

25 Not. 10. & ultimò, quòd Clerici debeant continenter & caſtè vivere, circa quam regulam eſt tit. in Decretal. 2. *lib. 3. de Cohabitatione Clericorum & Mulierum.* Nimis longum eſſet referre omnes ſacros Canones, qui incontinentiam Clericorũ deteſtati ſunt, videri poterunt *in diſt.* 81. & *in Decretalibus h. t.* præcæteris verò notanda ſunt verba, & obſervanda Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de reform. cap. 14. quàm turpe*, inquit Concilium, *ac Clericorum nomine, qui ſe divino cultui addixerunt, ſit indignum in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi omnium fidelium offenſione, ſummóque Clericalis militiæ dedecore teſtatur, ut igitur adeam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ revocentur, populúsque hinc eos magis diſcat revereri; quo vitâ honeſtiores cognoverit, prohibet S. Synodus quibuscunque Clericis, ne Concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à Sacris Canonibus, vel ſtatutis*

Eccle-

Ecclesiarum impositis puniantur, &c. Istæ porrò pœnæ & qualiter, eæ sine strepitu judicii sola facti veritate inspecta per ipsos Episcopos (non inferiores Judices, Archidiaconos scilicet, vel Diaconos) infligendæ sint, nec earum executionem appellatio suspendere possit: item qualiter ipsi, quod absit, Episcopi in hoc delinquentes à Concilio Provinciali admonendi, & non secuta emendatione ad summum Pontificem deferendi sint, ex ipso Concilii textu legi poterit, & pluribus tradidi in Manuali Paroch. *p. 2. cap. 2. n. 6. & seqq.*

Titulus XIX.

Est 3. in Lib. 3. Decretal.

De Clericis Conjugatis.

Summaria.

1. *Clerici in minoribus possunt Matrimonium contrahere.*
2. *Clerici contrahentis Matrimonium beneficia an vacent ipso jure.*
3. *Quid juris, si uxor ante Consummationem Matrimonii fuerit mortua, vel Religionem ingressa, aut Matrimonium nullum.*
4. *Sponsalia de futuro non inducunt amissionem beneficii.*
5. *Clerici conjugati quando admittendi ad divinum Ministerium.*
6. *Quando gaudeant Canonis & fori privilegio.*
7. *Et an æquè in Civilibus, quàm Criminalibus.*
8. *Uxor sequitur forum Mariti.*
9. *Clericis in Majoribus sub gravibus pœnis interdicitur Matrimonium.*
10. *Ra-*

10. *Rationes, cur Clericis prohibeantur Matrimonia.*
11. *Continentia Clericorum an ſit ex jure divino.*
12. *Quid, ſi ordinatus ignoravit hanc obligationem, vel habuit intentionem contrariam, aut fuit invalidè ordinatus*

NOn tantùm inhoneſta cum fœminis cohabitatio Clericis interdicta eſt, ſed etiam Matrimonialis, quia *ſimul voluptatibus, & carnalibus deſiderijs, at divinis Eccleſiaſticis obſequijs vacare non valent*, ait Pontifex *in c. 3 h. t.* & ſi Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap.* 7. voluit Laicos conjugatos *abſtinere ad tempus, ut vacent orationi:* ergo Sacerdotes, quib⁹ orandi & ſacrificandi juge officiũ eſt, ſemper debebunt à Conjugali conſortio abſtinere.

Verùm differentia notanda eſt inter Clericos in minoribus & majoribus Ordinibus conſtitutos. Clerici in minoribus Ordinibus matrimonium quidem contrahere poſſunt, ſed ſi contrahant, hoc ipſo ſtatui Clericali renuntiâſſe cenſentur, & omnibus beneficiis Eccleſiaſticis privantur. *c. 1. h. t. Sanch. de Matrim. lib. 7. diſp.* 42. Diſputant autem Interpretes, an beneficia talis Clerici contrahentis Matrimonium *ipſo jure* vacent, vel per ſententiam judicis? Plurimùm enim in effectu intereſt, nam ſi beneficia vacent, ipſo Jure, Clericus ab illo tempore, quo Matrimonium contraxit, fructus beneficiales ampliùs nõ lucratur, & tale beneficium tanquam vacans poteſt ab alio impetrari: ſi verò beneficia vacent per ſententiam judicis, Clericus lucrabitur fructus uſque dum judex ſententiã privationis pro-,

tulerit

tulerit, neque prius cenſebitur beneficium vacans, aut impetrabile. R. Communiùs receptum eſſe, quòd beneficia per Matrimonium vacent *ipſo jure*, ſicut colligitur *exc.* 1. *h. t.* ubi mandat ſummus Pontifex, ubi Epiſcopus Clericos conjugatos ad relinquenda beneficia compellat, conſequenter dum dicit *relinquenda eſſe beneficia*, ſupponit, quòd non ſit opus novâ ſententiâ privatoriâ. *Gloſſ. in eodem c.* 1. *in V. relinquenda.* Ratio autem fundamentalis eſt, quòd Matrimonium & beneficium ſint duæ res incompatibiles, *per text. in dic. c.* 3. *&* 5. *h t.* ac propterea altero acceptato, alteri hoc ipſo renuntiatum cenſeatur. Item quòd omnis collatio beneficii habeat eam conditionem ſaltem ſubintellectam ex Eccleſiæ conſuetudine, ſi Clericus in eodem ſtatu permanſerit, &c. atque hanc ſententiam certiſſimam eſſe dicit Henr. Zoëſ. *h. t. n.* 15. eámque quamplurimis authoritatibus confirmat Barb. *in Collectan. DD. ad c.* 1. *h tit. n.* 2.

Non obſtat, quòd pænæ in conſcientia non obligent ante ſententiam judicis, etenim quòd Clerici conjugati beneficia vacent, non ex pæna, ſed ex incompatibilitate ſtatus provenit, ut dictum: haud enim eſt pænâ dignus Clericus in minoribus, qui Matrimonium contrahendo Jure ſuo utitur, & actum facit à ſacris Canonibus non prohibitum.

Pariter non obſtat quod in *c.* 3. *&* 5. *h. t.* videatur Pontifex jubere, ut Clerici conjugati per Epiſcopum adeoque per ſententiam priventur ſuis

ſuis beneficiis, quia id rectè intelligit Gloſſ. *in dict. c.* 1 de privatione facti ſeu poſſeſſionis, quæ fit per actualem expulſionem beneficiati, non verò de privatione Juris ſeu tituli, quem Clericus habebat in beneficio, utpote quo jam ante per Canones privatus ſupponitur. *arg. c. cum noſtris. & c. litteras de conceſſ præbendæ.*

3 Sed quid dicendum, ſi uxor Clerici ante conſummationem Matrimonii mortua, religionem ingreſſa, vel ipſum Matrimonium propter aliquod impedimentum dirimens ex poſt facto nullum declaratum fuerit? R. communius doceri, etiam his caſibus inductam eſſe privationē beneficii, quia ex intentione Clerici ſtatus incompatibilis aſſumptus eſt, & conſequenter Juris interpretatione ipſo facto renuntiatum beneficio intelligitur, & ſæpè non tam attenditur, quid aliquis potuerit, quàm quid per actum ipsū voluerit facere. *arg. c.* 4. *de bigamis non ordin. Zoeſ. h. t. n.* 16. *& ſeqq.* vid. Barb. *in collect. ad d. c. h. t.* ubi *n.* 10. limitationem ponit. niſi Matrimoniū ſit nullum ex defectu conſenſus in Clerico, tunc enim ceſſat ratio tacitæ renunciationis.

4 Ad hanc autem privationem beneficiorum non ſufficiunt ſola ſponſalia *de futuro* contracta, quia per ea necdum actu ſtatus Ordini Clericali contrarius ſuſceptus eſt, *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *diſp* 46. *n.* 23.

5 Verùm aliquando etiam Clerici conjugati ad Divini officii miniſterium, & reditus beneficiales percipiendos admittuntur, ſi nimirùm cum unica

unica & virgine contraxerint, atque ab Episcopo ad servitium alicujus Ecclesiæ deputati fuerint. decernit enim Concilium Trid. *sess de reform. cap* 17. ut in omnibus Ecclesiis, in quibus commodè fieri potest, exercitia minorum Ordinum restituantur, ne illi Ordines tanquam otiosi ab hæreticis traducantur: & si Clerici celibes pro illo ministerio haberi non possint, mandat Concilium, assumi Clericos conjugatos probatæ vitæ, dummodò non bigamos, qui tonsuram & habitum Clericalem saltem in Ecclesia gestare teneantur.

Porrò circa Clericos conjugatos extat constitutio Bonifacii VIII. *in c. un. h. t. in 6.* quòd tunc habeant privilegium *Canonis & fori*, si contraxerint cum *una & Virgine*, ac tonsuram & habitum Clericalem continuò deferant. cui constitutioni addidit Concilium Trid. *dic. sess. 23. cap. 6.* quòd insuper debeant ab Episcopo esse deputati ad alicujus Ecclesiæ ministerium 6

Dubitant tamen DD. an tales Clerici tam in civilibus quàm criminalibus causis gaudeant fori privilegio? Potior fermè pars in eam inclinat sententiam, ut tantùm *in Criminalibus* velint Clericos conjugatos à judicio sæculari exemptos, propter tex. *in dic. c. un.* qui tantùm criminalium causarum mentionem facit, & in cæteris non vult eos gaudere privilegio Clericali. sicut pro utraque sententia videri possunt Authores copiosè relati à Barb. *in collectan. ad dic. c. un. n. 6. & 9.* Ego sanè existimo ante Concilium Trid. 7 8

ex verbis dictæ Conſtitutionis Clericos conjugatos veriſimiliter ſolùm in criminalibus cauſis habuiſſe fori privilegium, in aliis autem civilibus cauſis, oneribus & tributis fuiſſe ſubjectos poteſtati Laicali, ut etiam notavit Gloſſ. *in dic. c. un. in V. cæteris* niſi forſan & tunc ex mandato Epiſcopi actualiter in Eccleſia miniſtri fuerint.

Verùm cum ex Concilio Trid. generaliter imperetur, ut Clerici conjugati ſervitio Eccleſiæ ab Epiſcopo deputentur, crederem eos ſic deputatos tam *in civilibus* quàm *criminalibus* cauſis fori priviiegio gaudere. nam & familiæ Epiſcopi, Eccleſiæ, imò & privatorum Clericorum privilegium tale competere de *foro competenti* tradidimus, & probat Martha *de Juriſd. p. 4. C. CXI.* tantò magis id procedet in hujuſmodi Clericis conjugatis, cum utique plus ſit eſſe miniſtrum Eccleſiæ, & quidem Clericalibus Ordinibus inſignitum, quàm famulum Epiſcopi, &c.

8 Uxores quoque talium Clericorum participare forum eorundem probabiliùs eſt ex communi regula, quòd uxor ſequatur forum ſui mariti. *L. famina. ff. de ſenator. L. fin. C. de incolis. L. 2. C. de Epiſc. & Cler.*

9 Quod attinet ad Clericos in *Ordinibus majoribus* conſtitutos, illi Matrimonium contrahere nullatenus poſſunt propter votũ ſolemne caſtitatis, quod ſacris Ordinibus annexũ eſt, & in quod ſuſcipiendo ſacrũ Ordinẽ hoc ipſo conſentire cenſentur, quamvis aliis verbis non exprimant. *c. un. de voto. in 6.* ſi de facto contrahere præſumpſerint,

pſerint, ad dimittendas mulieres, & agendam pœnitentiam per ſuſpenſionis & excommunicationis cenſuram compellendi ſunt, *c. 1. h. t.* imò *ex Clement. un. de affinit. & conſang.* ipſo facto excommunicationem incurrunt, fiuntque irregulares, ita ut nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, nec ad altiores valeant promoveri, in qua tamen irregularitate poſt peractam pœnitentiã Epiſcopo diſpenſare conceſſum eſt, dummodo cum vidua contractum non ſit. *c. 1. & 2. qui Clerici vel voventes c. 4. h. t. c. fin. de bigam. non ordin.* amittuntque beneficia ſaltem (ut aliqui DD. contendunt) per ſententiam. Barb. *in Collect. ad c. 1. h. t. n. 7.*

Quinque autem potiſſimùm rationes aſſignantur, ob quas oporteat Clericos cælibes vivere. Primò & principaliter, ut tantò dignius DEO puriſſimo miniſtrent. Etenim ſi in veteri teſtamento Sacerdotes miniſtrantes Domino in Sacrificiis tantùm Judaicis, & manducantes Panes Propoſitionis debebant eo tempore abſtinere à mulieribus, quæ tam omnia erant tantùm umbra & præfiguratio Chriſti, quanto magis miniſtrantes Domino in ſacrificio vero, & manducantes verum immaculatum Corpus Chriſti, II. Integrè magis Deo ſervire poſſunt, ſi ab uxoribus liberi ſint, quia ut Apoſtolus 1. *Corinth.* 7. dicit: *qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat DEO, qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & di-* 10

viſus

visus est, &c. & nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus. 2. ad Timoth. 2. III. ut majori reverentia habeantur apud populum, quo vitâ sunt sanctiores & perfectiores. V. ut sine liberis & uxoribus constituti hospitalitatem erga pauperes & peregrinos tantò magis exercere possint. V. denique, ne reditus Ecclesiastici in usus pios destinati in uxores & liberos, aliásque profanas causas expendantur.

11 Quærunt DD. an cælibatus Clericorum sit ex Jure divino vel tantum humano Ecclesiastico constitutus? Non est quidem dubitandum, quin votum castitatis annexum sacris Ordinibus obliget ex Jure divino, juxta illud *Deuteron. 23. cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEVS tuus* sed hoc ipsum in quæstione est, an istud votum sit sacris Ordinibus annexum ex præcepto divino, vel solùm Ecclesiastico, adeoque justis de causis denuò per Ecclesiam tolli posset?

R. Quàmvis non desint apud Sanch. *de Matrim. lib. 7. d. 27. n. 4.* qui ob supra allegatas quinque rationes & alias similes existiment, Jure divino Clericis continentiam injunctam, ejusque rei non leve esse argumentum, quòd à tempore Apostolorum non extet exemplum, vel constitutio, ex qua permissum fuerit Clericis, post Clericatum uxores ducere, licet quandoque in Ecclesia Græca toleratum, ut uxoribus ante Clericatum ductis uterentur. *c. cum olim. h. tit.* Verùm communius receptum est cum D. Thoma, Cajet:

Cajet. Abulensi, aliisque quàmplurimis gravib⁹ Authoribus apud Sanch. *d. lo. n.* 5. statum Matrimonialem nec ex Jure naturali, neque divino esse incompatibilem cum statu clericali, excepto tempore ministerii divini, neque per aliquē textum legis divinæ esse Clericis prohibitum, aliàs neq potuisset Græcis concedi usus Matrimonii etiam prius contracti, nec Apostolus 1. *ad Timoth.* 3. Episcopum *uxoris unius virum* toleràsset; vel Dyonisium Ariopagitam, (quem conjugatum fuisse constat ex Actibus Apostolorum *cap.* 17.) in Athenienſium Episcopum creàsset, ut in ejus vita legitur. Argumenta in contrarium id solùm evincunt, potuisse ab Ecclesia decentissimè Clericis cælibatum & votum castitatis injungi, non autem quod necessario à divino præcepto injunctum fuerit. Videatur latius de continentia Clericorum: Bellarm. *tom.* 1. *controvers. de Clericis lib.* 1. *cap.* 18. *& seqq.*

Illud etiam hic addi potest, quod si quis in 12
Ordinatione ignoraret invincibiliter votum castitatis annexum, vel haberet intentionem contrariam non servandi, talis quidem non teneretur abstinere à conjugio ex voto, sed ex lege Ecclesiastica; & quamvis in hoc posteriori casu eliciendo talem contrariam intentionem, graviter peccaret decipiendo Ecclesiam, non tamen esset invalidè ordinatus.

Econtra qui invalidè ordinatus esset (ut quia se finxit Episcopum, qui non erat, aut ordinatus baptizatus non fuerit) quamvis habuerit in-

tentionem vovendi castitatem, probabiliter tamen non obligabitur, nisi denuò ordinetur, quia non aliter quàm concomitanter cum Clericatu censetur vovisse, pereunte ergò principali, perit & accessorium. videatur Sanch. *d. lo. n.* 11. *& seqq. Zoes h. t. n.* 7. *& seqq.*

TITULUS XX.

Est 34. *in Lib.* 3. *Decretal.*

De Voto, & Voti Redemptione.

Superius in præfatione hujus libri 1. dictum est, *Personas Ecclesiasticas* subdividi in *Clericos sæculares*, *& Regulares* seu *Religiosos*, de illis actum in præcedentibus titulis; de his modo, quæ Juris Canonici Studiosis scitu necessaria sunt, subjungemus. Quia verò differentiam inter Clericos sæculares & Religiosos præcipuè constituunt substantialia Religionis vota, ideò priusquam in specie ad ista descendam[9], non incongruè cognitionem & materiam Votorum in genere præmittemus.

§. I.

Quid sit Votum, & quænam ejus requisita, & obligatio?

SUMMARIA.

1. *Votum quid, & quomodo differat à proposito.*
2. *Si dubitetur, fueritne votum, vel propositum, præsumitur non fuisse votum.*
3. *Votum aliud explicitum, aliud implicitum.*
4. *Voto obligatur etiam qui non habuit animum servandi; secùs, si non obligandi.* 5. *Quan-*

5. *Quanta deliberatio requiratur in voto, & quid si dubitetur an fuerit sufficiens deliberatio.*
6. *Qualis error tollat obligationem voti.*
7. *Difficultates novæ emergentes, vel non previsæ cur potiùs tollant obligationẽ voti, quàm contractuũ.*
8. *Votum debet fieri Deo, saltẽ mediatè, ut si fiat Sanctis*
9. *Votum debet esse de meliori bono. & ibi an res indifferentes, vel res bonæ ob malũ finem voveri possint.*
10. *An & quando valeat votum contrahendi Matrimonium.* (pto.
11. *Voveri possunt etiam ea, quæ alias sunt de præce-*
12. *Quanta sit voti obligatio, & an detur parvitas materiæ.*
13. *Quamdiu executio voti differri possit, & an prævidens impedimentum teneatur prævenire.*
14. *Quid si votum sit partim de re possibili, partim impossibili.*
15. *An votum possit per alium impleri.*
16. *Exponitur* tex. in c. quod super. de voto,
17. *Vota quatenus obligent Successores.*

Alia Summaria invenies in §. seq.

VOtum communiter definitur quod sit, *promissio deliberata DEO facta de meliori bono.* Dico primo: Votum esse *promissionem*, ut distinguatur *à proposito*, nam propositum concipitur sine actuali obligatione; unde qui propositum utcunque firmiter & efficaciter conceptum non servaverit, peccati propterea reus non erit, quia nulla se obligatione obstrinxit. *c. 3. & ibi Gl. de voto & voti red.* 1

Contingit non rarò, ut homines dubii red- 2

dantur, anne *votum*, vel solùm *propositum* conceperint? In quo dubio poterit præsumi, non fuisse votum. quia *in dubio melior est conditio possidentis. c. in part. de R. I. in 6.* fuit autem talis dubitans prius in possessione libertatis, quâ eum non constat privatum esse. item in dubio non est obligatio inducenda. *L. Arianus. de O. & A. Henr.*
3 *Zoes. ad tit. Decret. de voto. num. 50. Suar. de voto lib. 4. cap. 5.* non obstat, quòd *in dubio tutior via sit tenenda*: quia hæc regula plerumque est tantùm de consilio, non de præcepto, nisi quis in dubio practico perseveraret, neque ad ejus depositionem se resolvere posset, tunc enim non liceret agere cum conscientia practicè dubia. Irem in dubia irregularitate orta ex homicidio, quando factum scilicet homicidium, vel mutilatio est certum, & tantùm culpa incerta, ad quale quale scandalum & offensionem hominum evitandam jussit subinde Pontifex tutiorem viam & abstinentiam ab Ordinibus eligi. *c. ad audientiam. 3. & c. pen. de homicidio.*

4 Porrò hæc promissio aliquando est *implicita* & actui, quem quis agit *annexa*: ut si Clericus suscipiat SS. Ordines, quibus scit *votum Castitatis* annexum esse, hoc ipso eandem promittere censetur. *c. un. h. t. in 6.* quemadmodum de jure Civili sunt *tacita pacta* juxta *L. 2. ff. de pactis.* & obligationes, quæ ipso facto contrahuntur, & ex *quasi contractu* appellantur *toto tit. Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu.*

Sed quid, si aliquis promissionem quidem votivam

civam faciat, non tamen animum habeat illud votum ſervandi? ex g. ſi habens domi concubinam, emittat votum caſtitatis, vel SS. Ordines Clericales ſuſcipiat, ánne tale votum valebit? R. affirmativè, quia obligatio voti eſt diſtincta ab executione voti, nec ab ea dependet, undè rectè obligatio ſine executione conſiſtere poteſt, prout ſine dubio is, qui de facto votum non ſervat, nihilominùs voto tenetur. *Navar. in Manuali c. 12. n. 27.* & in ſimili obligationem ad Matrimonium B. Virginis cum S. Joſepho fuiſſe ſine intentione executionis, alibi tradidimus.

Aliud verò dicendum, ſi quis non tantùm nō habuerit animum non ſervandi votum, ſed etiam non habuerit intentionem ſe obligandi, & verba merè extrinſecus protulerit, intrinſecè autem contrariam proteſtationem fecerit, talis enim voto non obligabitur, quia nulla eſt obligatio ſine conſenſu tacito vel expreſſo. & ſi Clericus in ſuſceptione SS. Ordinum non habuerit intentionē vovendi caſtitatem, non obligabitur quidem ad cœlibatum ex voto, obligabitur tamē ex præcepto Eccleſiæ, interim graviter peccabit, quia decipit Eccleſiam, quæ non vult alicui ſacrum Ordinem dari, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit, *cap. 1. diſt. 27. & c. 1. diſt 28.*

Quod ſi quis ſuſcipiens SS. Ordines penitùs ignoraverit obligationem voti eſſe annexam, non videtur voto adſtrictus, quia ignorantia tollit voluntatem & conſenſum, niſi ut plerum-

que fit, habuerit generalem & implicitam intentionem se obligandi ad illa omnia, quæ conditio Ordinis requirit, quamvis in specie de voto castitatis nihil sciverit.

Dico secundò, votum esse *promissionem deliberatam*, ubi aliqui perfectam deliberationem & majorem, quàm ad peccatum mortale requirunt, ut Lessius *de voto, dubio. 1. n. 4.* alii autem probabilius statuunt, eam deliberationem, quæ obligaret nos diabolo per peccatum mortale, sufficere ad obligandum nos DEO per votum, si scilicet plena advertentia accedat, ut vovens sibi præsens sit, & sine subitaneo motu vel animi passione judicium ac deliberatione perturbante advertat se vovere, *Guttirez Can. quæst. lib. 2. c. 21. n. 7. arg. c. sunt qui opes. 17. q. 4. & c. 2. h. t.*

Quid, si dubitetur, an adfuerit sufficiens deliberatio? sunt, qui hoc & superiori casu sub *n. 2.* pari passu procedunt, censentque possessionem, & consequenter præsumptionem stare pro *libertate*. tutius tamen videtur, ut hoc casu possessio & præsumptio pro voto asseratur. Nam quando certum cum incerto concurrit, possessio regulariter stat penes id, quod certum est. sicut in possessorio judicio, qui actus possessorios certos præsentes probat, præfertur illi, qui per petitorium disputat, tales actus non fuisse legitimos, usque dum revera non legitimos fuisse demonstraverit. Atqui in ista hypothesi supponitur votum fuisse certò emissum, & tantùm dubitatur, an cum sufficienti deliberatione, ergo

posses-

poſſeſſio ſtat pro voto. In altero autē caſu conſtat, me prius fuiſſe liberum, & dubitatur de ipſo voto, ergò poſſeſſio eſt penes libertatem. *vid. Sanch. de matr. lib. 1. diſp. 8. n. 10. & fuſius lib. 2. diſp. 41. n. 35. & ſeq. Zoeſ. h. t. n. 29.*

Vota autem ex metu cadente in conſtantem virum emiſſa non obligant, cùm non ſint promiſſio voluntaria & libera, dummodo metus ſit injuſtus ab extrinſeco, & ad finem eliciendi votum incuſſus, vel ſaltem votum pro medio evadendi conceſſum, veluti *inc. 1. de his quæ vi metuve.* dicitur, non valuiſſe profeſſionem mulieris in monaſterio, quæ ſuſpecta de adulterio à marito tradita fuit miniſtris occidenda, à quibus tamen dimiſſa erat ſub conditione, ut monaſterium ingrederetur. Secùs eſt, ſi metus tantùm proveniat ab intrinſeco timore, vel ab extrinſeco quidem, ſed qui non ſit ad eliciendum metum incuſſus. Unde non eſt dubitandum, quin valeant vota metu naufragii, latronū, vel infirmitatis emiſſa. *c. ex parte 9. de converſ conjug. Suar 1. de voto. c. 7. Sanch. de matr. l. 7. diſp 29. n. 5.*

Circa errorem aut deceptionem, qui aliquando in votis intervenit, diſtinguitur inter vota *ſimplicia & ſolemnia* ſimplicia enim cùm ſola voluntate voventis ſine actuali ſui traditione conſtituantur, non tantùm expreſſas, ſed etiam tacitas conditiones admittunt: ac proinde error in cauſa etiam merè impulſiva aut circumſtantiis ſolùm accidentalibus notabiliter tamen rei ſtatū mutantibus obligationem voti tollere poteſt, 6

Digitized by Google

si vovens ita constitutus sit, ut non nisi in talibus circumstantiis se obligare intendat; V.g. si vo-
7 veat peregrinationem, quia putat esse vicinam & facilem, aliàs non facturus tale votum, postea verò audiat esse remotam, difficilem & sumptuosam. ita generalem regulam tradunt DD. Antonin. Ang. Sylv. Hostiens. Nav. & alii plures apud Sanch. *de Matrim. lib.* 10. *disp.* 9. *n.* 15. quod vovens non obligetur in eo eventu, quem excepisset, si tempore voti emissi cogitasset: tum quòd in talem eventum censeatur, se virtualiter noluisse obligare, tum quòd *in generali promissione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non promisisset. c. in generali. de R. I. in* 6. *c. qui ad agendum, de procur. in* 6. *clem.* 2. *eod. tit.* quam quidem doctrinâ tunc veram censet Sanch.
8 *d. l. & n.* 16. si eventus ignoratus claudatur in virtute voluntatis vovendi, & non sub objecto promissionis, aut ut causa finalis: ut si quis voveat dare Paulo eleemosinam, quem ignorat locupletem: secùs verò si includatur in virtute aliorum actuum vel habituum & claudatur sub objecto promissionis, aut si causa merè impulsiva E. g. non vovissem Paulo pauperi eleemosinam si scivissem furem, ebriosum, &c. quia tamen pauper est, claudetur sub objecto promissionis scil. eleemosinæ, & ideò votum obligat. verum hæc limitatio, quæ ob magnam subtilitatem, & plurimas difficultates ac scrupulos in singulis factis emersuros, haud facile poterit Confessariis, nedum confitentibus ad clarum intelle-

intellectum explicari, non videtur mihi necessaria, sed id potissimùm attendendum esse, an quis eventu ignorato præcognito voviſſet, vel non; ſi non voviſſet, deficit perfecta voluntas in talibus circumſtantiis, ſive jam ad objectum promiſſionis pertineant, ſive non, & habet locum regula *d. c.* quod *in generali conceſſione non veniant ea, quæ quis veriſimiliter in ſpeciè non fuiſſet conceſſurus, & verba accipienda ſint ſecundum veriſimilem atque adeò etiam habitualem intentionem proferentis c. ſecundò. de appell.*

Non obſtat, quòd alii contractus non reſcin- 9
dantur ob difficultates poſteà emergentes, quibus prævisis non fuiſſent initi, cùm aliàs nulla foreni firma inter homines commercia, ſicut argumentatur Sanch. *d. l. n.* 14 Leſſi⁹ *de voto, dub.* 2. *n.* 10. nam reſponderi poteſt, inprimis frequentiſſimas in Jure eſſe reſciſſiones contractuum ob accidentia non prævisa, veluti ſi occultum rei emptæ vitium detegatur, ſi malus vicinus celatus fuerit &c. *t. t. de adil. edict. & de act. empt.* ſi conductor ædium ſpectris vexetur, latrones timeat &c. *L. habitatores. ff. locat.* Deinde quidquid ſit de contractibus, qui ſimpliciter acceptantur ab hominibus, atque ad firmanda commercia & minuendas lites non facilè ſolent leges concedere reſciſſionem, vel admittere exceptionem deficientis conſenſus, aliud tamen eſt in voto, quòd cùm principaliter fiat Deo, qui voluntatem noſtram & animi conſenſum perfectiſſimè cognoſcit, non cenſetur acceptare, in illis cir-

cumſtantiis, quas non prævidimus, & ſi prævidiſſemus conſenſum minimè daturi fuiſſemus, ceſſat etiam in votis minuendarum litium, & firmandorum commerciorum ratio, imò potiùs è contrario per nimium rigoroſam & ſcrupuloſam ſimplicium votorum obligationem lites & anxietates in conſcientiis generamus, & homines à meritorio vovendi actu deterremus, *Laym. de voto, c. 3. n. 4.* nimis enim durum eſt dicere, quòd DEUS me obliget ex mea voluntate (neque præceptum voti ſervandi aliter obligat, quàm ex voluntate humanâ præſuppoſitâ) in tali caſu & circumſtantia, ad quam ipſe ſcit, quòd voluntas mea ſe non extenderit, huc referri poteſt, quod cum Joan. And. & Molina tradit Zoëſ. *h. t. n. 56.* voventem abſtinentiam vel jejunium diebus Veneris, non teneri, ſi Natalis Domini in diem Veneris incidat.

At verò *ſolemnia* vota cùm per actualem ſui traditionem perficiantur, & regreſſio ex Monaſterio poſt profeſſionem emiſſam admodùm ſcandaloſa ſit, regulariter non irritantur ex errore vel deceptione: quia cenſetur profeſſus ſe abſolutè & ſimpliciter obligâſſe ſine reſervatione alicujus tacitæ conditionis ſi hoc vel illud fuerit &c. prout exemplum ponitur *in c. [illegible] arte. 14. de converſione conjugatorum.* Ubi mulier poſt matrimonium ratum ingreſſa eſt religionem, quia audivit maritum eſſe leproſum, reſpondet ibidem inter cætera ſummus Pontifex, quòd matrimonium fuerit diſſolutum & valida profeſſio, ſi quæ

Digitized by Google

si quæ facta sit, licet fortassis causa, quæ ad ingressum movit, falsa extiterit. hinc est, quod illa regula, *dolus dans causam contractui bonæ fidei facit contractum nullum*. desumpta *ex L. 7. ff. de dolo* non procedat in illis contractibus, qui per actualem sui traditionem perficiuntur, ut in professione religiosa, & matrimonio carnali, quorum annullatio propter scandalum non ita facilè admittenda est. nisi tamen error sit circa substantiam Religionis, v. g. si ideò aliquis certum Monasterium ingrediatur, quôd putet in eo licere habere proprium, aliàs nullo modo ingressurus, *vid. Sanch d. l. n. 18. Laym. in Theol. Moral. l. 4. tract. 4. cap 1. n. 5.*

Dico *tertiò*, votum esse *promissionem Deo factam*, 10
si enim aliquis tantùm intendat se obligare homini non Deo, v. g. si quis promittat Confessario aut Parentibus certum locum vitare, promissio votum non erit, nec per ejus transgressionem sacrileginm committetur. Non autem requiritur, ut votum immediatè Deo fiat dummodo finaliter in Deum dirigatur, sic votum ad Sanctos, vel eorum imagines factum verè votum est, quia saltem mediatè Deo fieri censetur, quatenus id, quod petitur à Deo, per intercessionem Sanctorum impetrari speratur. *Sylv. verbo, votum. n. 3.*

Dico *quartò*, votum debere esse *de meliori bono*: 11
quia si res *indifferens*, quæ moraliter nec bona nec mala sit, & multò magis si ex se vel leviter mala sit, voveatur, inutile votum erit: nisi tamen

men res indifferens bono aliquo fine cohonestetur. unde licet non obliget votum non intrandi certam domum, non gestandi gladium, valebit tamen si propter evitationem fortè periculi peccati fiat, vel si aliquis nimis affectus esset erga talem actum indifferentem, & ideò pro sui mortificatione voverit abstinentiam ab eo.

De illis votis difficultas est, an valeant, in quibus res bona quidem vovetur, sed ob finem malum, v. g. si Dux ad injustum bellum proficiscens votum faciat exstruendi templum, si victor evaserit, vel usurari? voveat largam eleemosynam, si usuras integras à debitoribus perceperit? R. talia vota ordinariè non valere, quia facere votum ad impetrandam à DEO rem illicitam, vel tanquam in gratiarum actionem, quòd res illicita quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala & blasphema operatio, quia Deo adscribit operationem peccati, quæ ipsi non congruit, nisi prædictæ conditiones quasi pro tempore exsolvendi voti simpliciter facti statuantur. v. g. quòd vovens velit templum ædificare, vel eleemosynam dare, postquàm victoriam reportaverit, absque intentione mediante voto talem illicitum finem consequendi.

Alia est ratio, si quis rem bonam, jejunium, v. g. aut eleemosynam voverit ad finem impetrandi à Deo rem temporalem licitam & honestam, vel in gratiarum actionem, quòd obtinuerit v. g. officium in aula, dives matrimonium &c. quia similia à Deo tanquam eorum authore petere,

petere, vel pro impetratis gratias agere, bonum & honestum est.

Præterea non sufficit, ut votum sit *de re bona* aliqua quacunque, si per id præjudicetur *meliori bono*, unde regulariter non valet votum contra- 12
hendi matrimonium, quia per id impeditur continentia, & ingressus in Religionem, bonum melius, & perfectius, 1. *ad Cor.* 7. *Trid. sess.* 24. *Can.* 10. propterea in definitione dictum est, votum esse *promissionem de meliori bono*, nam Deo non potest esse gratum & acceptum, quòd aliquis vovendo minus bonum, hoc ipso se obliget, quòd non velit amplecti majus bonum.

Dixi autem, votum matrimonii *regulariter* non valere, nam ab hac regula aliqui casus excipiuntur. ut 1. si per matrimonium possit procurari bonum publicum, pax, religio inter Magnates. 2. Si fiat causa pietatis ad liberandam fœminam ex statu vel periculo peccati, quod liberanti proficiet in remissionem peccatorum. *c. inter opera.* 20. *de sponsi.* 3. Si vovens ipse frequenti periculo peccati obnoxius sit, cui aliter quàm per Matrimonium haud facilè mederi queat. Si tamen ex post speraret se cum Dei gratia continere, & v. g. religionem ingredi posse, non obligaret votum in præjudicium status perfectioris. Sicut etiam in priori casu, volunt DD. votum non obligare cum exclusione Religionis, sed tantùm conditionaliter, si aliquam ducturus est. *Zoes. h. t. n.* 23. *Laym. d. l. c.* 2. *n.* 12. *Suar. lib.* 2. *de vot. c.* 8. *n.* 23. Si quæ-

ras,

Digitized by Google

ras, cur potiùs juramentum de ineundo matrimonio alicui factum ſimpliciter obliget, *c. commiſſum. 16. de Sponſ.* & non etiam votum? Reſpondetur, votum fieri principaliter Deo, qui
12 id non acceptat in præjudicium melioris boni, juramentum autem fieri homini cum Divina ſolùm atteſtatione, qui id ſimpliciter acceptat, quatenus ſibi inde Jus & utilitas quæritur. interim etiam Juramentum habere tacitam conditionem, *niſi jurans maluerit religionem ingredi*, communius ſentiunt DD. ait tamen Pontifex *in d. c. 16.* tutius eſſe, prius matrimonium contrahere, & poſtea ingredi, ſed id DD. explicant, ſi multùm intereſſet ſponſæ vel ob infamiam, vel lucrum antenuptialis donationis ex ſtatuto &c. *vid. Sanch. de matrim. lib. 1. Diſp. 43. n. 6. Zoeſ. ad tit. de Sponſal. n. 26.*

13 Cæterùm autem non tantùm ea, quæ *de conſilio Evangelico* ſunt, voveri poſſunt, ſed etiam ea, quæ ſunt *de præcepto* v. g. non blaſphemare, non fornicari, &c. ut aliquis ex gravitate & duplicitate obligationis tantò magis à peccato abſterreatur; nihil enim impedit aliquem circa eandam rem pluribus obligationibus teneri, veluti ſi rem alienam, quam ex Jure divino & naturali reſtituere debeo, etiam per ſpecialem promiſſionem me reſtituturũ pollicear. latiùs hæc proſequitur Leſſ. *de voto, dubio, 7. Laym. de voto. c. 2.* Ulterius poſt explicatam voti definitionem circa ejus obligationem & executionem.

14 Quæritur I. Quæ & quanta ſit voti obligatio?

tio? R. De fide certum esse, quòd omne votum validè emissum ex virtute Religionis obliget ad præstandum id, quod voto promissum est, juxta illud *Deut. 23. si nolueris polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis.* & *illud Ps. 75. Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Estque transgressio voti peccatum ex genere suo mortale, quia violare fidem & promissionem Deo datam gravis culpa est; aliquando tamen ob parvitatem materiæ veniale esse potest, puta si ex materia voti levis aliqua pars subtrahatur, & votum pro majori parte impleatur. v. g. si vovens orare rosarium unum vel alterum *Ave Maria* omittat.

Quid, si tota materia voti sit parva, v. g. si quis voverit, singulis diebus orare unum *Ave Maria*, & illud omittat? adhuc venialem tantùm culpam esse docet Lessius *de voto, dub. 9. n. 58.* & ita testatur *plerosque* sentire recentiores. consulerem tamen pro tutiori, ne tale peccatum facilè in Confessione omittatur, quia aliqui graves DD. in diversa sunt opinione *Cajet. de juram. q. 49. art. 7. Ang. v. votum. 3. q. ult.*

Deinde in foro etiam extrinseco Ecclesiastico ille, qui scitur votum feciisse, ad ejus observationem rectè compellitur, quia Ecclesia judicat de quovis peccato mortali, & præcavere debet, ne crimina committantur. *c. novit. de judicijs. c. quod super. in fine. 7. de fide instrum.* præsertim si Ecclesiæ vel alterius interest, votum impleri, ut quia aliquis voto se obligavit Ecclesiam ædificare,

ficare, pauperibus vel terræ Sanctæ ſubvenire, &c. *c. licet 6 h. t.*

Quæritur II. Quamdiu executio voti differ-
15 ri poſſit? Si certum tempus vovens ipſe ſibi determinaverit, illud ſine peccato elabi non patietur. Si præviderit impedimentum illo tempore futurum, tunc votum prius exſolvere debet, neque elapſo tempore, ſi votum non impleverit, hoc ipſo liber erit, ſed poſteà implere debebit, niſi votum ob ſpecialem Dei cultum ad hunc, & non ad alium diem determinatum ſit. v. g. ſi quis in feſto certi alicujus Sancti ſe jejunaturum promiſit, & illo die non jejunavit, peccavit quidem, ſed alio die jejunare non tenebitur. Imò tametſi præviderit impedimentum non cogetur anticipare: quia tunc ſolùm anticipatio prævi-ſo impedimento eſt neceſſaria, quando obligatio eſt abſoluta, & tempus tantùm dilatio executionis, ſecus verò ſi tempus ſit quaſi pars voti, & votum proprium diei onus. *Suar. de voto lib. 4. c. 14. Zoeſ. h. t. n. 54.*

Quòd ſi nullum certum tempus vovens ſibi præfixerit, debet votum exequi, quàm primùm commodè poteſt, juxta illud *Deut. 23. cum votum voveris Domino non tardabis reddere, quia requireret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, quemadmodùm etiam in aliis obligationibus ab eo, qui ſe ſine certo tempore obligavit, res ſtatim peti poteſt, quàm primùm debitor facultatem ſolvendi habuerit. *L. promiſſor. §. 1. ff. de conſtituta pecunia.* Ita tamen

tamen ut juxta humanum modum & arbitrium boni viri hæc res accipiatur, neque enim qui fortassis peregrinationem vovit, cogetur diebus ac noctibus, vel omni tempestate, & periculo & incommoditate contempta illam explere. *Arg. text. notab. in l. continuus. 137. §. 2. ff. de verb. obligat.*

16 Quæritur III. Si votum pro aliqua parte sit moraliter vel physicè impossibile, utrùm saltem obliget quo ad partem possibilem? R. esse distinguendum, utrum materia voti sit *dividua*, vel *individua*, priori casu locum habebit *regula 36. Juris in 6.* quòd *utile non vitietur per inutile*; adeóque si vovens votum implere secundùm unam partem non possit, tenebitur secundùm eam, quam potest. quare qui vovit se jejunaturũ totâ septimanâ, si singulis diebus id sine periculo facere non possit, tenebitur illis diebus, quibus potest. Item qui vovit, se Ecclesiæ donaturũ 1000. florenos, si propter supervenientẽ paupertatem totam summam dare nequeat, tenebitur ad illam partem, quàm dare potest salvâ congruâ suâ sustentatione. Illam tamen exceptionem hìc addunt DD. nisi pars impossibilis sit *principalis*, & altera tantùm *accessoria*, & non aliter quàm respectu illius principalis promissa, unde qui vovit se peregrinaturum ad certam Ecclesiam, & ibidem oblationem facturum, si peregrinari non possit, non tenebitur oblationem eo mittere, juxta vulgatum, quod *principale trahat ad se accessorium*, si tamen oblatio esset in magna quantita-

te promissa, tunc censererur illa principaliter esse in obligatione, & peregrinatio tantùm accessoria, ideóque peregrinatione impossibili illa oblatio transmittenda foret; nam pereunte accessorio non perit principale.

Altero autem casu, si materia voti sit *individua*, tunc unâ parte impossibili non tenebitur vovens possibilem implere. v. g. qui vovit templum ædificare, & propter supervenientem inopiam totum ædificare non potest, non tenebitur capellam ædificare. *Suar. de voto. lib* 2. *c.* 2. Generaliter autem tota hæc quæstio potissimùm ex intentione voventis resolvenda est, an voluerit se ad omnes partes voti collectivè tantùm sumptas, vel etiam ad singulas divisim obligare. In dubio quando nec ex conjecturis constaret, de intentione voventis, suaderem observationem partis possibilis, quia in dubio tutior via est tenenda saltem de consilio, sed multùm renitenti non auderem imperare, quia in dubio non est facilè inducenda obligatio. *L. Arianus. de oblig. & act* & votorum obligatio ex comuni sententia non est amplianda, sed strictè accipienda. *arg. c. ex parte. ubi Panor. de censibus.* Item *in obscuris quod minimum est, sequimur. regul.* 30. *Juris in* 6. *Sanch. de matrim. l.* 9. *Disp.* 35. *n.* 8.

17 Quæritur III. An liceat votum per aliam personam implere, vel an teneatur per aliam implere, qui per se ipsum non potest?

R. 1. Esse distinguendam inter vota *personalia, realia, & mixta*; votum *personale* est, quando solum

ſolum factum proprium promiſſum, ut jejunium, oratio &c. Votum *reale*, quando vovens promiſit ſe aliquid daturum v. g. eleemoſynam aut dotem pro Eccleſia. Votum denique *mixtum*, quando præter donationem rei etiam ipſa actio ſeu functio perſonalis promiſſa eſt, ut peregrinatio cum oblatione.

Rz. 2. Votum *perſonale* vel etiam *mixtum*, (ſi nullum ſubſit impedimentum ex parte voventis, de quo infra) per ipſam perſonam voventem implendum eſt, nec per aliam impleri poteſt, quia illa tantùm & non alia obligata eſt. neque hic locum habet regula, quod *quis per alium facit, per ſe ipſum fecisſe cenſetur* prout eadem regula nec aliis caſibus obtinet, in quibus ipſius perſonæ obligatæ factum, ejusque induſtria maximè pro majori ſui mortificatione, promiſſa eſt. Votum autem *reale* aliquando per aliam perſonam impleri poteſt, ut ſi quis ſolvat pro me eleemoſynam quam promiſi dare pauperibus, quia tunc cenſetur mihi donâſſe pecuniam, & ita *brevi manu* illa eleemoſyna de meo data eſſe, prout obſervat Sanch. *l.* 4. *moral. c.* 10. *n.* 10.

Rz. 3. Qui non poteſt votum *perſonale* v. g. jejunii aut orationis per ſe implere, non tenetur id implere per alium, quia actus non obligat ultra intentionem agentis, fuit autem intentio voventis, ſuam tantùm non alterius perſonam obligare, & quilibet vovet eo animo, ut velit ſe non alium affligere. Illum tamen caſum excipit Sanchez *d. lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 9. Si votum

personale non tam intendatur pro sui afflictione, quàm pro utilitate alterius v.g. si quis votum fecerit jejunii aut Missæ dicendæ pro redemptione animarum in purgatorio, quæ sententia Sanch. videtur habere æquitatem, & propterea voventi consulenda, cùm finis voti tali casu etiam per alium obtineri possit. Si tamen vovens non posset facilè habere alium per quem votum impleat, non foret cogendus, nisi fuisset ipsius intentio, implendi votum sive per se, sive per alium nam in dubio quilibet præsumitur se tantùm obligare voluisse.

Sed his opponi posset difficilis textus *c. quod super 8. x. de voto.* ubi S. Pontifex decidit, quòd illi, qui fecerunt votum succurrendi terræ sanctæ, si ob impedimentum perpetuum in propria persona ire, aut militare nequeant, teneantur expensas, quas facturi fuissent, transmittere, & votum per alios exequi. Hanc decisionem non esse ex natura hujus voti (utpote quòd potiùs *personale* quàm reale sit) sed ex præsumpta mente voventis, qui in defectu suæ personæ ad expensas se obligâsse censeatur, existimat Paul Laym. *d. l. c. 3. in fine. cum Palud. Nav. & alijs.* Verùm quia non est bene credibile, quòd S. Pontifex voluerit quæstionem voti, quæ immediatè conscientiam tangit, ex præsumptione, non habente locum in conscientia nisi veritas subsit, decidere, & verba *in d. c.* 8. ita simpliciter proferuntur, ut nulli suppositio, vel præsumptioni inniti videntur: propterea magis puto, votum peregri-

Digitized by Google

grinationis Hieroſolymitanæ, quod non cauſa devotionis, ſed in ſubſidium Terræ Sanctæ omiſſum eſt, accenſeri votis *realibus* vel *mixtis*, in quibus principale eſt id, quod eſt *reale*, ideóque habere locum, quod dicetur in ſequentibus reſponſionibus. Nam tunc votum dicitur tale, quando in eo principaliter conſideratur & intenditur utilitas Eccleſiæ vel piæ cauſæ, acceſſoriè autem devotio vel labor perſonæ, ſed in promiſſo ſubſidio Terræ Sanctæ utique principaliter intenditur utilitas Eccleſiæ Catholicæ, acceſſoriè autem perſonæ labor, qui benè & forſan fructuoſius poteſt per ſubſtitutum impleri: ergò &c.

R. 4. Vota *realia* per alium implenda ſunt, ſi per ipſum voventem impleri non poſſint, quia nihil intereſt, an ipſe vovens an alius ejus nomine etiam de ipſius ſubſtantia eleemoſynam expendat.

R. 5. In votis *mixtis* quantum ad eorum realitatem quæſtio dependet à præcedenti, an nimirum, ſi votum quo ad partem obligationis perſonalis ſit impoſſibile, impleri debeat ſaltem quoad obligationem rei, ubi proinde illa diſtinctio eſt adhibenda, quàm ibidem tradidimus, an ſcilicet id, quod eſt reale voti v. g. peregrinatio, & in ea obligatio, fuerit acceſſoriè vel principaliter in obligatione, item an intentio voventis fuerit ſe ad ſingulas partes voti diviſim obligare. *Vid. Suar. de voto, lib. 2, c. 1. & 2. Laym. d. l. c. 2.*

Q. 5. An & quatenus vota defuncti obligent heredem? R. Rursus distinguendum esse inter vota, nam vota *realia* regulariter omnia ad heredem transeunt, & per eum expleri debent, quia sunt onus bonis defuncti annexum, quod consequenter in heredem transmittitur. *c. ex parte de censibus.* Quamvis autem executio voti *realis*, quod defunctus fecit ante omnia legata etiam pia fieri debeat, cùm obliget animam defuncti, ante alia verò debita, quæ Creditoribus defuncti ex justitia debentur, votum non est solvendum. Nam votum reale tantùm debetur ex *bonis* defuncti, non autem sunt *bona* nisi *deducto ære alieno*, quare si deductis debitis non remaneat tantùm, ut eleemosyna vel donatio à defuncto per votum promissa possit ex toto impleri, sufficit si heres impleat & exequatur, in quantum vires hereditatis patiuntur, *Sanch d. c. 15. n. 39.* ita tamen ut nullam *Falcidiam* vel *Trebellianicam* detrahat, quia cùm in legatis piis, ad quæ defunctus non fuit obligatus non detur *Falcidiæ* detractio, *auth. similiter. C. ad L. Falcid Tyraq. de priv. piæ causæ. priv. 26.* multò minus dabitur sive ex Lege, sive ex voluntate defuncti in voto, in quo defunctus propriam animam obligavit.

Vota *merè personalia*, ut jejunia, peregrinationes & similia heres regulariter implere non tenetur, quia jura & obligationes, quæ personæ defuncti in individuo cohærebant, non transeunt in heredem, nisi ultrò se impleturum promisisset, vel sub hac conditione implendi votum

votum heres inſtitutus fuiſſet, *c. licet 6. & ibi Doctores h. t.*

Neque ea vota quæ nonnunquam faciunt communitates, oppida, vel civitates peregrinandi, jejunandi &c. in ratione voti, & ſub reatu ſacrilegii obligant ſucceſſores, ſed potiùs ex pacto, conſuetudine vel ſtatuto, accedente approbatione expreſſa vel ſaltem tacita Epiſcopi, qui etiam ejuſmodi leges vel conſuetudines diæceſanorum ex cauſa abrogare poteſt. *Vid. Sanch. d. c. 15. n. 19. Laym. d. c. 3. ſub n. 6. Suar. de voto l. 4. c. 9. n. 10.*

In votis *mixtis* iterum attendendum eſt, an defunctus ita voverit, ut ſi id, quod fuit *perſonale* in voto non potuiſſet implere, ſaltem tenebatur implere id, quod fuit *reale*, vel an *perſonali* impoſſibili non tenebatur etiam ad *reale*, priori caſu heres tenebitur ad rem præſtandam, non autem poſteriori. *Suar. d. lib. 4. c. 11.*

§. II.

Qualiter Obligatio Voti tollatur.

SUMMARIA.

1. *Votum tollitur quatuor modis.*
2. *Materia voti deficit, quando non eſt amplius de meliori bona.*
3. *Quotuplex ſit poteſtas Superiorum irritandi vota.*
4. *In directa poteſtate non attenditur an votum ſuperiori præjudicet. & ibi de votis Religioſorum.*
5. *Vota Pupilli poſſunt etiam poſt pubertatem irritari, & Succeſſor ſuperior poteſt irritare vota ſub ſuo Anteceſſore emiſſa.*

Potestas irritandi vota aliquando est *spiritua-* 3
lis, aliquando *temporalis*, quatenus scilicet talia vota à voluntate superioris, sive is spiritualis, sive temporalis sit, dependent. Est autem prænotandum, quod ista dependentia à superioris voluntate sit in duplici differentia, una est per se & simpliciter dicta, in quantum voluntas voventis simpliciter & absolutè dependet à directione & volũtate superioris, qualis est voluntas Religiosi respectu sui Prælati, *c. si Religiosus. de electione in* 6. Item filii impuberis respectu patris, vel tutoris. *c. mulier.* 32. *q.* 2. Altera dependentia est secundum quid, & quasi per accidens, videlicet ratione materiæ, in qua alterius juri vel potestati præjudicatur, ut si servus, filiusfamilias pubes, conjunx, Novitius aliquid voveat, quod sine præjudicio & damno Domini, Patris, mariti, aut Monasterii observari non possit.

Igitur in casu prioris dependentiæ datur su- 4
periori directa potestas votum subditi irritandi, & annullandi, licet sibi aut potestati suæ damnosum non sit, quia voluntas inferioris effectũ non habet, nec à DEO acceptatur, nisi in quantum confirmata vel tolerata est superioris authoritate, ut constat ex *lib. Num. c.* 30. licet verò leges *judiciales* veteris testamenti post adventum Christi cessârint, ut sub *t.* 2. §. 1. *n.* 5. dictum, quatenus tamen sunt deobligatoriæ, & favorabiles conscientiæ, rectè potest ex iis divinæ voluntatis interpretatio, an votum acceptet, vel non, desumi, & in *c.* 2. 20. *q.* 2. dicitur *Mo-*

Digitized by Google

nacho non licet votum vovere & si voverit, frangendum erit. Imò valebit talis irritatio, licet ſine cauſa fiat, quia etiam hoc caſu deficit conſenſus ſuperioris, ſine quo votum durare non poteſt. peccabit tamen juxta probabiliorem opinionem ſuperior ſaltem venialiter, ſi abſque juſta cauſa votum irritet, quia abutitur Jure & poteſtate ſua, impediendo promptitudinem ſubditi ad exhibendum DEO cultum per votum. *Leſſius de voto, dubio* 10. *n.* 17.

Interim licet Religioſus aliter quodcunque votum vovere non poſſit, niſi ſub tacita conditione, ſi Abbas toleraverit, quoad licentiam tamen, ſeu conſenſum ſuperioris petendum diſtinguendum eſt, an Religioſus votum fecerit in actione aliqua ſibi licita & conceſſa. v. g. certas orationes privatim dicendi: vel in actione quidem bona, Religioſo tamen ex certa cauſa prohibita, v. g. peregrinandi extra Monaſterium; priori caſu non tenebitur petere licentiam Prælati, ſed de facto obligabit votum, uſque dum ab Abbate aliunde reſciente, vel per generalem prohibitionem in Capitulo irritetur. Altero autem caſu obligabitur Religioſus ad petendam licentiam Abbatis, quia ſaltem ex voto tenetur facere quantum in ſe eſt.

5 Præterea communiter tradunt DD. quòd pater vel tutor poſſit irritare vota liberorum in impubertate facta etiam poſtquam illi ad pubertatem pervenerunt, niſi poſt pubertatem talia vota nova voluntate confirmarint. Ratio eſt,

Digitized by Google

est, quod parentibus atque tutoribus (quo nomine in defectu patris venit etiam avus paternus vel in defectu ascendentium masculini generis etiam mater, cum ad eam quoque Jure naturali cura filii impuberis spectet) detur simpliciter potestas vota in impubertate facta irritandi, ac in similibus attendatur primordialis natura obligationis, & qualitas agentis, dum actum fuerit. Quemadmodum *in c. ultimo. de sententia excom.* percussio Clerici facta à puero impubere absolvi potest ab Episcopo etiam post ejus pubertatem. *in Navar. man. c. 12. n. 71. Sanch. lib. 4. Moral. cap. 30. n. 14. Lay. d. l. c. 7. n. 11.* Tradit etiam Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 41.* quod vota uxoris, quæ tempore prioris Matrimonii poterat vir, vel, si tunc erat impubes & innupta, pater aut tutor irritare, possit etiam succedens maritus, utpote qui etiam in locum patris & tutoris succedit, idemque judicium fit de alio quovis superiore succedente in officio, ut possit irritare vota sub suo antecessore emissa, tametsi vota fuerint de licentia prioris mariti vel superioris emissa, quia per hanc non potuit præjudicari successori pari potestate functuro. *c. innotuit. de elect.* ita tamen ut hoc casu fiat irritatio ex justa causa, & hæc quoad casum primæ dependentiæ voventis ab ipso superiore.

In altero autē casu, quando tantùm per accidens, & ratione materiæ voventis voluntas dependet à superiore, votū aliter superior irritare non potest sui inferioris, quàm quatenùs id sibi,

vel

6 vel rei ſuæ damnoſũ eſt. Unde ſi V.g. uxor longã peregrinationẽ, jejuniũ, aut eleemoſynã de bonis dotalibus voveat, non valebit votum, niſi ſub tacita conditione, ſi vir permiſerit. imò licet maritus ſemel aſſenſum dederit, & uxori executionem voti ſui aliquamdiu permiſerit, nihilominùs ex poſt facto ſententiam mutare & votum irritare poteſt, *c manifeſtum. 33 q. 5.* eadem eſt ratio de filiofamilias, ſi poſt pubertatem aliquid voveat, quod in detrimentum vel incommodum patris cedat, V. g. ſumptuoſam peregrinationem, abſtinentiam à carnibus, eleemoſynas ex bonis patris, &c. ſecus autem eſt, ſi uxor voverit ſe donationem facturam Eccleſiæ de bonis ſuis *receptitijs*, aut filiusfamilias de *bonis Caſtrenſibus*. in talibus enim bonis non fit præjudicium marito, vel patri, cum pleno Jure ſpectent ad voventem, & conſequenter votum circa ea irritari non poteſt. *DD. mox citati.* & hæc ſententia quoad uxorem tanquam tutior ſuaderi poteſt.

Interim valdè probabile eſt, quod docet Sanch. *de matrim. lib. 9. diſp. 39. n. 4. & ſeqq.* uxorem ſubdi marito non tantùm quoad Materiã voti, ſed etiam quoad voluntatem, vir enim caput eſt mulieris *ad Epheſ. 5.* & mulier eſt ſub viri poteſtate. *Gen. 3.* videturque DEUS ea de cauſa mulieris voluntatem ſubdidiſſe viro, quia mulier eſt levis, imprudens & facilis in emittendis votis, ideoque poſſe maritum omnia vota uxoris etiam continentiæ, non petendi debitum, &c. ſicut

Digitized by Google

ſicut pater filii impuberis irritare. ita enim hæc poteſtas Marito *Num.* 30. ſimpliciter conceditur; & confirmant dicta SS. PP. *in c. nolunt. & c. fin.* 33. *q.* 5. D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 8. *ad* 3. ibi: *nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati, nec uxoris, niſi ſit de conſenſu viri.* Imò ulterius putat Sanch. *d. l. n.* 16. quod Maritus poſſit irritare vota uxoris conſtante matrimonio emiſſa, ſed collata in tempus diſſoluti Matrimonii, quia tempore emiſſi voti voluntas voventis ſubdita eſt marito. *Et eod. lib.* 9. *diſp.* 40. *n.* 4. *& ſeqq.* quod Maritus poſſit irritare vota uxoris, etiam de ſua licentia emiſſa, quamvis peccet irritando ſine cauſa. Divortio tamen facto ex cauſa adulterii nulla poteſtas irritandi eſt. *d. diſp.* 39. *n.* 8.

Sed an etiam econtra uxor aliqua vota mariti irritare valebit? *R.* affirmativè, in quantum ea uxori in Jure ſuo conjugali, quod habet in corpus mariti, vel in bonis ſuis præjudicant, ut ſi maritus voveat longam peregrinationem, & diuturnam abſentiam, donationem ex bonis dotalibus, & ſimilia. *Sanch. d. l.* 9. *diſp.* 45.

Uno tamen caſu Jura propter publicam neceſſitatem Chriſtiani populi derogârunt poteſtati uxoris, quatenus ſcilicet maritus præter uxoris aſſenſum poſſit liberè vovere peregrinationem Hieroſolymitanam pro terræ ſanctæ redemptione, ſi nimirum in ea qualitate ſit, ut vel ipſe militare, vel milites ſecum ducere, aut ſuo conſilio militantibus adeſſe poſſit. *c. ex multa.* 9. §. *penul.* 7.

§. penultimo h. t. similiter Juri mariti vel uxoris derogatum est in voto religionis ante matrimonium consummatum. *t. t. de convers. Conjug.* Item Prælato in voto Religiosi ad strictiorem Ordinem transituri. *c. licet. de regular. Sanch. d. disp. 39. n. 19.*

8 Demùm hîc quæritur, an reviviscat votum semel irritatum, postquàm per mortem mariti vel patris subjectio cessavit? in hac quæstione satis conveniunt DD. primò, quod votum Religiosi, vel impuberis à Prælato vel patre irritatum semper irritatum maneat, quia isti habent simplicé & directam irritandi potestatem. Secundò, quòd votum à muliere factum, antequam in Matrimonium transivit, vel à servo antequam in potestatem Domini venit, possit quidem à marito vel Domino interim irritari, quatenus sibi præjudicat, postquàm verò conjugium vel potestas dominica cessavit, votum incipiat, ut prius obligare, quia non fuit simpliciter irritatum, sed tantùm respectu dictæ potestatis, cui præjudicavit. Sed in tertio dissentiunt, an scilicet votum, quod uxor constante matrimonio, vel filius jam pubes, dum adhuc in potestate patris erat, emisit atque irritatum fuit, obliget iterum, postquam Matrimonium, aut patria potestas soluta est. Affirmativa sententia tutior est, dummodo votum fuerit in omne vitæ tempus conceptum, & non præcisè ad statum conjugii, vel certos annos, qui jam elapsi sunt, restrictum, ut si uxor voverit se totâ vitâ aliquod diebus in heb-

Digitized by Google

hebdomade jejunaturam, &c. Ratio eſt eadem quæ in præcedenti articulo, quod ſcilicet irritatio voti conſtante Matrimonio facta non fuerit ſimplex, & totaliter tollens obligationē voti, ſed ſolùm in quantum . præjudicavit *Innocentius in c, ſcriptura. h t. Leſſius de voto, dubio* 10. *n.* 86.

Quia tamen etiam pro contrario ſunt non 9
pauci DD. cum Panorm. *in d. c. Scripturæ & c. quidam de converſ. conjugat. Sanch. d. l.* 9. *diſp.* 38. *n.* 36. ideò fortaſſis Epiſcopus in tali voto ad cautelam diſpenſare poterit. nam quando eſt dubium, an res egeat diſpenſatione, poſſe Epiſcopū diſpenſare, vel declarare quod non ſit opus diſpenſatione , tradit Garcias de *beneficijs. parte* 6. *c.* 2. *n.* 10.

Per *commutationem* tollitur obligatio voti, & id, quod antea erat promiſſum in aliud opus bonum, & DEO gratum commutetur, ad *commutationem* duo principaliter requiruntur, ſcilicet *cauſa*, & *ſuperioris authoritas*; cauſa eſt vel difficultatis, vel utilitatis: *difficultatis* , ſi propter paupertatem, debilitatem corporis, periculum frequentis omiſſionis, aliáſve circumſtantias difficilis ſit voti executio. imò levior etiam difficultas ſufficit, ſi votum in puerili ætate ex facilitate potius, quàm arbitrio diſcretionis emiſſum ſit. *c.* 2. *h. t.* Cauſa verò *utilitatis* eſt, ſi vovens pro opere DEO promiſſo, aliud Eccleſiæ utilius, & DEO gratius præſtare paratus ſit. Quàmvis autem authoritas ſuperioris non requiratur, ſi opus, in quod votum commutatur

man-

manifestè DEO gratius sit, ut si vovens vellet Religionem ingredi. *c. 4. h. t.* vel si vovetit, se daturum Ecclesiæ certæ, & deinde velit dare paupetiori, & magis indigenti; quia in similibus casibus non tam violatur votum, quàm sanctius, & solenniusredditur, si tamen dubium sit, quodnam opus omnibus consideratis melius & DEO acceptius habendum, tunc authoritas, & arbitrium superioris omninò intervenire debet. *c. 1. & ibi DD. h. t.*

Porrò nomine superioris non tantùm venit S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes, ipsi quoque aliquando Confessarii, vel ex Jubilæo, vel aliunde privilegium commutandi vota obtinent.

Est tamen in *commutatione* observandum, ut opus illud, in quod fit commutatio, moraliter, & arbitrio prudentis viri aliquo modo æquivaleat rei per votum promissæ. Interim nihil obstabit, quin votum reale commutari possit in personale, vel è contra, licet plerumque convenientius sit, ut reale in reale, vel etiam personale in reale commutetur, quia ordinariè onera realia etiam chatitatem erga proximum, vel utilitatem Ecclesiæ concomitantem habent, nisi personale fuerit, corporis afflictivum, & certis peccatis resistens, quod proinde expedit, ut in aliud simile quod vovens perficere possit, convertatur, V. g. jejunium in orationes quotidianas, &c. In specie autem de commutatione votorum, quæ à Confessariis fit tempore Jubilæi, &

qualiter

qualiter ſingula vota commutanda ſint, utiliter legi poterit R. P. Gobat, *de duplici Iubilæo*

Denique per *diſpenſationem* extinguitur votũ, ſi ſubexiſtente cauſa ejus obligationem Pontifex vel alius Prælatus etiam inferior Juriſdictionem Epiſcopalem, aut ſpeciale privilegium habens remittat. Cauſæ autem diſpenſandi recenſentur, ſi votum ex minori deliberatione, ut in ira, metu, ætate puerili, vel aliqua animi perturbatione non tamen auferente prorſus mentis judicium emiſſum ſit, ut deinde difficulter obſervari poſſit; aut ſi aliqua magna, & publica utilitas per diſpenſationem obtinenda ſperetur, veluti ſi unicus heres alicujus Principatus vel inſignis familiæ votum caſtitatis fecerit, &c. & hæc diſpenſatio plerumque neceſſaria eſt in votis majoribus, quæ propter dignitatem materiæ non recipiunt aliquam æquivalentem commutationem; in minoribus autem magis commutatio, quam diſpenſatio locum habet, quia obligatio Deo facta debet omni meliori, quo poteſt, modo impleri. unde & in ipſa diſpenſatione circa vota minora aliquod ſaltem opus bonum voventi loco voti peragendum injungitur. 10

Porrò in votis diſpenſare non tantum poteſt S. Pontifex, ſed etiam inferiores Prælati Juriſdictionem Epiſcopalẽ habentes, *c.* 1. *& ibi DD. h. t.* videlicet Legatus Pontificis in Provincia ſuæ Legationis; Epiſcopus in ſua Diæceſi: Capitulum ſede vacante, Prælatus exemptus cum ſuis ſubditis, Archiepiſcopus cum ſubditis ſuorũ

ſuffraganeorum, non quidem ſemper, & ubique ſed ſi quaſi per appellationem adeatur denegata diſpenſatione à ſuffraganeo, vel dum actu Provinciam viſitat, quia extra appellationem & Viſitationem Archiepiſcopus in ſubditos ſuffraganeorum regulariter Juriſdictionem non habet, *c. Venerabilibus. 7. de ſententia excom. in 6. c. fin. de cenſibus in 6.*

11 Sunt autem *quinque vota* ſpecialiter *reſervata*, in quib⁹ nemo præter S. Pontificem, vel cui is ex ſingulari privilegio conceſſit, diſpenſare poteſt, niminrũ 1. votum *perpetuæ caſtitatis*. 2. votũ *ingrediendi Religionẽ*. 3. votũ *peregrinandi Romam*, ſeu ad limina Apoſtolorũ. 4. peregrinandi *Hieroſolym.* & 5. peregrinandi *ad S. Jacobum Compoſtellã*. *Extrav. etſi dominici. fin. de pœnit. & remiſſ inter com.*

Verùm cum hujuſmodi reſervatio à communi Jure exorbitet, & Epiſcoporum poteſtati deroget, odioſæ & ſtrictæ interpretationis cenſetur, ac propterea non extenditur ad illa vota, quæ licet habeant cum iſtis aliquam ſimilitudinem, non tamen ſunt omninò, ac in ſpecie eadem. Quare non erit reſervatum votum *caſtitatem* ſervandi non perpetuò, ſed tantùm ad certos annos, nec votum: *non petendi debitum conjugale*, vel *non nubendi*, aut *non fornicandi*: nec votum *ſuſcipiendi Ordines Clericales*, nec votum *conditionatum* (puta, ſi convaluero ex morbo ingrediar Religionem) ante conditionis eventum; votum *ingrediendi Religionem ſtrictiorem*, ut liceat ingredi minus ſtrictam, vel permanere in minus ſtricta:

votum

votum *præ le* V. g. si fornicatus fuero, voveo me iturum Romam. etiam post pœnam comissam DD. mox citandi probabiliter non reservatum ajunt, quod non habeat naturam aliorum votorum, quæ simpliciter & directè fiunt ex affectu erga rem promissam & ob cultum divinũ, sed hoc fiat directè ob aversionem & detestationem peccati.

Votum quoque peregrinationis Hierosolymitanæ nonulli tantùm eo casu reservatum putant, quo factum est intentione subveniendi terræ sanctæ contra hostes Christiani nominis. *arg. tex. & Gloss. in c. ex multa h. t.*

Denique in votis reservatis dispensare potest 12
Episcopus, quando est impedimentum adeundi S. Pontificem, & est necessitas accelerandi dispensationem. id, quod plerumque in voto castitatis contingit, postquã Matrimonium jam contra votum contractum est, propter periculum quotidianæ incontinentiæ. In votis audem peregrinationem impedimentum frequentius solet esse tantùm temporale, ut propterea potiꝰ dilationem quàm dispensationem requirant.

Sed & tunc Episcopo dispensationem concedunt, si subsit dubium Juris, aut facti, an votũ in talibus circumstantiis obligatorium sit. Item si votum reservatum prius S. Pontifex in aliud opus commutârit, tunc Episcopus ex nova causa denuò aliam commutationem facere poterit, neque enim aliud opus in quod commutatio facta est censebitur reservatum ex regula Juris,

quod *ſubrogatum ſapiat naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur*, quia procedit circa ſubſtantialia ſubrogati, ut circa obligationem, non autem circa accidentalia, ſi ea ſint ſtrictæ interpretationis, & non extendenda, ſicuti eſt reſervatio. *vid. Sanch. de Matrim lib. 8 diſp 9. & ſeq. Leſſ. lib. 2. c. 40. dub. 13. Laym. lib. 4. tract. 4. c. 8. n. 8. & ſeqq. Suar. d. l. 6. c. 20.*

Sed inquies, quomodo Pontifex vel Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto, cum tamen votum obliget ex Jure divino, in quo diſpenſatio non conceditur. R. Jus divinum aliquando obligare omnes per ſe ſine omni præſuppoſita voluntate humana, ut in præceptis Decalogi, & ſimilibus, ac in his verum eſt dicere, quod diſpenſare non liceat; aliquando autem obligat jus divinum ex præſuppoſita obligatione humanæ voluntatis, & quàmdiu iſta durat, ut in votis & Juramentis; igitur ſi iſta obligatio humana per irritationem, commutationem, aut diſpenſationem tollatur, ceſſabit etiam obligatio Juris divini, quæ obligationi humanæ voluntatis tanquã fundamento innititur, quia non aliter obligat votũ ex Jure divino, quàm quatenꝰ valet & durat, *vid. Sanch. de Matr. lib. 8. diſp. 6.*

13 Demum vulgaris eſt controverſia, an ſummus Pontifex poſſit in votis ſolemnibus diſpenſare adeóque efficere, ut Religioſus profeſſus poſſit rurſus ad ſæculum redire? Rationem dubitandi facit tex. *in c. cum ad Monaſterium. in fine de ſtatu Monachorum.* ubi dicitur, quod *abdicatio proprietatis.*

prietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis', ita ſint Regulæ Monachali annexæ. ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.

Nihilominus apud Recentiores & DD. cc. communius receptum eſt, poſſe ſummum Pontificem etiam in votis ſolemnibus diſpenſare, quia ſolemnitas votorum eſt tantùm Juris poſitivi. *tex. in c. unico. hoc t in 6.* ergò ſi Pontifex tollat ſolemnitatem, quæ eſt Juris poſitivi conſentiente maximè Religione, & remittente jus ſuum, quod habet in Religioſum, manet tantùm votũ *ſimplex*, in voto autem *ſimplici*, quin Pontifex diſpenſare poſſit, nemo facilè dubitavetit. ad tex. *in d.c. cum ad Monaſterium* communis, & vera eſt reſponſio, quod loquatur in *ſenſu compoſito*, quod ſcilicet non poſſit diſpenſari in votis ſolemnibus cum Religioſo, ut maneat Religioſus, quia per talem diſpenſationem ceſſarent ſubſtantialia Religionis, non autem loquatur ibidem Pontifex *in ſenſu diviſo*, & quod ſtatus Religionis totaliter ab aliquo tolli non poſſit.

Titulus XXI.

Eſt 31. in Lib. 3. Decretal.

De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem.

§. I.

De Religione & ejus requiſitis.

Summaria.

1 *Religio quid.*

2. *Religionis quis ſit finis.*
3. *Cur diverſæ Religiones in Eccleſia.*
4. *De origine Religionum.*
5. *Laus vitæ Monachalis a Juſtiniano Imp.*
6. *Tria vota ſubſtantialia Religionis, & cur magis iſta, quam alia.*
7. *Non habentes omnia tria vota non ſunt veri Religioſi, & poſſunt ad veram Religionem tranſire.*
8. *Ordines Militares an ſint veri Religioſi.*
9. *In profeſſione Religioſa non requiritur ſpecifica trium votorum expreſſio.*
10. *Solenitas votorum conſiſtit in actuali ſui traditione.*
11. *In Societate emittentes vota ſimplicia cenſentur Religioſi.*
12. *Solennitas votorum eſt tantùm juris poſitivi.*
13. *Approbatio Religionis ad quem ſpectet.*
14. *Ad monaſteriorum erectionem vel translationem quæ requiramtur remiſſivè.*
15. *Monachorum appellatione qui veniant.*

Alia Summaria poſt §. 2.

POſt naturam & obligationem *Votorum* in genere præcognitam ad eas perſonas venimus, quæ in ſpecie ſub certa Regula, aut Religione *vota* emmittunt, unde *Regulares* & *Religioſi* dicuntur. vocabulum quidem *Regulares* latius patet, & omnes ita appellari poſſunt, qui ſub aliqua *Regula* vivunt, *Religioſi* verò illi duntaxat propriè nuncupantur, qui votis ſubſtantialibus Religionis ſcil. *Caſtitatis, Paupertatis & Obedientiæ* adſtringuntur, ut mox amplius declarabimus.

1 Porrò *Religio* ex primæva ſua ſignificatione denotat

denotat excelsam illam virtutem, quæ inter omnes morales est præcipua, ac potissima justitiæ pars, quâ DEO debitum cultum & honorem exhibemus, propter ipsius excellentiam, quatenus creationis & gubernationis rerum omnium est primum atque universale principium, sicut ex S. Thoma tradit Miranda *in Man. prælat. tom. 1. q. 1. art. 1.* quod ipsum etiam Cicero solius Naturalis luminis ductu agnovit, dum 2. *Rhetor.* ait. *Religio est, tuitio quædam Naturæ, quam divinam vocant, quæ cultum & cæremoniam Deo affert.*

At verò magis specificè & ad nostrum propositum *Religio* significat vivendi modum & statum Religiosorum: potestque describi, cum Paulo Laym. *in Theol. Mor. Lib. 4. tract. 5. c. 1. n. 1.* quod sit, *fidelium ad Christianæ vitæ, & charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis ac obedientiæ stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.* ex qua definitione.

Colligitur 1. quòd licet diversi sint Religiosorum Ordines, unus tamen omnium sit scopus & finis, *tendere ad perfectionem vitæ Christianæ, & totum se se addicere ad servitium & cultum divinum.* quam in rem præter innumeros S. Scripturæ textus, Mundi, divitiarum & voluptatum contemptum, Christi verò imitationem enixè commendantes, celebris est locus apud Matth. *cap.* 19. ibi. *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (nota Regulam sæcularium, neque enim *omnes capiunt. verbum* quod sequitur, *sed quibus datum est, d. c.* 19.) 2

19.) *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me.* dixi, *tendere ad perfectionem.* nam teste S. Doctore *Religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed si contemnat ad perfectionem tendere.* cum Religio sit schola virtutum, in qua sicut in litteraria aliqui citius, aliqui serius proficiunt.

3 Expediebat autem diversos instituere in Ecclesia Ordines, quia propter diversas Nationes, complexiones & naturas hominum aliqui perfectionem facilius in hoc, quàm in illo assequuntur, dum forsam hujus rigorem, vel illius laxitatem sine corporis aut animæ periculo fere non possent. Item convenientissimum erat, ut ornatissima Christi sponsa Ecclesia *circumdata varietate* diversarum virtutum & perfectionum ad exemplar & imitationem Christi, haberet in corpore suo diversas membrorum operationes juxta illud Apost. *ad Rom.* 12. *cum concord* 1. *ad Cor.* 12. *In uno Corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*) & quosdam Religiosos ordinaret ad vitam contemplativam divinorum Mysteriorum, atque canendas & psallendas jugiter divinas laudes, quosdam ad docendum, prædicandum, & salutaria fidelibus ministranda, ut etiam probat Miranda *in Man. præl. tom.* 1. *q.* 2.

4 Cæterùm institutum vitæ Religiosæ incepisse à tem-

à temporibus Apoſtolorum (imò multi à Prophetis ſolitariis, & Joanne Baptiſta initium derivant) conformiter doctrinæ Evangelicæ temporalium deſertionem, ſoliúsque Chriſti imitationem ſuadenti ex Act. Apoſt. 4. c. ſatis appareret. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat. ſed erant illis omnia communia &c.* Unde S. Chryſoſt. *in lib. 3 contra Monaſt. vitæ vitup.* ait, Eccleſiam Dei fuiſſe initio veluti Monachalem Religionem, & Apoſtolos duxiſſe vitam Religioſam, imò emiſiſſe vota Religionis ex Suarez. & aliis tradit Tambur. *de jure Abb. tom. 1. diſp. 2. q. 3 & 4.* poſtquam verò dilatata fuit Eccleſia, & ex perſecutionibus gentilium diſperſa & diſſipata, ſenſim etiam abundavit iniquitas, & refrigeſcere cæpit Charitas multorum, tunc ſancta illa & generalis fidelium communio ceſſavit, & tantùm penes paucos per Religioſorum Ordinum fundatores & inſtitutores conſervata fuit. Ita enim jam S. Marcus Evang. in Alexandria, & Cletus ſecundus poſt Petrum Romanus Papa Monaſteria, & Cœnobia inſtituerunt. Sicut de his & omnibus ſubſequentibus Ordinum Fundatoribus prolixè agit Barboſa *Juris Eccleſ univ. lib. 1. c. 41* Miranda *d. tom. 1. q. 4.* Plurima poſſemus hic addere Religionis encomia SS. Patrum teſtimoniis corroborata, non ſine magno ſplendore & utilitate Eccleſiæ inde obvenienti (teſte Concilio Trid. *ſeſſ. 25. de Regular. c. 1.*) comprobata, de quibus ante hac

diximus in Libello *de Privilegijs Monasteriorum*, & legi poterunt apud Hieron. Platum, *De bono statu Reli. ioſt.* & alios Aſceticos. ſufficiat ſtudioſis Juris Auguſtiſſima Authoritas & ſententia Juſtiniani Imperatoris *in Nov. 5. in præfat. Converſationis*, inquit, *Monachalis vita ſic eſt honeſta, ſic commendare novit Deo ad hoc venientem, ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili Naturæ decentem, & plurima ſecundùm mentem operantem, & humanis cogitationibus celſiorem.*

6 Colligitur II. Quòd ad ſtatum Religionis eſſentialiter requiratur editio trium votorum, quæ ſubſtantialia & ſolemnia dicuntur, ſcil. *obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis*, cum actuali ſui ipſius in Religionē traditione. de quorū votorū Materia & obligatione in Tit. ſeq. tractatur.

Cur autem hæc 3. vota potius quàm alia utcunque pia Religionem conſtituant? ratio eſt, quòd per hæc vota homo propriè & totaliter ſe offerat Deo in holocauſtum. Habet enim homo hæc tria principalia *Animam, Corpus, & bona*; itaque aſſumptione Religionis *animam* offert per *obedientiam*, ponendo Prælatum vice Dei ſuper caput ſuum *c. ſi Religioſus. 27. de elect, in 6.* ſubjiciendo animam ſublimioribꝰ poteſtatibus, & obediendo præpoſitis ſuis, quos credit ſibi loqui verbum Dei. *ad Rom. 13. ad Hebr. 13.* & hoc eſt præcipuum votum, quia per id, quod eſt excellentiſſimum in homine, nimirum *anima* offertur & ſubjicitur Deo, *Extravag. quorundam. Joann. 22. de*

22. *de verb. signif.* Dein corpus offertur per *castitatem*, per quam efficitur *hostia vivens, sancta, Deo placens, & templum Spiritus Sancti, ad Rom.* 12. & 1. *ad Cor.* 6. & 7. Demùm *bona* temporalia aut possessa, aut possidendorum cupiditas per voluntariam *paupertatem* ad Dei honorem, & servitium promptius exequendum dimittuntur, offeruntur, *Matth.* 19. *Act.* 4. erubescant Acatholici, qui se veros Evangelii sectatores jactitant, & nec ullos hujus Evangelicæ perfectionis sectatores inter suos sectarios monstrare valent.

Colligitur III. Quòd illi, qui non omnia tria vota emittunt, Religiosi propriè dicendi non sint, tanquam deficiente Religionis substantiâ. *arg. c. cum ad Monasterium. in fin. de statu Mon.* & ita aliquando in facti contingentia responsum erat, Mulieres per modum Religiosarum & Monialium cohabitantes, quæ non haberent votum paupertatis, licèt essent sub directione alicujus Ordinis Mendicantium, licitè posse transire ad alium approbatum Ordinem etiam non mendicantium, eò quòd non essent propriè Religiosæ, & alia ipsorum vota censerentur tantùm simplicia, quæ in vota solennia veræ Religionis cujuscunque commutari possent. *c. scripturæ.* 4. & *ibi. DD de voto & voti red.* 7

Ordines quoque militares, qui castitatem tantùm conjugalem vovent non esse propriè Religiosos, licet censeantur personæ Ecclesiasticæ, docet Paul. Laym. *in Theol. mor. l.* 4. *tract.* 4. *c.* 1. *n.* 5. Teutonicos verò & sancti Joannis 8

Hiero-

Hierosolymitani propriè Religiosos asserit, cum Miranda & Henriq. ibidem cc. & refert Miranda *d. tom.* 1. *q.* 10. *art.* 4. quòd quidam professus Ordinem S. Joannis (vulgò de Malta) obtinuerit solvi matrimonium ratum prius contractum, secundùm ea, quæ in Tit. 23. *de convers. conjugat.* dicemus.

9 Verumtamen hic advertendum est, quòd non præcisè requiratur singulorũ istorum votorum expressio in professione, sed quicunque religiosus, qui secundùm morem & consuetudinem suæ religionis à sede Apost. approbatæ, vel unũ etiam votum ex prædictis in professione voverit, v. g. *obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, vel S. Augustini*; non minus obligetur voto *castitatis* & *paupertatis* quàm si ea in specie expressisset. Etenim qui vovet *obedientiam secundùm regulam*, vovet omnia, quæ sunt regulæ substantialiter annexa, sed non minùs vota *castitatis & paupertatis* quàm *obedientiæ* sunt Regulæ Monachali substantialiter annexa. *d. c. cum ad monasterium.* ergò. Estque promissio aliquando *implicita*, & ipsi actui, quem quis agit concomitanter annexa. prout Clericus suscipiendo SS. Ordines censetur vovere castitatem, licet non exprimat. *c. un. de voto. in* 6 & tacita professio obligat sine votorum expressione, ut in §. seq. dicemus. atque in Jure Civili traduntur obligationes ex tacitis pactis, & ex quasi contractibus sine verborum extrinseca promissione. *l.* 2. *ff. de pactis. & t. t. Inst. de oblig. quæ ex quasi contractu. Innoc. in c.*

consul-

consulti. h. t. n. 1. *Nav. in Comment.* 1. *de Regul. n.* 18. *v. vigesimum quartum. Azor Inst. Mor. p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *q.* 2. *& communiter alij.* Quid verò hac in re possit error, aut intentio contraria, in Tit. præcedenti dictum est.

Colligitur IV. Ad statum Religionis non suf- 10
ficere, si prædicta 3 vota quocunque modo emittantur, sed concurrere debet actualis sui in Religionem & Ordinem traditio, atque hujus traditionis ex parte Religionis acceptatio; ex qua traditione & acceptatione vovens se obliget Religioni, & vicissim Religio voventi. quæ censetur esse istorum votorum *solennitas*, unde & *solennia* dicuntur, & *à simplicibus*, quæ quisque privatim & separatim tantùm Deo se obligando emittit, distinguuntur.

Speciale est circa PP. Societatis, quòd licèt 11
post biennium Novitiatus vota tantùm simplicia emittant, neque se religio illis obliget, cùm à superioribus rursus ad sæculum dimitti possint, nihilominus Religiosi dici debeant, habeántque hæc vota sicut alia solennia vim matrimonia irritandi, quæ ante dimissionem legitimam contracta sunt, prout pluribus habetur in Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino.* Neque hoc constituere fuit supra potestatem S. Pontificis, ut aliquibus videtur; cùm enim Juris tantùm positivi consideratio sit, quòd aliqua vota habeantur pro *solennibus*, & aliqua pro *simplicibus* per textum 12
expressum in *c. un. de voto. in* 6. quia in ordine ad Deum par est votorum obligatio, quædam autem

Digitized by Google

tem dicuntur ſoleñia propter aliquam ſolennitatem extrinſecam accedentem, ſcilicet publicam profeſſionem, & ſui traditionem in Religionem, aut SS. Ordinis ſuſceptionem, ideò in arbitrio erit S. Pontificis (ad quem diſpoſitio Juris poſitivi & humani pertinet) quænam vota pro ſolennibus ſaltem in effectu habere, & quales voventes (qui tamen 3. vota ſubſtantialia emittunt) Religioſos declarare velit, præſertim cùm circa hæc vota in Societate emiſſa illa ſit major præ reliquis ſimplicibus ratio, quòd ſaltem vovens ex parte ſua ſe irrevocabiliter obliget & tradat Religioni. Quò pertinet etiam, quòd in Tit. præcedenti. §. 2. n. 13. diximus, poſſe S. Pontificem ex cauſa ſtatum Religioſum, & obligationem votorum ſolennium ab aliquo tollere, & diſpenſando aufferre.

Colligitur V. Non eſſe propriè Religioſos dicendos, qui vota quidem ſubſtantialia emit-
13 tunt, ſed non in Religione approbata, Hæc verò approbatio antè Concilium Lateranenſe, quod fuit celebratum Anno 1216. & refertur *in c. fin. de Religioſ. dom.* etiam Epiſcopis locorum competebat, utpote quibus nullibi reperitur prohibita. Sed poſteà, ne nimia Religionum diverſitas confuſionem in Eccleſia faceret, interdictum eſt in d. Concilio Later. & in Concilio Lugd. *in c. un. de Relig. dom. in 6.* omnis licentia novos ordines ſeu Religiones inſtituendi ſine Authoritate & approbatione Sedis Apoſtolicæ, quæ ſola regulariter Conſtitutiones Concilio-

rum

rum, aliásque Canonicas relaxandi, & desuper disponendi potestatem habet, *Miranda in Man. Prael. tom.* 1. *q.* 3. *art.* 6. Prætereà quæ requiran- 14
tur ad erectionem, vel translationem novi Monasterij, vel alterius habitationis Religiosorum, aut hospitij, in parte 2. in Tit. *de Religiosis domibus*, & in Tit. *de Capellis Monachorum.* dicendi locus erit. Interim videri poterit Miranda *d. tom.* 1. *q.* 33. & prolixè Lauretus de Franchis. *in tract. de Controvers. inter Episc. & Regul.* cum additionibus Zach. Pasqualigi. *Part.* 1. *à num.* 399. *& seqq.* ubi Bullæ Clem. VIII. *Quoniam ad institutam.* Greg. XV. *Cum alias.* & Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, hac super materia editæ referuntur, & cum resolutione plurimarum difficultatum præclarè explicantur.

Postremò ad hunc §. notandum est, quòd li- 15
cet in rigorosa significatione nomen Monachi haud omnibus Regularibus conveniat, qui ob curam animarum, vel alias functiones inter homines versantur, cùm Monachus ex Græca significatione denotet solitarium & merè contemplativam vitam agentem, interim tamen, quia quilibet Religiosus intra clausuram degens suo modo solitarius & à consortio sæcularium remotus est, neque id prò suo arbitrio frequentare potest, ideò *Monachorum* appellatione non tantùm in acceptione vulgi, sed etiam in Jure & apud DD. omnes fermè Religiosi comprehenduntur, nisi in aliqua Materia specialis ratio diversitatis assignari valeat. *arg. c. ex parte. de*

postu-

postulando. & ibi Pan. n. 1. Sylv. V. Religio. 7. q. 1. Miranda d. tom. 1. q. 10. art. 5.

§. II.

De ingredientibus Religionem, ubi de Novitiatu & Professione.

SUMMARIA.

1. *Consensus parentum non requiritur ad ingressum in Religionem.*
2. *Quid, si parentes sint inopes, quos ingrediens in seculo juvare posset.*
3. *Parentes an possint liberos offerre Monasterio, & quid operetur hæc oblatio.*
4. *Cogentes vel impedientes fœminam circa ingressum excommunicantur.*
5. *Metus reverentialis non inducit hanc censuram, ubi aliæ quoque limitationes.* (econtra.
6. *Masculinum comprehendit fœmininum, sed non*
7. *Vovens ingredi Religionem, si non suscipiatur in uno Monasterio, an teneatur aliud ingredi. Item an obligetur ad perseverantiam.*
8. *Quis possit admittere ad novitiatum, & professionẽ.*
9. *De requisitis validæ professionis.*
10. *De professione tacita.*
11. *Professio invalida qualiter ratificari possit.*

HUnc §. paucis quæstionibus magis practicis expediemus.

1 Quæritur itaque I. An ad ingressum in Religionem requiratur consensus parentum? R. Omninò quidem decens esse, & convenire reverentiæ parentibus debitæ, ut eorum consensus requiratur, attamen si consensum dare nolint, licebit

licebit etiam illis invitis ingredi. *c. cum virum. 32. in fin. h. t.* ibi. *quæ in ætate nubili nostitur constituta, quia illorum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem.* & clarius *in c. 2. 20. q. 2.* ibi. *si verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Consentiunt SS. Patres allegati apud Laym. *in Theol. Mor. lib 4. tract 5. c. 4. n. 1.* qui conformiter Evangelio *Lucæ 14.* docent, potiorem esse causam Dei & Christi, quàm parentum.

Sed, quid, si parentes pauperes sint, quibus filius in sæculo subvenire posset? R. Si necessitas parentum extrema, vel saltem gravis existat, & filius habeat vel habere possit media subveniendi parentibus, tenebitur differre ingressum in Religionem, ex præcepto naturali, quod dictat parentibus subveniendum, & juxta illud *Matth. 9. Misericordiam volo, & non sacrificium.* Dummodo filius sine proximo periculo peccandi mortaliter, & interius animæ suæ in sæculo manere queat. Si verò professio jam emissa sit, non potest filius sine consensu Prælati exire ex Monasterio, ut succurrat parentibus (excepta necessitate extrema) nec etiam ad id obligatur. Quia præceptum subveniendi parentibus est affirmativum, quod obligat quidem semper, sed non ad semper, & juxta conditionem personæ, salvóque statu, cui quis se perpetuò obstrinxit. Item videntur aliquando excusandi filij, quo minus teneantur abstinere ab ingressu, si in ea- 2

ætate sint, ut ante multos annos media succurrendi parentibus speranda non habeant, & fortassis etiam tunc res incerta futura sit, ne obligentur, incertum & dubium commodum alterius temporale certiori bono proprio spirituali anteponere. vid. de hac q. Paulus Laym. *d. c. 4. n. 1. & 2.* ubi etiam inquit, necessitatem fratrum, sororum, debere esse graviorem quàm parentum, ut propter eam teneatur quis differre ingressum, cum respectu illorum minor sit obligatio: & Barbosa. *Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 42. n. 20. & 26.*

3 Quæst. II. Utrùm écontra parentes possint liberos absque eorum consensu Monasteriis offerre? rationem dubitandi facit textus *in c. Monachum. 20. q. 1. & in c. cum virum, 12. h. t.* ubi dicitur, quòd *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio faciat: quidquid horum fuerit allegatum tenebit, revertendi ad sæculum aditu penitus interdicto.*

R. Sensum istorum verborum ita communiter exponi à DD. quòd parentes (idque etiam plures de matre intelligunt. *arg. c. quicunque. 20. q. 1.* & communem dicit Panorm. *ubi infra.*) possint quidem liberos impuberes Monasteriis offerre ad eum effectum, ut ante pubertatem egredi nequeant, post pubertatem tamen ad obligationem Religionis perpetuam constituendam liberorum tacitus vel expressus consensus requiratur, præsertim hodie post Concilium Trid. *Sess. 25. de Regular. cap. 15.* ubi generaliter annul-

latur

latur professio ante decimum sextum ætatis annum emissa. ut proinde oblatio parentum assimiletur desponsationi impuberum à parentibus factæ, quæ dum demùm liberos firmiter obligat, si puberes facti ratam habuerint tacitè vel expressè. *c. à nobis. 8. De spons. impub. & c. un. Eod. in 6. Panorm. & Innoc. in c. 2. h. t. And. Vall. eod. tit. §. 2. n. 1.*

Quæst. III. Utrùm sit aliqua pœna constituta in eos, qui personam cogunt ad ingressum in Religionem, vel ab ea impediunt? Hac de re habetur constitutio Concilii Trid. *sess. 25. de Regular. c. 18.* in his formalibus: *Anathemati S. Synodus subjicit omnes & singulas personas, cujuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm Laicos, sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium, vel favorem dederint, quique scientes eum non sponte ingredi Monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint.* 4 Circa eos verò qui ingressum liberum impediunt pergit Concilium ibidem: *simili quoque Anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint.*

Porrò in hanc censuram excommunicationis latæ etiam incidere parentes, qui violenter cogunt vel impediunt filias circa ingressum Religionis, ità tamen, si verum metum, seu coactionem positivam adhibuerint; secùs verò si metus fuerit tantùm reverentialis, dummodò non excesserit limites simplicis persuasionis, nec fuerit conjunctus cum minis verberum, alteriusve gravis mali, resolvunt DD. citati apud Barb. *in Collect. ad d. c.* 18. *Trid. n.* 3. *&* 4. item *n.* 8. *&* 9. docent, non incurri censuram, si metus aut coactio quidem adhibita, sed effectus scil. ingressus secutus non fuerit: Neque tunc, si puella fuerit coacta non ut habitum assumeret, sed ut educationis causâ in Monasterio maneret.

Præterea cùm Constitutio Concilii solummodo de fœminis loquatur, censent non comprehendi casum, quo viri seu masculi coguntur, aut
6 impediuntur. *cc. apud Barb. d. l. n.* 6. licet enim in sensu Juris sub masculino tanquam digniori intelligatur regulariter etiam fœmininum. *l.* 1. *ff. d verb. sign. cum concorde* non tamen écontra sub fœminino masculinum. *l. si ita sit scriptum.* 45. *ff. de Legat.* 2. præsertim in materia pœnali & odiosa. *c. odia. De R. I. in* 6. ubi ne quidem ex paritate rationis solet fieri extensio. Interim non est dubitandum, quin etiam hoc casu grave peccatum committi possit injustè cogendo, vel impediendo, secundùm ea, quæ tradit Miranda *in Man. Præl. tom.* 1. *q.* 16.

7 Quæst. IV. An is, qui fecit votum ingrediendi

di Religionem, si in uno Monasterio non suscipiatur, teneatur aliud ingredi: item an obligetur ad perseverantiam in Religione? R. Ad I. esse distinguendum, an quis in genere voverit aliquam Religionem ingredi, vel an certum tantùm Ordinem, vel denique an certum Monasterium; in primo casu repulsam passus ab uno Ordine tenebitur alium ingredi, non tamen strictissimum, aut valde austerum, quia in generali promissione non continentur ea, de quibus aliquis verisimiliter non cogitavit. *c. in generali* 81. *de R. I. in* 6. Altero casu non susceptus in uno Monasterio debet facere petitionem in alio ejusdem Ordinis. Si nullibi suscipiatur, vel saltem non in tali Monasterio, quod suæ vocationi correspondeat, in quo quietè & religiosè vivere possit voto tantisper liberatus est. Tertio casu pariter solvitur voto, qui non suscipitur in illo Monasterio quod in specie se ingressurum vovit. Vid. Paulus Layman. *in Theol. Moral. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. ubi *n.* 4. contra alios docet, quòd si expost facto Religiosi mutata voluntate parati sint repulsum suscipere, denuò urgeat votum ad ingrediendum tanquam impedimento temporali remoto, nisi tamen notabilis mutatio intervenerit, & vovens v. g. bonâ fide sponsalia contraxerit, aut in alio laxiori Ordine Novitiatum ingressus sit.

R. II. Qui enixam intentionem non habuit se ad ipsam professionem quoquo modo obli-

gandi, in dubio tantùm cenſetur ſe obligâſſe ad experiendam Religionem, unde ſi in Novitiatu bona fide uſus comperiat, ſibi Religionem non congruere, per ingreſſum ſuo voto ſatisfecit, & ad ſæculum redire poteſt. *Laym. d. l. n.* 12. Illud adhuc notari poteſt, quòd vovens Religionem ſtrictiorem quamvis Religionem laxiorem citra diſpenſationem, aut legitimam voti commutationem non licitè ingrediatur, ſi tamē in ea profeſſionem fecerit, valeat profeſſio, quia votum illud ſimplex, vel ſolenne Religionis ſublatum eſt.

8 Quær. V. Ad quemnam pertineat ſuſceptio Novitiorum, vel admiſſio ad profeſſionem? R. Breviter, ubi non eſt conſuetudo contraria, ut pertineat ad ſolum Abbatem, Juri eſſe conformius, ut ſuſceptio Novitiorum, & admiſſio ad profeſſionem pertineat ad Abbatem cum conſenſu Capituli, vel majoris partis Capitularium. *arg. c. ea noſcitur. de his, quæ fiunt à Prælatis, &c. Barb. Jur. Eccleſ. un. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 146. Qualiter verò debeat in Monaſteriis Monialium Epiſcopus ante ſuſceptionem habitus, & profeſſionem per ſe, aut Vicarium, vel alium Commiſſarium explorare fœminæ voluntatem liberam, aliáque Religionis illius requiſita videatur Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 17. *& ibi. Barb. in Collect. DD. & de Offic. Epiſcop. allegat.* 100.

9 Quær. VI. Quænam requirantur, ut profeſſio in Religione valida ſit? R. præter liberum

cujus-

cujusque consensum non vi, aut metu extortum, insuper de Concil. Trid. *sess. 25 de Regularibus. c.* 13. requiri, ut in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum professio fiat post 15. ætatis, & unum Novitiatûs annum, adeò ut professio aliter facta nulla sit, nullámque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, Religionis, vel Ordinis observationem, aut alios quoscunque effectus. Imò licet Novitius ultro suo huic favori renuntiare, simúlque Prælatus cum Conventu eum ante completum annum Novitiatûs, vel 16. ætatis ad professionem admittere vellet, nihilominus talis professio invalida foret, de speciali autem privilegio Monialibus Ord. S Dominici, & qui cum iis communicationem Privilegiorum habent, à Pio V. concesso, ut intra annum Novitiatûs in articulo mortis valeant profiteri ad lucrandas indulgentias & alias gratias professarum, & an hæc professio quoad bona præjudicet heredibus, vid. Miranda. *in Manual. Prel tom.* 1. *q.* 22. *art.* 10. Præterea etiam ex communi DD. sententia requiritur, ut annus Novitiatûs sit *continuus*, & non interruptus, dicitur autem interruptus, si Novitius dimisso habitu exeat è monasterio animo revertendi ad sæculum, licet statim post unum, vel alterum diem pæniteat, & ad Monasterium redeat, nihilominus Novitiatum denuò inchoare debebit. Non autem dicetur Novitiatus interruptus, si retento habitu certâ aliquâ ex causâ v. g. curandæ infirmitatis cum licentia Prælati

extra Monaſterium Novitius moram faciat. *Miranda d. q. 23. art. 4.*

Deinde hìc adnotari poteſt, quòd completo anno Novitiatûs Novitius non ſtatim rejiciendus, aut ſuſcipiendus ſit, ſed poſſit ipſi certa de cauſa fortè ad meliorem probationem, ſi morbo laboret, uſque ad ceſſationem morbi profeſſio per aliquod tempus differri. latè Barb. *d. c. 42. n. 105. & ſeqq & in Collectaneis DD. ad dictum c. 15. Trid.*

10 Quær. VII. Qualiter fiat tacita profeſſio, & an etiam hodie poſt Trid. locum habeat. R. de Jure antiquo clarè conſtitutum eſſe, ut quicunque habitum Novitiorum ultra annum geſtaverit, aut actibus profeſſorum propriis ſe ingeſſerit, vel ſi Novitius ante completum annum Novitiatûs habitum profeſſorum diſtinctum ab habitu Novitiorum ſuſceperit, & per triduum geſtaverit, hoc ipſo tacitè profeſſus, & Religioni obligatus cenſeatur, ſub ea tamen differentia, ut ſi tacita profeſſio fiat intra annum probationis, obliget alicui religioni in genere, ſi poſt annum autem expletum, obliget alicui religioni illi in ſpecie, in qua facta eſt, *c. 1. & 3. h. t. in 6. Clement. 2. eodem tit.*

Porrò hanc tacitam profeſſionem per Trid. ſublatam non eſſe magis inter DD. convenit, dummodo forma Trid. obſervetur, ut ſcilicet actus ille, per quem tacita profeſſio inducitur, à Novitio liberè, ſcienter, & cum intentione profitendi, atque poſt 16. ætatis annum, & unum

con-

continuum probationis fiat, atque vicissim à Religione & Monasterio acceptetur. *Barb. ad dictum c. 15. Trid. in fine. Miranda in Manuali Prælatorum to. 1 q. 24. a. 12.*

Quær. VIII. qualiter professio nulla ratificari, & valida fieri possit. R. Sufficere, si is, qui nulliter professus est, suam obligationem per actum etiam internum, & novum consensum renovet, neque requiri novum annum probationis, aut novam acceptationem superioris: supponimus enim annum probationis rectè transactum esse, & superiorem, ac monasterium in consensu circa acceptationem perseverare. *Nav. h. t. consilio 27. Leß de just. & jure lib. 2. c. 41. n. 67.* non tamen censebitur ratificata professio, si ex ignorantia nullitatis aliquis fecerit actus, quos solent Religiosi facere. cum enim prior consensus fuerit invalidus, novus consensus requiritur, id autem, quod aliquis agit ex suppositione, vel opinione veteris obligationis, non importat novum consensum, quia ignorantis, & errantis non est consensus, quemadmodum si rem meam tibi dem, putans esse tuam, non propterea transfero dominium. *L. 3. §. subtilius. ff. de condict. causâ datâ.* 11

§. III.

De Dispensatione ingredientium, & Juribus circa bona eorum.

Summaria.

1. *Ingrediens Religionem qualiter hodie possit de rebus suis disponere* ex Concil. Trid. sess. 25. de Regular. c. 16.

2. *Ampliatio & restrictio hujus constitutionis.*
3. *An comprehendat dispositionem ante Nativitatem.*
4. *An obliget etiam in terris Imperij.*
5. *Executio dispositionis ab ingrediente facta quando assumenda.*
6. *Novitius an teneatur adhibere in sua dispositione solennitates Juris Civilis.*
7. *Religiosus non censetur propriè civiliter Mortuus.*
8. *Religiosus non bene comparatur cum servo, & ibi multa disparitates.*
9. *Ingredientem sine dispositione sequuntur res sua.*
10. *Monasteria omnia etiam Ordinum mendicantium (exceptis Capucinis, & Franciscanis) hodie sunt bonorum capacia.*
11. *Bona feudalia, & emphyteutica an transeant ad Monasterium.*
12. *Ususfructus quo sensu acquiratur Monasterio.*
13. *Novitij dispositio ante professionẽ mortui an valeat.*
14. *Novitio sine dispositione mortuo quis succedat.*
15. *Patria potestas an & quatenus per ingressum in Religionem solvatur.*
16. *Pater ingrediens an amittat usumfructum in adventicijs filij.* (neat.
17. *Filio ingrediente an Pater usumfructum reti-*
18. *Legitima an debeatur filio professo in vita parentis.*
19. *Quid è contra si pater fuerit professus, an statim legitima debeatur liberis in seculo relictis.*
20. *Pater sine dispositione professus an & qualiter adhuc post professionem inter liberos disponere possit.*
21. Auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles. *an sit valida constitutio.*

22. Di-

Digitized by Google

22. *Disponens ante ingressum an teneatur Monasterio relinquere legitimam.*

23. *Professus quia acquirit omnia Monasterio, an & quatenus teneatur Monasterium ex ejus contractu vel delicto.*

24. *Fidejussor Religiosi illicitè contrahentis an obligetur.*

QUæritur I. an & qualiter ingrediens Religionem de rebus suis disponere permittatur; R. Licet aliàs quilibet rei suæ moderator sit & arbiter, ac cæteris paribus, si scil. legitimæ ætatis, sui Juris & sanæ mentis, liberè de rebus suis disponere valeat, *L. in re mandata. C. mandati.* atque contractus semel initi fiant necessitatis, & regulariter irrevocabiles *L. sicut. de O. & A.* quia tamen facilè accidere potest, ut ingressuri Religionem nimio zelo ducti, nec prævidentes inconstantiæ & regressus, fortassis ob novam causam morbi aut aliam, periculum bona sua præmaturè in alios distribuant, ita ut, si ex post facto ad sæculum redire vellent aut deberent, magna egestate laborarent, ideo Concil. Trid S. 25. *De Regul. c.* 16. pro favore ingredientium edidit constitutionem in hæc verba: *Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento vel in favorem cujuscunque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta Professione, aliter vero facta etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione etiam jurata, sit irrita & nullius effectus. Sed neque ante Professionem, excepto victu & vestitu* I

Novitij vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile si discesserit, id recuperare possit: quin potius præcipit S. Synodus sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo pacto fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, &c.

Itaque ex hoc textu satis constat, ut contractus vel obligatio ante Professionem facta valeat irrevocabiliter, tria debere concurrere 1. ut fiat intra duos menses proximos ante Professionem. 2. ut fiat cum licentia Episcopi vel ejusdem Vicarii. 3. ut Professio subsecuta sit.

Explicatur hæc Trid. constitutio per DD. quos plena manu refert Barb. *ad d. c* 16 *Trid. & de Offic. Episc alleg.* 99. *n.* 17. ut præter donationes liberales comprehendat etiam renuntiationem beneficiorum Ecclesiasticorum, & officiorum sæcularium, fidejussionem, liberationem, qua Novitius Tutorem vel Curatorem suum à reddendis rationibus liberat; item ut intelligatur de Professione subsequenti valida, & non sufficiat Professio de facto tantùm emissa, si Jure non subsistat, nisi ex post facto de novo ratificetur: & demùm ut locum habeat non tantùm de Minorennibus, sed generaliter quibuscunqi etiam majorennibus, ut à Sac. Congregatione declaratum referunt cc. apud Barb. *d. all.* 99. *n.* 18.

Restrin-

Restringitur verò eadem constitutio, ut non comprehendat contractus oneroſos v. g. emptionis, venditionis, permutationis, &c. in quibus tantundem recipit Novitius quantum dat: Neque testamenta codicillos aut donationes mortis causa, quæ ex sua natura revocari possunt, si Novitius ex Monasterio regrediatur, tanquam morte naturali vel civili non confirmata: Neque victum aut vestitum, quem pro se tribuit Novitius Monasterio. Item in aliquibus Religionibus usu receptum non esse, ut ab Episcopo petatur licentia disponendi de rebus suis ex Vega & Sanch. refert. Barb. *d. c.* 16. Trid. *n.* 28.

Denique multi DD. existimant hoc Concilii 3 Decreto, quod expressè tantùm de Novitiis loquitur non comprehendi obligationem, aut renunciationem factam ante Novitiatum adhuc in sæculo. alii verò contrarium sustinent putantes, Concilium æquè de dispositione in sæculo facta quam in Novitiatu intelligendam esse, dummodo intuitu ingressus facta sit. *vid. cc. apud Barb. dd. locis.* Prioris sententiæ fundamentum sumitur ex communibus regulis, nimirum, quòd correctio Juris vel constitutio pœnalis aut irritans contractus sit odiosa & strictè, prout loquitur, interpretanda; quòd volenti non fiat injuria: quòd damnum quod quis sua culpa sentit sibi imputandum sit; quòd ingrediens debuisset fuisse cautius mercatus, &c. Posterior sententia fundatur in *mente* Concilii Trid. cujus inten-

tio

tio fuit præcavere, ne ingredientes ob præproperam bonorum distributionem à regressu impediantur, vel certè regredientes in paupertate vivere debeant: quæ ratio tanto magis etiam circa existentes in sæculo procedit, quantò ipsi eventum Religionis, & supervenientes causas regressus minùs prævidere possunt. Et aliàs frequenter eludi posset Concilium, si nimirum curarent Parentes vel Consanguinei, ut ante ingressum liberi renunciarent, ne deinde post ingressum possent retrocedere. Accedit etiam ratio æquitatis, quòd in dubio potior sit conditio ejus, qui certat de damno vitando, quam qui de lucro captando.

Quare si quis notabilem bonorum partem per donationem, aut alio modo intuitu ingressus inconsulta facilitate alienasset, ita ut ad sæculum redire non posset, vel rediens magnum exinde damnum sentiret, crederem ipsi saltem per beneficium restitutionis in integrum de æquitate subveniendum, idque non tantum si minorennis esset, sed etiam si majorennis, ex illa generali clausula Prætoris *in l. ff. ex quibus causis Majoris.* ibi. *siqua alia mihi justa causa videbitur in integrum restituam.* ad quam clausulam toties descendendum, monet Ulp. *in l. sed & si. 26. §. item inquit. ff. jam. d. tit.* quoties *æquitas restitutionem suggerit.*

4 Quæritur II. an ista constitutio Concilii Trid. etiam in terris Imperii obliget? R. affirmativè. I. quia loquitur de Novitiis, qui quoad privile-

gium

gium Canonis & fori aliosque effectus censentur esse de foro Ecclesiastico; *c. Religioso. de sent. excom. in 6. Navar. cons. 5. &. 6. de foro comp.* consequenter in eorum dispositionibus attenditur jus Canonicum, *c. quod Clericis. de foro comp.* Nec obstat, quod possint redire ad sæculum; nam ad valorem contractus spectatur tempus & locus, quo initus est. *l. 6. ff. de evict.* II quia jus Civile suppletur per Canonicum ex causa præsertim æquitatis; *c. 1. de novi oper nunc.* licet verò hic jus Civile sit contrarium in terminis generalibus, *L. in re mandata. C. mandati.* non tamen in hoc speciali casu, ubi multa æquitas pro Jure Ecclesiastico pugnat. III. quia causa de qua disponit Concilium, rectè numerari potest inter *Ecclesiastica*; cum agatur de rectè ordinando statu Ecclesiastico; & non impediendo regressu ex Monasterio.

Quæstio III. an executio dispositionis ingredientis statim facienda post professionem, vel expectanda sit mors naturalis professi? R. si ingrediens actum inter vivos v. g. donationem fecerit, talis actus, sicut statim obligat, ita statim executioni mandandus erit. Si verò ingrediens disposuerit per actum ultimæ voluntatis, testamentum, codicillum, &c. (circa quam Novitius, qui actu Novitius est, non tenetur observare solennitates Juri Civilis, sed potest se conformare Juri Canonico, de cujus foro jam effectus esse censetur. *c. quod Clericis. de foro comp. Clarus in §. testamentum. q. 38. n. 2. & ibidem Harp. in addit.* 5

Digitized by Google

in addit. n. 1. Tamb. de jure Abb. tom. 3 disp. 6. q. 28. secus si ante Novitiatum testetur, nisi quatenus disponit ad pias causas. *Salic. in auth. siqua mulier C. de SS. Eccles. arg. L. ex eo 42. ff. de milit. testam.*) si, inquam, per actum ultimæ voluntatis disposuerit ingrediens, tunc si Monasterio aliquid reliquit, id statim illi acquiritur, quia idem fieret, licet dispositionem non feciſſet. *auth. ingressi. C. de SS. Eccles.* si verò reliquerit extraneis, consuetudo locorum inprimis attendenda erit: à qua abstrahendo, multorum est doctrina cum Barb. *in d. auth. si qua mulier. n. 10.* Panorm. *in c. in præsentia. de probat. n. 60.* quos sequitur Covar. *in c. 1. de testament. n. 6.* Sanch. *de Matrim. lib. 6. disp. 17. n. 9.* esse distinguendum inter Monasteria bonorum capacia & incapacia, ita ut in his professio comparetur morti naturali, cum dominium nec in communi nec in particulari retineatur, unde nisi statim fieret executio testamenti, dominium bonorum in vita Religiosi videretur esse nullius: in illis verò voluntmortem naturalem expectandam esse, & interim bona à Monasterio possideri. Nisi tamen ingrediens nominatim aliter disposuerit. *adde Molinam, de Just. & Jure disp. 140. n. 4.* prout legata in vita testatoris præstari, & aliquid *pro legato* in vita testatoris usucapi potest. *Colendiss. meus olim D. Profes. Arnold Rath. in Tract. de usuc. c. 3. as. 21.*

Dices etiam Monasteriis bonorum capacibus professus censetur *civiliter* mortuus. quòd Religiosus Professus moriatur quidem mundo *spiritualiter*,

tualiter, non verò propriè *civiliter*, id eſt, quoad effectus Juris Civilis, aliàs ne quidem cum conſenſu Prælati poſſet agere in judicio, & minus judex eſſe, neque ſuccedere. deinde *mors Civilis* non confirmaret, ſed potius irritaret teſtamentum. §. 5. *Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* quòd autem Religioſus non poſſit teſtari poſt profeſſionem, fit exinde, quod ſuam voluntatem in alium reſignârit, ſicut arrogatus filiusfam. effectus. Minus Religioſus perdit *libertatem in ſenſu Juris.* ita ut *ſervus* efficiatur, certè nec filius prohibente Patre pro ſuo libitu agere, aut teſtari poteſt, nihilominus homo *liber* non *ſervus* cenſetur. quamvis enim libertas deſcribatur, quòd ſit *naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet*, additur tamen; *niſi quid vi, aut Jure prohibeatur.* In cœteris quoque plurimum diſſimilis eſt ſimilitudo inter *monachum & ſervum*, ut ecce ſervus nullo reſpectu quid proprium habere poteſt, ſed quidquid acquirit, Domino acquirit, etiam ignoranti & invito. §. *item vobis.* 3. *Inſt. per quas perſonas cuique acquir.* Monachus quamvis ex ſua particulari perſona nihil proprium habeat, ea tamen, quæ toti Monaſterio, etiam ipſi Jure identitatis, quatenus in Corpore Monaſterii eſſe habet, ſunt propria, ut paulo inferius ex dicendis apparebit. Servus ne quidem cum conſenſu Domini poteſt munera publica vel judicialia obire, cum Dominus per ſuum conſenſum non poſſit derogare Juri publico. *l. Barb. de officio Præt. lib. 7. ff. de teſtibus.* Religioſus cum conſenſu 8

Prælati potest esse procurator in judicio, *Clem. 3. de Procurat.* Advocatus, *c. 2. & ibi. Barb. & DD. de postulando.* imò & judex, scil. Episcopus, vel vicarius Episcopi. *Barb. de offic. Episc. alleg. 54. n. 22.* servus non potest accusare Dominum. *l. pen. & fin. C. de his qui accus. non poss.* Monachus potest accusare Abbatem etiam sumptibus Monasterii. *c. ex parte 11. de accus.* Denique ut innumera alia prætereamus, status servilis abjectus est & vilis, statum autem Monachalem præter SS. Patres commendat Justinianus *in Nov. 5.* ut & § *præced.* dictum.

9 Quær. IV. quid Juris, nullâ dispositione factâ ante professionem? R. Quod si ingrediens professionem fecerit in Monasterio sine præcedenti dispositione, hoc ipso omnia sua censetur transtulisse in Monasterium. *auth. ingressi. C. de SS. Eccles. & auth nunc autem. C. de Episc. & cler.*

10 Ubi etiam adnotandum quod hodie Concilium *Trid. sess. 25. de Regular. cap. 3.* concesserit, *omnibus Monasteriis & Domibus tam virorum, quàm mulierum, & mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum qui Minores de observantia vocantur, etiam quibus ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Privilegio Apostolica non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

11 Quid autem dicendum sit, de bonis feudalibus, fideicommissis, & Emphyteuticis, in quibus Domini directi aliorumque præjudicium versatur, ne eorum efficiatur durior conditio, cùm Mona-

Monasterium sit alterius fori & difficilioris conventionis, & nunquam moriatur, ideoque nulla sit aperturæ, seu caducitatis, aut laudemii spes? videatur optimè pro favore Monasteriorum Barbosa, *Jur Eccles univ. lib. 3. c. 31.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. disp. 11. q. 4.* sententia est probabilior talia bona posse saltem retineri à Monasterio, quamdiu Religiosus vivit, quia si in sæculo mansisset, potuisset ista bona possidere ad vitam suam, ergo non debet esse deterioris conditionis, si Monasterium ingrediatur.

Ad textus porrò feudales, qui in contrarium allegari solent, plures explicationes adducit Fachin. *l. 7. controv. c. 34.* ex quibus illa videtur inter DD. receptior, quod intelligendi sint, de talibus feudis, quæ requirunt personale servitium, quod non sit pecuniarium, nec per substitutum convenienter impleri possit. sicut colligitur ex illa causali, quam tradit Feudista J. C. in tit. *de vasallo milite, qui arma bellica deposuit,* ibi. *eo quòd definit miles esse sæculi, qui factus est miles Christi, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.* Unde etiam in Regnis, Ducatibus, & similibus dignitatibus non succedit Monasterium, quia requirunt personalem administrationem & præsentiam in Comitiis, bello, &c. cæterùm verò Clericos & Monasteria non esse simpliciter feudorum incapacia constat ex tit. feud. *de Capitulis Corradi. in fine. & c. verum de foro comp. Fachin. d. c. 35.* Illud quoque hic adnotandum est, si vasallus vel emphyteuta faciat

ciat professionem, non teneatur propterea m
nasterium renovationem investituræ petere
vel præstare laudemium, quia persona v
salli non mutatur (supposito quod etiam e
dem Domini persona perseveret) cum Mona
sterium tantùm retineat feudum, vel emphyte
sim, quatenus Religiosus unam fictam pers
nam cum Monasterio constituit,, quæ ficti
identitatis personæ per mortem naturalem Re
ligiosi solvitur.

12 Quemadmodum per eandem fictionem ex
plicari potest, qualiter *ususfructus*, quem aliqu
in sæculo habuit, ad Monasterium transeat sa
tem quoad vitam usufructuarii, cum tame
ususfructus jus merè personale sit, & in aliu
transferri nequeat. *L si ususfructus 66. ff. d
jure dotium*, quia retinetur à Monasterio, qua
tenus Religiosus usufructuarius est membrũ Co
poris Monastici, & cum eo unam fictam pers
nam constituit.

13 Quær. V. si Novitius ante professionem mo
riatur, valebitne ejus dispositio vel donatio fa
cta Monasterio aut alteri.

Rſ. I. In casu factæ dispositionis per actum in
ter vivos scil. renuntiationem aut donationem
plures DD. censent per mortem ante profe
sionem totam dispositionem irritari, eò quò
in Concilio Trid. *d. sess. 25. de Regular. c*, 16. ex
presse dicatur, quod quæcunque obligatio p
novitium facta *non aliàs intelligatur effectum sun
sortiri, nisi secuta professione*. talia autem verba

non alias, non aliter, debent in forma specifica impleri, & non recipiunt aliquam modificationem per extensivam interpretationem, teste Jas. *vol. 3. cons. 86. n. 16.* deinde II. in eodē Concilii loco jubetur, ut *abeuntibus omnia sua restituantur*, morientes autem dicuntur *abeuntes* apud Terent. in Phormione. *mortem obiit, & de medio abiit* denique III. etiam ante Concilium fuit probabile revocari donationem per mortem ante professionem, ex præsumpta voluntate donantis, Atq; ex his argumentis istam sententiam cum pluribus DD. cc. amplectitur Sanch. *in præcepta Decal. tom. 2. lib. 7. c. 5. n. 49.*

Verùm pro contraria sententia, & dispositionis valore stat paulus Fuscus *de visitat Epis. lib. 2. c. 15. n. 17.* apud eundem Sanch. *d. l. n. 48.* cui & ego antehac in libello *de Privileg. Monast. Privil. 10.* calculum addidi, & multum probabilis mihi videtur, licet pro priori plures numero DD. videam allegari; Ponderandæ tamen, non numerandæ sententiæ. *tex. & gl. in l. 1. C. de vet. jure enucl.*

Enimverò certi & notorii juris tam naturalis, quàm humani est donationem aliámve obligationem deliberatè, & circa res, super quibus alicui dispositio competit, factam, esse perpetuam, nisi aliquis casus ostendatur specificè in jure exceptus. *l. 1. ff. de pact. l sicut. de O. & A. t. t. de donat. cum concord.* Sed casus mortis in Novitiatu contingentis non est specialiter exceptus, ergo, &c. & quidem de Jure commun,

non extare textum expressum hujus exceptionis in confesso esse debet, tota igitur difficultas pendet ex Concilio Trid. sed quia intentio Concilii tantum fuit providere, ne vel ultimo momento regressus ex Monasterio impediatur, ideo ubi amplius non est libertas regrediendi, scil. post professionem, vel mortem Naturalem, tollitur etiam dicta Concilii provisio, & habet locum, quod dicitur, cessante ratione legis, cessat ipsa lex. *l. adigere v. quamvis. ff. de jure Patron.* & leges ita interpretandæ sunt, ut verba intentioni, & non intentio verbis deserviat. *c. secundo. 41. de appel l. scire leges ff. de LL.* Neque conveniens, ut quod in favorem Novitiorum ad avertendum damnum, & impedimentum regressus est introductum, in eorum odium retorqueatur, ut v. g. in periculo mortis, & extra spem professionis constituti donare aut inter vivos disponere nihil valeant. *c. quod ob gratiam. de R. I in 6.* indeque deterioris conditionis efficiantur, quàm quilibet alii homines.

Ad contraria non est difficile respondere. nam ad I. dici potest, quod esto verba *non aliàs, &c.* non recipiant modificationem, id tamen procedat, in casu de quo secundùm intentionem legis vel constitutionis loquuntur, ut in proposito, quando sumus in terminis ubi potest sequi professio, vel adhuc supersesse regressus ad sæculum, secùs in diverso, & ubi mors intervenit, nec impeditur libertas regressus, nec bonis opus est morienti. accedit, quod professio non sit de

forma

forma dispositionis, quia eam non ingreditur, sed tantùm conditio extrinsecè superaddita.

Ad II. cuilibet facile incidit, quod Trid. verbo, *abeuntibus*. non intellexerit morientes, sed abeuntis ex Monasterio, neque enim modus loquendi, nec ratio est, *ut morientibus restituantur res suæ*. unde licet morientes dici possint per phrasim *abeuntes*, sed non dicuntur ad sensum hujus loci.

Contra III. facit, quod ante Concilium Trid. docuit Panorm. celeberrimus SS. Canon. Interpres. *in c. in præsentia. 8. de probat. n.* 67 bona morientis ante professionem acquiri Monasterio, si ea expressè contulit Monasterio, nec ante mortem voluntatem mutavit. idemque post Concilium scribens tenet Miranda *in m n. Præl. q.* 23 *art.* 8 *concl.* 4 Fachin. *lib* 6 *cont. ov. cap.* 19. Dices, si Novitius sciviſſet se non assecuturum Professionem; forsan aliter disposuisset. replico, forsan non aliter, præsertim si pro causa pia, si pro anima sua disposuit, in dubio melior possidentis conditio, possessio autem pro voluntate in dispositione facta expressa stare videtur. Interim non omnino negaverim posse in aliquo speciali casu forsan tales circumstantias concurrere, ut qui disposuit in ordine ad professionem; non censeri debeat idem voluisse disponere in casum mortis ante professionem, quod prudens judex arbitrabitur.

Hactenus de dispositione per actum inter vivos. quòd si dispositio facta sit per actum ulti-

mæ voluntatis, testamentum, codicillum, donationem mortis causa, sicut ista dispositio ex magis communi DD. sententia non comprehenditur sub constitutione Concilii Trid. *d. c.* 16. ut tradit. Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 99. *n.* 12. ubi penè innumeros authotes accumulat, ita quoque ad eam non pertinebit supra dicta Concilii clausula *ut non aliàs intelligantur effectum suum sortiri, secuta professione*, sed tanquam *ultima voluntas* morte confirmabitur.

14 Quær. VI. si Novitius, absque dispositione decesserit & saltem *tacitè* professus non fuerit, an tunc Monasterio vel consanguineis debeatur hereditas? R. in utramque partem esse DD. apud Clarum *in* §. *testamentum q.* 28. præcipuè verò apud Sanch. *in præcepta Decal. lib.* 7. *c.* 3. *n.* 91. *& seq.* Pro Consanguineis tamen resolvit Panorm. *in d. c. in Præsentia, de probat. n.* 58. eò quod non sit causa petendi ex parte Monasterii, cum ante professionem aliquis cum effectu Religiosus non censeatur. *c. Religioso* 21. *v. quamvis. de sent. excom. in* 6. idemque tenet cum ingenti cumulo Authorum Sanch. *d. l. n.* 92. *& cap.* 5. *n.* 51. reprobat etiam *d. c.* 3. *n.* 96 illam limitationem, quam quidam ponunt, cum Fachin. *lib.* 6. *controv. c.* 19. *& alijs.* nisi Novitius habuerit absolutam voluntatem manendi in Religione. Nam ista voluntas (quam supponuntur omnes Novitii saltem ab initio habere) non sufficit ad perpetuò obligandum.

Mona-

Digitized by Google

Monasterio nisi accedente expressa vel tacita professione præsertim hodie post Concilium Trid. *sess. 25. de Regular. c. 15.* ex quo nulla professio obligat ante annum integrum Novitiatûs expletum.

Quòd si Consanguineos Novitius defunctus non haberet, putarem Monasterio potiùs quàm Fisco successionem adscribendam. Si quis enim ex aliquo Collegio honesto Decurionum, Militum, Naviculariorum &c. decedat sine legitimis heredibus, bona ipsius non ad Fiscum, sed ad ipsum Collegium deferuntur. *l. 1. & t. t. C. de hered. Decur.* At verò Novitius censetur esse de Collegio Monasterij, cùm ibidem habeat forum judiciale & paræciale, item & Privilegium Canonis. *Navarr. cons. 5. & 6. de foro comp. d. c. Religioso.* ergò &c. Idque confirmatur *ex l. si quis presbyter. 20. c. de Episc. & Cler* ubi generaliter deciditur, quòd in bonis quarumcunque personarum ad vitam vel servitium Ecclesiasticum destinatarum, si absque legitimo herede defungantur (quod tamen hodie in Religiosis *professis* aliter se habet, in quorum bonis etiam consanguinei excluduntur, quibus legitima non debetur. *auth. nunc autem. C. jam d. t.*) non fiscus, sed Ecclesia succedat. adde *tex. in l. 10. ff. de jure fisci.* quòd in dubiis quæstionibus rectè contra Fiscum respondeatur, idque tantò magis, si cum eo causa pia & favorabilis concurrat. *l. sunt personæ. ff. de Relig. & sumpt. fun.*

Quær. VII. De Patria potestate an, & quatenus

tenus per ingreſſum in Religionem ſolvatur? Conveniunt DD. quòd *circa perſonam* per ingreſſum ſolvatur Patria poteſtas, ſive Pater, ſive filius ingrediatur. Ratio eſt, quoad Patrem, quia cùm is jam ſit in poteſtate Abbatis, alium in poteſtate habere non poteſt: quoad filium verò, quia per profeſſionem prorſus ex domo Paterna, & Patris obedientia abſtrahitur, transitque in obedientiam Abbatis incompatibilem cum poteſtate ſæculari Paterna. *Panorm. in d. c. in præſentia. 8. de Probat. n. 54. & in c. 2. h. t. n. 2. Sanch. in Præcepta Decal. tom. 2. lib. 5. c. 5. n. 29. & alii communiter.* addunt item plerique quòd patria poteſtas reſpectu filii ingreſſi ſolvatur in quantum eſt Monaſterio oneroſa, non autem in quantum eſt favorabilis; unde inferunt. filiumfam. per ingreſſum jura ſucceſſionis & ſuitatis non amittere. *addit. ad Panorm. d. n. 54. cum Barth. & alijs. Sanch. d. l. n. 30. arg. c. quod ob gratiam. de R. I. in 6. adde arg ex Nov. 81. c. 2.*

Conveniunt præterea, quòd circa bona, quæ filio poſt profeſſionem adveniunt, Pater nihil juris acquirat, tum quòd jam cauſa acquiſitionis ſcil. Patria poteſtas ſublata ſit, tum etiam, quod ex ſpeciali privilegio Imper. omnia bona filiis poſt Clericatum advenientia in numerum *quaſi Caſtrenſis peculij* redacta ſint. *auth. presbyteros. c. de Epiſc. & Cler. Panorm. in d. c. 8. n. 56. Sanch. d. tom. 2. l. 7. c. 13. n. 44 ubi ait, nullum à ſe viſum eſſe, qui circa hoc punctum dubitaret.*

Tota igitur difficultas eſt circa bona adventicia

ticia filii in quibus Pater ante ingreſſum ex Jure Patriæ poteſtatis uſumfructum habuit, an eundem per ingreſſum ſuum amittat? ſuppono tamen Patrem aut filium aliunde habere ſufficientia bona & media ad vitæ congruam ſuſtentationem, in præjudicium enim alimentorum non dubito quidpiam ſtatuendum haud eſſe, cùm ad ſubveniendum his perſonis conjunctis in neceſſitate ipſum quoque ingreſſum differendum ſuperius *in* §. 2 *q.* 1 *n* 2. dixerimus.

Quòd ſi itaque Pater ingrediatur, triplex eſt 16
ſententia: una ſimpliciter affirmat amitti uſumfructum tanquam ceſſante cauſa Patriæ poteſtatis, alimentationis, & adminiſtrationis, cui etiam adſtipulatur Fachin. *lib.* 6. *controv. cap.* 12. cujus tamen novum, ut vocat argumentum, quòd ſcil. uſusfructus in perſona Patris conſiſtere, vel ad monaſterium utpote Jus perſonale, tranſire nequeat, ſolidum non eſt, qualiter enim uſusfructus poſſit ad monaſterium tranſire ſuperius diximus, & explicat Sanch. *d. lib.* 7, *cap.* 13. *num.* 49.

Altera (quam probabiliorem reputat Sanch. *d. l.* 7. *c.* 13. *n.* 70.) ſimpliciter negat amitti uſumfructum, eúmque monaſterio in vita Patris adſcribit, cùm non appareat differentia inter uſumfructum paternum, & alium, generaliter verò *in auth. ingreſſi. C. de SS. Eccleſ.* ſtatuatur, ut ingreſſi omnia ſua transferant, & uſusfructus dependeat quidem à Patria poteſtate in acquiri, ſed non in conſervari, poſsintque bona ſatis

per

cto, & voluntate filium è poteſtate dimittit: æquitati autem, quia mediam viam tenet, & utrique patri aliquid attribuit. Satis enim durum, ut monaſterium integrum uſumfructum ex perſona Patris in bonis filii retineat, & bona filii per officiales monaſterii adminiſtrentur, Pater verò adminiſtret nihil, filium non alimentet, non curam ejus gerat &c. nec multùm urget inſtantia de amentia Patris, quia ibi præter cauſam miſerationis, *cum afflicto non ſit addenda afflictio. c. ex parte. 5. de Clerico agrot.* ſaltem ex bonis patris alimenta præſtantur filio. Econtra tamen etiam ſatis durum foret, Patrem, qui antehac multam curam filio impendit, omni Jure Paterno, quod leges ipſi tribuunt, privare, cùm utilitas, quæ obvenit monaſterio, etiam in ipſum aliquo modo redundet.

Quær. VIII. Quando ponitur filius ingreſſus Religionem, an tunc Pater in ſæculo retineat uſumfructum, quem prius habuit in bonis adventiciis filii? Rursus gravis inter DD. concertatio eſt. Affirmativè pro favore Patris reſpondet Sanch. *d. lib. 7. c. 13. n. 39.* eò quòd nulla poſſit eſſe ratio amittendi hujus uſusfructus, quàm ceſſatio Patriæ poteſtatis, at verò jam ſuperius dictum eſt, uſumfructum ſemel acquiſitum, non dependere à Patria poteſtate in conſervari. & allegat *l. ult. C. ad Tertull & l. 3. C. de uſufructu.* quæ tamen hunc caſum in ſpecie non habent; poſſet verò *ex d. l. 3. §. 1.* aliquod argumentum ſumi. citat præterea in eandem ſen- 17

tentiam

tentiam Authores quamplurimos, qui ibidem videri poterunt.

In Contrarium & pro favore Monasterii præter paucos apud Sanch. *d. l. n. 38. cc.* inclinat Panorm. *in a. c. in præsentia. n. 56.* sed nullo efficaci argumento confirmat. Relinquo tamen pro hac parte considerandum. I. textum *in Nov. 5. c. 5.* ubi Imperator vult, ut res professi transeant *omninò* in monasterium, sed non transit *omninò* quod transit quoad solam proprietatem. II. valet argumentum à Republ. & Militia ad Religionem. *Everh. in Top. loco à fisco ad Ecclesiam, & loco, à militè ad Ecclesiam. Lauret. de Franchis de controv. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 96. & ibidem Pasqual in addit.* sed quando filius favore reipublicæ aut militiæ ob dignitatem vel cingulum liberatus à curia liberatur à Patria potestate, liberatur quoad personam & bona *Nov. 81. c. 1.* ibi: *peculium eis donans, & liberi arbitrij esse præbens &c.* ergò &c. Et sicut in illo casu Pater in quantum gravatur ex amissione usufructus, relevatur ex honore filii, ita in isto ex precibus, ex accomodatione sancta & honesta filii, & honore status Ecclesiastici, ex cessatione alimentorum, administrationis bonorum, &c. Et licet aliàs nemo per factum suum possit alterius conditionem deteriorem facere, id tamen non procedit, quando deterioratio non est directè ex facto, sed ex authoritate juris, sicut si filius in casu *d. Nov. 81.* dignitatem affectaret, & consequeretur. Cùm igitur pro utraque parte sint rationes

tiones & authoritates, si res in praxi ex consuetudine, vel amicabili compositione decidi non posset, forsan non incongruè tentaretur iterùm via media, & dimidia pars ususfructus patri, altera monasterio assignaretur, authoritate *d. l. cum oportet. §. 3. C. de bonis quæ liberis.* Pater enim consentiendo in egressum filii, in effectu idem præstat, ac si emanciparet, ubi autem eadem est ratio, eadem censetur esse Juris dispositio. *l. non possunt. 12. cum l. seq. ff. de LL.*

Quær. IX. Quid statuendum sit de *legitimâ*, anne hanc filio Religionem professo teneatur Pater adhuc in vita sua protinus consignare, negativam dicit indubitatam Jas. *in auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles. n. 56.* quem refert & sequitur cum aliis Sanch. *d. l. 7. c. 10. n. 12.* quia viventis non est hereditas. *l. qui superstitijs. ff. de acquirendâ hered.* & legitimâ post mortem primum computatur. *l. 1. §. si impuberi. ff. de Collat. bon.* excipiunt tamen casum, quo Pater vergeret ad inopiam dissipando bona sua. Item sicut in matrimonio carnali pater tenetur dare dotem filiæ, & filio donationem propter nuptias. *L. fin. C. de dotis promiss.* ita pariter ad aliquid simile teneri, si filia, aut filius per ingressum in Religionem, aut susceptionem SS. Ordinum ad spirituales nuptias transituri sint, docet Sanch. *de Matrim. lib. 4. disp. 26. n. 6.* Barb. *De officio Epis. p. 2. alleg. 19. n. 36.* cum Baldo *in d. l. fin. & pluribus alijs ibid. cc.* cum admittatur argumentũ â matrimonio carnali ad spirituale, *c. inter corporalia. de*

trans

translat. Epiſc. Everh. in Top. loco à Matrimonio carnali ad ſpirituale. n. 4.

49 Quær. X. quid è contra, ſi pater Religionem profiteatur, an ſtatim debeatur filiis in ſæculo relictis legitima, vel potius Monaſterium poſſit eam retinere, quamdiu pater vivit? Licet DD. ſatis conveniant, quod ſtatim debeatur legitima filiis, quando Monaſterium eſt bonorum incapax, quia tunc profeſſio aſſimilatur morti naturali, nec eſt cauſa retinendi ex parte Monaſterii, plurimi tamen in utramque partem ſecedunt, quando Monaſterium eſt capax. Etenim pro Monaſterio facit tex. *in d. auth. ſi qua mulier.* ubi pater ſine diſpoſitione obeunte dicitur, filiis deberi legitimam, ergò ante obitum non debetur. Cùm & aliàs ordinarii Juris ſit, legitimam in vita non deberi. *d. l.* 1. §. *ſi impuberi ff. de collat. bon.* nec Pater poſt profeſſionem debet eſſe deterioris conditionis, quàm priùs, ut ſuperiùs etiam de retentione bonorum feudalium & emphyteuticorum dictum. Verùm pro filiis allegatur *c. cum ſimus.* 3. *h. t.* ubi hæc quæſtio videtur deciſa (quamvis aliqui exiſtiment, ibi patrem jam fuiſſe mortuum, quia *ſucceſſionis* fit mentio.) Item tex. *in Nov.* 5. *c.* 5. in illis verbis: *poſtquam abrenuncians converſatus fuerit inter Monachos, nihilominus quarta debeatur filiis, aut ſupplementum, ſi contigit jam eos aliquid accepiſſe, aut etiam quatenus totum eis detur.* Et quia *in auth. ſi qua mulier.* conceditur patri, dividere bona ſua inter liberos, durum denique foret, filios & curâ paternâ & alimentis & le-

& legitimâ carere debere, vel hæc eis continuò à monaſterio præſtari. Atque hanc poſteriorem ſententiam probabiliorem reputat Sanch. *d. lib. 7. cap. 10. n. 1.* & multi alii apud hunc, & Barb. *in Collect. ad d. c. cum ſimus.* citati. Planè cùm textus Juris pro neutra parte ſint ſufficienter clari, & rationes hinc inde militent, utraque ſententia in theoria probabiliter defendi poteſt, ſecunda verò præſertim propter ultimam rationem videtur magis practicabilis; *Covar. de teſtam. c. 2. n. 12.* ad conſuetudinem; & amicabilem compoſitionem in his dubiis Juris articulis potiſſimum recurrendum, usque dum ſequatur clarior, quæ in multis optanda foret, competentis Legislatoris deciſio.

Theoricè qui defendere vellet primam ſententiam, reſpondere poſſet ad argumenta ſecundæ; in caſu *c. cum ſimus. h. t.* patrem probabiliter fuiſſe mortuum. In *Nov. 5. c. 5.* dici, quartam deberi, & in *d. auth. ſi qua mulier.* concedi diſpoſitionem, non determinari tempus ſolutionis, à monaſterio poſſe interim præſtari curam & alimenta, in quantum æquum eſt.

Qui verò defenderet ſecundam contra primam, diceret, textum *in auth. ſi qua mulier.* poſſe accipi de obitu patris ante petitionem filiorum: hereditatem & legitimam non deberi in vita, niſi talis mutatio ſuperveniat, quæ ſaltem ſecundùm quid morti comparetur, in feudo & Emphyteuſi non tanti intereſſe Domini, quanti filiorum in legitima, ut eam nunc

Digitized by Google

nec nolle nec velle habet, *c. ult. de Sepult. in 6.* ad teſtandum & diſponendum de bonis, quorum dominium poſt profeſſionem amplius non habet, idoneum & potentem reddere, vel bona jam concomitanter cum perſona Monaſterio acquiſita. *c. quanquam. de cenſ. in 6. c. ſi quis. 5. ubi Panorm. n. 3. de foro comp.* ex voluntate ſolius Religioſi denuò à Monaſterio ſeparare. *c. Eccleſia. 10. & ibi. DD. de conſtit.* Leges verò Civiles in Decreto Gratiani, ſicut & ipſum Decretum ad primævam authoritatem revocari, ſuperius in Procœmio *n* 5. tradidimus, addi inſuper poteſt, quòd *d. auth. ſi qua mulier.* non ſit ſimpliciter relata in Decretum, ſed cum annexa *auth. nunc autem. C. de Epiſc. & Cler.* quæ habere videtur ſenſum contrarium & correctorium prioris, ibid. *judicio ejus ceſſante lege diſponitur &c.* ut propterea jam olim quidam intellexerint. *d. auth. ſi qua mulier.* de diſpoſitione in Novitiatu, & ſi non diſpoſuerit, obieritque ſcil. poſt profeſſionem, bona ejus, exceptâ legitimâ liberorum, competant Monaſterio teſte Gloſſa. *in d. c. ſi qua mulier. in V. ceſſante.*

Quær. XII. *ex d. auth. ſi qua mulier.* an tantùm 22
in caſu illo ſit ſpeciale, quòd pater diſponens debeat portionem aliquam reſervare Monaſterio, cum aliàs major pars bonorum apud Monaſterium manſiſſet, vel habeat locum in quovis Novitio vel ingreſſuro diſponente, ut debeat Monaſterio relinquere legitimam? Res iterum prorſus incerta eſt, & pro negativa videatur.

mæ voluntatis, teſtamentum, codicillum, donationem mortis cauſa, ſicut iſta diſpoſitio ex magis communi DD. ſententia non comprehenditur ſub conſtitutione Concilii Trid. *d. c.* 16. ut tradit. Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 99. *n.* 2. ubi penè innumeros authotes accumulat, ita quoque ad eam non pertinebit ſupra dicta Concilii clauſula *ut non aliàs intelligantur effectum ſuum ſortiri, ſecuta profeſſione*, ſed tanquam *ultima voluntas* morte confirmabitur.

14 Quær. VI. ſi Novitius, abſque diſpoſitione deceſſerit & ſaltem *tacitè* profeſſus non fuerit, an tunc Monaſterio vel conſanguineis debeatur hereditas? R. in utramque partem eſſe DD. apud Clarum *in §. teſtamentum q.* 28. præcipuè verò apud Sanch. *in præcepta Decal. lib.* 7. *c.* 3. *n.* 91. *& ſeq.* Pro Conſanguineis tamen reſolvit Panorm. *in d. c. in Præſentia. de probat. n.* 58. eò quod non ſit cauſa petendi ex parte Monaſterii, cùm ante profeſſionem aliquis cum effectu Religioſus non cenſeatur. *c. Religioſo.* 21. *v. quamvis. de ſent. excom. in* 6. idemque tenet cum ingenti cumulo Authorum Sanch. *d. l. n.* 92. *& cap.* 5. *n.* 51. reprobat etiam *d. c.* 3. *n.* 96. illam limitationem, quam quidam ponunt, cum Fachin. *lib.* 6. *controv. c.* 19. *& alijs.* niſi Novitius habuerit abſolutam voluntatem manendi in Religione. Nam iſta voluntas (quam ſupponuntur omnes Novitii ſaltem ab initio habere) non ſufficit ad perpetuò obligandum.

Mona-

Monasterio nisi accedente expressa vel tacita professione præsertim hodie post Concilium Trid. *sess. 25. de Regular. c. 15.* ex quo nulla professio obligat ante annum integrum Novitiatûs expletum.

Quòd si Consanguineos Novitius defunctus non haberet, putarem Monasterio potiùs quàm Fisco successionem adscribendam. Si quis enim ex aliquo Collegio honesto Decurionum, Militum, Naviculariorum &c. decedat sine legitimis heredibus, bona ipsius non ad Fiscum, sed ad ipsum Collegium deferuntur. *l. 1. & t. t. C. de hered. Decur.* At verò Novitius censetur esse de Collegio Monasterij, cùm ibidem habeat forum judiciale & paræciale, item & Privilegium Canonis. *Navarr. conf. 5. & 6. de foro comp. d. c. Religioso.* ergò &c. Idque confirmatur *ex l. si quis presbyter. 20. c. de Episc. & Cler* ubi generaliter deciditur, quòd in bonis quarumcunque personarum ad vitam vel servitium Ecclesiasticum destinatarum, si absque legitimo herede defungantur (quod tamen hodie in Religiosis *professis* aliter se habet, in quorum bonis etiam consanguinei excluduntur, quibus legitima non debetur. *auth. nunc autem. C. jam d. t.*) non fiscus, sed Ecclesia succedat. adde *tex. in l. 10. ff. de jure fisci.* quòd in dubiis quæstionibus rectè contra Fiscum respondeatur, idque tantò magis, si cum eo causa pia & favorabilis concurrat. *l. sunt personæ. ff. de Relig. & sumpt. fun.*

Quær. VII. De Patria potestate an, & quatenus

tenus per ingreſſum in Religionem ſolvatur? Conveniunt DD. quòd *circa perſonam* per ingreſſum ſolvatur Patria poteſtas, ſive Pater, ſive filius ingrediatur. Ratio eſt, quoad Patrem, quia cùm is jam ſit in poteſtate Abbatis, alium in poteſtate habere non poteſt: quoad filium verò, quia per profeſſionem prorſus ex domo Paterna, & Patris obedientia abſtrahitur, transitque in obedientiam Abbatis incompatibilem cum poteſtate ſæculari Paterna. *Panorm. in d. c. in præſentia. 8. de Probat. n. 54. & in c. 2. h. t. n. 2. Sanch. in Præcepta Decal. tom. 2. lib. 5. c. 5. n. 29. & alii communiter.* addunt item plerique quòd patria poteſtas reſpectu filii ingreſſi ſolvatur, in quantum eſt Monaſterio oneroſa, non autem in quantum eſt favorabilis; unde inferunt. filiumfam. per ingreſſum jura ſucceſſionis & ſuitatis non amittere. *addatio ad Panorm. d. n. 54. cum Barth. & alijs. Sanch. d. l. n. 30. arg. c. quod ob gratiam. de R. I. in 6. adde arg ex Nov. 81. c. 2.*

Conveniunt præterea, quòd circa bona, quæ filio poſt profeſſionem adveniunt, Pater nihil juris acquirat, tum quòd jam cauſa acquiſitionis ſcil. Patria poteſtas ſublata ſit, tum etiam, quod ex ſpeciali privilegio Imper. omnia bona filiis poſt Clericatum advenientia in numerum *quaſi Caſtrenſis peculij* redacta ſint. *auth. presbyteros. c. de Epiſc. & Cler. Panorm. in d. c. 8. n. 56. Sanch. d. tom. 2. l. 7. c. 13. n. 44 ubi ait, nullum à ſe viſum eſſe, qui circa hoc punctum dubitaret.*

Tota igitur difficultas eſt circa bona adventicia

ticia filii in quibus Pater ante ingressum ex Jure Patriæ potestatis usumfructum habuit, an eundem per ingressum suum amittat? suppono tamen Patrem aut filium aliunde habere sufficientia bona & media ad vitæ congruam sustentationem, in præjudicium enim alimentorum non dubito quidpiam statuendum haud esse, cùm ad subveniendum his personis conjunctis in necessitate ipsum quoque ingressum differendum superius *in* §. 2. *q.* 1 *n* 2. dixerimus.

Quòd si itaque Pater ingrediatur, triplex est 16.
sententia: una simpliciter affirmat amitti usumfructum tanquam cessante causa Patriæ potestatis, alimentationis, & administrationis, cui etiam adstipulatur Fachin. *lib.* 6. *controv. cap.* 12. cujus tamen novum, ut vocat argumentum, quòd scil. ususfructus in persona Patris consistere, vel ad monasterium utpote Jus personale, transire nequeat, solidum non est, qualiter enim ususfructus possit ad monasterium transire superius diximus, & explicat Sanch. *d. lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 49.

Altera (quam probabiliorem reputat Sanch. *d. l.* 7. *c.* 13. *n.* 70.) simpliciter negat amitti usumfructum, eumque monasterio in vita Patris adscribit, cùm non appareat differentia inter usumfructum paternum, & alium, generaliter verò *in auth. ingress. C. de SS. Eccles.* statuatur, ut ingressi omnia sua transferant, & ususfructus dependeat quidem à Patria potestate in acquiri, sed non in conservari, posisintque bona satis

per

cto, & voluntate filium è poteſtate dimittit: æquitati autem, quia mediam viam tenet, & utrique patri aliquid attribuit. Satis enim durum, ut monaſterium integrum uſumfructum ex perſona Patris in bonis filii retineat, & bona filii per officiales monaſterii adminiſtrentur, Pater verò adminiſtret nihil, filium non alimentet, non curam ejus gerat &c. nec multùm urget inſtantia de amentia Patris, quia ibi præter cauſam miſerationis, *cum afflicto non ſit addenda afflictio. c. ex parte. 5. de Clerico ægrot.* ſaltem ex bonis patris alimenta præſtantur filio. Econtra tamen etiam ſatis durum foret, Patrem, qui antehac multam curam filio impendit, omni Jure Paterno, quod leges ipſi tribuunt, privare, cùm utilitas, quæ obvenit monaſterio, etiam in ipſum aliquo modo redundet.

Quær. VIII. Quando ponitur filius ingreſſus Religionem, an tunc Pater in ſæculo retineat uſumfructum, quem prius habuit in bonis adventiciis filii? Rursus gravis inter DD. concertatio eſt. Affirmativè pro favore Patris reſpondet Sanch. *d. lib. 7. c. 13. n. 39.* eò quòd nulla poſſit eſſe ratio amittendi hujus uſusfructus, quàm ceſſatio Patriæ poteſtatis, at verò jam ſuperius dictum eſt, uſumfructum ſemel acquiſitum, non dependere à Patria poteſtate in conſervari. & allegat *l. ult. C. ad Tertull & l. 3. C. de uſufructu.* quæ tamen hunc caſum in ſpecie non habent; poſſet verò *ex d. l. 3. §. 1.* aliquod argumentum ſumi. citat præterea in eandem ſen- 17

tentiam

tentiam Authores quamplurimos, qui ibidem videri poterunt.

In Contrarium & pro favore Monasterii præter paucos apud Sanch. *d. l. n.* 38. *cc.* inclinat. Panorm. *in a. c. in præsentia. n.* 56. sed nullo efficaci argumento confirmat. Relinquo tamen pro hac parte considerandum. I. textum *in Nov. 5. c.* 5. ubi Imperator vult, ut res professi transeant *omninò* in monasterium, sed non transit *omninò* quod transit quoad solam proprietatem. II. valet argumentum à Republ. & Militia ad Religionem. *Everh. in Top. loco. à fisco ad Ecclesiam, & loco, à militiâ ad Ecclesiam. Lauret. de Franchis de controv. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 96. & ibidem Pasqual in addit.* sed quando filius favore reipublicæ aut militiæ ob dignitatem vel cingulum liberatus à curia liberatur à Patria potestate, liberatur quoad personam & bona *Nov.* 81. *c.* 1. ibi *peculium eis donans, & liberi arbitrij esse præbens &c.* ergò &c. Et sicut in illo casu Pater in quantum gravatur ex amissione usufructus, relevatur ex honore filii, ita in isto ex precibus, ex accomodatione sancta & honesta filii, & honore status Ecclesiastici, ex cessatione alimentorum, administrationis bonorum, &c. Et licet aliàs nemo per factum suum possit alterius conditionem deteriorem facere, id tamen non procedit, quando deterioratio non est directè ex facto, sed ex authoritate juris, sicut si filius in casu *d. Nov.* 81. dignitatem affectaret, & consequeretur. Cùm igitur pro utraque parte sint rationes

tiones & authoritates, si res in praxi ex consuetudine, vel amicabili compositione decidi non posset, forsan non incongruè tentaretur iterùm via media, & dimidia pars ususfructus patri, altera monasterio assignaretur, authoritate *d. l. cum oportet. §. 3. C. de bonis quæ liberis.* Pater enim consentiendo in egressum filii, in effectu idem præstat, ac si emanciparet, ubi autem eadem est ratio, eadem censetur esse Juris dispositio. *l. non possunt. 12. cum l. seq. ff. de LL.*

Quær. IX. Quid statuendum sit de *legitimâ*, anne hanc filio Religionem professo teneatur Pater adhuc in vita sua protinus consignare, negativam dicit indubitatam Jas. *in auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles. n. 56.* quem refert & sequitur cum aliis Sanch. *d. l. 7. c. 10. n. 12.* quia viventis non est hereditas. *l. qui superstitijs. ff. de acquirendâ hered.* & legitima post mortem primum computatur. *l. 1. §. si impuberi. ff. de Collat. bon.* excipiunt tamen casum, quo Pater vergeret ad inopiam dissipando bona sua. Item sicut in matrimonio carnali pater tenetur dare dotem filiæ, & filio donationem propter nuptias. *L. fin. C. de dotis promiss.* ita pariter ad aliquid simile teneri, si filia, aut filius per ingressum in Religionem, aut susceptionem SS. Ordinum ad spirituales nuptias transituri sint, docet Sanch. *de Matrim. lib. 4. disp. 26. n. 6.* Barb. *De officio Episc. p. 2. alleg. 19. n. 36.* cum Baldo *in d. l. fin. & pluribus alijs ibid. cc.* cum admittatur argumentū à matrimonio carnali ad spirituale, *c. inter corporalia. de*

trans

translat. Epiſc. Everh. in Top. loco à Matrimonio carnali ad ſpirituale. n. 4.

49 Quær. X. quid è contra, ſi pater Religionem profiteatur, an ſtatim debeatur filiis in ſæculo relictis legitima, vel potius Monaſterium poſſit eam retinere, quamdiu pater vivit? Licet DD. ſatis conveniant, quod ſtatim debeatur legitima filiis, quando Monaſterium eſt bonorum incapax, quia tunc profeſſio aſſimilatur morti naturali, nec eſt cauſa retinendi ex parte Monaſterii, plurimi tamen in utramque partem ſecedunt, quando Monaſterium eſt capax. Etenim pro Monaſterio facit tex. *in d. auth. ſi qua mulier.* ubi pater ſine diſpoſitione obeunte dicitur, filiis deberi legitimam, ergò ante obitum non debetur. Cùm & aliàs ordinarii Juris ſit, legitimam in vita non deberi. *d. l.* 1. §. *ſi impuberi ff. de collat. bon.* nec Pater poſt profeſſionem debet eſſe deterioris conditionis, quàm priùs, ut ſuperiùs etiam de retentione bonorum feudalium & emphyteuticorum dictum. Verùm pro filiis allegatur *c. cum ſimus.* 3. *h. t.* ubi hæc quæſtio videtur deciſa (quamvis aliqui exiſtiment, ibi patrem jam fuiſſe mortuum, quia *ſucceſſionis* fit mentio.) Item tex. *in Nov.* 5. *c.* 5. in illis verbis: *poſtquam abrenuncians converſatus fuerit inter Monachos, nihilominus quarta debeatur filiis aut ſupplementum, ſi contigit jam eos aliquid accepiſſe, aut etiam quatenus totum eis detur.* Et quia *in auth. ſi qua mulier.* conceditur patri, dividere bona ſua inter liberos, durum denique foret, filios & curâ paternâ & alimentis & le-

Digitized by Google

& legitimâ carere debere, vel hæc eis continuò à monaſterio præſtari. Atque hanc poſteriorem ſententiam probabiliorem reputat Sanch. *d. lib. 7. cap. 10. n. 1.* & multi alii apud hunc, & Barb. *& Collect. ad d. c. cum ſimus.* citati. Planè cùm textus Juris pro neutra parte ſint ſufficienter clari, & rationes hinc inde militent, utraque ſententia in theoria probabiliter defendi poteſt, ſecunda verò præſertim propter ultimam rationem videtur magis practicabilis; *Covar. de teſtam. c. 2. n. 12.* ad conſuetudinem, & amicabilem compoſitionem in his dubiis Juris articulis potiſſimum recurrendum, usque dum ſequatur clarior, quæ in multis optanda foret, competentis Legislatoris deciſio.

Theoricè qui defendere vellet primam ſententiam, reſpondere poſſet ad argumenta ſecundæ; in caſu *c. cum ſimus. h. t.* patrem probabiliter fuiſſe mortuum. In *Nov. 5. c. 5.* dici, quartam deberi, & in *d. auth. ſi qua mulier.* concedi diſpoſitionem, non determinari tempus ſolutionis, à monaſterio poſſe interim præſtari curam & alimenta, in quantum æquum eſt.

Qui verò defenderet ſecundam contra primam, diceret, textum *in auth. ſi qua mulier.* poſſe accipi de obitu patris ante petitionem filiorum: hereditatem & legitimam non deberi in vita, niſi talis mutatio ſuperveniat, quæ ſaltem ſecundùm quid morti comparetur, in feudo & Emphyteuſi non tanti intereſſe Domini, quanti filiorum in legitima, ut eam nunc

propriâ patris curâ destituti in suam utilitatem melius applicent.

20 Quær. XI. quis sit sensus, & valor *auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles?* R. Speciale esse ex *d. auth. & Nov.* 123. *c.* 38. quòd in ea concedatur patri professo, qui liberos in sæculo reliquit, etiam post professionem bona sua inter eos dividere, reservata Monasterio saltem virili portione, quantum scil. uni ex liberis assignat, sicut ita communiter DD. *d. auth.* exponunt: quamvis in ea non expressè de professo, sed de intrante Monasterium mentio fiat. Verbum enim, *professus*, non erat olim valde usitatum, & verba *ingredi*, *intrare &c.* sumebantur cum effectu. *argum. auth. ingressi. C. de SS. Eccles.* neque de non professo videbatur dubitandi ratio, an bona ipsius sine dispositione defuncti competerent Monasterio, ut superius dictum.

21 Attamen licet hæc constitutio, ejúsque interpretatio inter DD. valde communis sit, & credatur canonisata in Decreto Gratiani. *c. si qua mulier.* 19. *q.* 3. vel saltem tacitè approbata à SS. Pontificibus, ut censet Sanch. *in prac. Dec. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 7. quasi pater ex authoritate juris sit ad hanc divisionem executor constitutus. Nihilominus Navar. *de Regular. consil.* 2. *n.* 53 putat facilè defendi posse, talem dispositionem factam post professionem esse invalidam, nihilque liberis præter legitimam deberi. Cùm non videatur fuisse in potestate Imperatoris Religiosum professum, qui secundùm Canones

acc

nec nolle nec velle habet, *c. ult. de Sepult. in 6.* ad teſtandum & diſponendum de bonis, quorum dominium poſt profeſſionem amplius non habet, idoneum & potentem reddere, vel bona jam concomitanter cum perſona Monaſterio acquiſita. *c. quanquam. de cenſ. in 6. c. ſi quis. 5. ubi Panorm. n. 3. de foro comp.* ex voluntate ſolius Religioſi denuò à Monaſterio ſeparare. *c. Eccleſia. 10. & ibi. DD. de conſtit.* Leges verò Civiles in Decreto Gratiani, ſicut & ipſum Decretum ad primævam authoritatem revocari, ſuperius in Proœmio *n.* 5. tradidimus, addi inſuper poteſt, quòd *d. auth. ſi qua mulier.* non ſit ſimpliciter relata in Decretum, ſed cum annexa *auth. nunc autem. C. de Epiſc. & Cler.* quæ habere videtur ſenſum contrarium & correctorium prioris, ibid. *judicio ejus ceſſante lege diſponitur &c.* ut propterea jam olim quidam intellexerint. *d. auth. ſi qua mulier.* de diſpoſitione in Novitiatu, & ſi non diſpoſuerit, obieritque ſcil. poſt profeſſionem, bona ejus, exceptâ legitimâ liberorum, competant Monaſterio teſte Gloſſa. *in d. c. ſi qua mulier. in V. ceſſante.*

Quær. XII. *ex d. auth. ſi qua mulier.* an tantùm in caſu illo ſit ſpeciale, quòd pater diſponens debeat portionem aliquam reſervare Monaſterio, cum aliàs major pars bonorum apud Monaſterium manſiſſet, vel habeat locum in quovis Novitio vel ingreſſuro diſponente, ut debeat Monaſterio relinquere legitimam? Res iterum prorſus incerta eſt, & pro negativa videatur. 22

Panor. *in c. in præsentia. 8. de probat. n.* 52 Sanch. *d. lib. 7. cap 3. n. 8. & alij apud eum cc.* cùm non appareat sufficiens Juris textus, qui generaliter statuat Monasterio legitimam deberi; sed potiùs libera detur disponendi facultas, *Nov. 5. c. 5.* pro affirmativa verò Covar. *de testam. c. 2. n. 9. & 10 & alij ibidem allegati. arg. d. auth. si qua mulier* & quòd Monasterium habeatur vel loco filii. *arg. d c. in præsentia* vel propter continuam impositorum alimentationem & curam succedat quasi in locum parentum, quam ob causam forsan tam repetitis vicibus Imperator voluit bona Religiosi sine dispositione professi ad monasterium transire. Quæ sententia videtur habere æquitatem saltem in monasteriis depauperatis, maximè verò non extantibus liberis naturalibus & legitimis, eo ferè modo; quo filii parentes inopes, Ecclesia Patronum pauperem propter beneficia ab istis personis accepta potius, quàm extrancos alere tenentur. Quia tamen hæc legitima non reperitur in Jure tam rigorosè injuncta sicut liberorum & parentum naturalium, ideò per omissionem ejus non rumpi totum testamentum, sed ipsam solùm peti posse docet D. Anton. *apud Panorm, d. l. n.* 52. *& Covar. d. n.* 10. plura ad hunc §. pertinentia videantur prolixè & enucleatè tradita apud Sanch. *d tract. in prax. Dec. tom. 2. lib. 6. & 7.* & quæ diximus in Libello *de Privileg. Monast.* & adhuc in Lib. III. in Tit. *de Testamentis.* & in Tit. *de success. ab intesto.* dicendi occasio erit.

Quær-

Quær. XIII. Postremò, an quia Religiosus 23
professus propter votum paupertatis incapax dominii, quidquid acquirit, acquirit monasterio, teneatur monasterium ex contractu, vel delicto illius? De qua quæstione videri poterit Sanch. *in Decal. lib. 7. cap. 31.* Molina *de I. & I. tom. 1. disp.* 140 ubi distinguunt inter obligationes contractas ante ingressum, & contractas post actualem professionem. Illis tenebitur monasterium pro ratione bonorum sibi per illum Religiosum acquisitorum, etiam si post professionem, per hereditatem vel legatum adveniant, quia similia bona censentur transire cum onere, ne monasterium cum damno creditorum, quibus professus, aut monasterium illum suscipiendo per suum factum præjudicare non potuit, locupletetur. Obligationibus autem post professionem contractis non aliter tenebitur monasterium, quàm si cum licentia legitimi superioris expressâ, vel saltem tacitâ (ut si ei administratio quædam commissa, si ad studia missus sit, & ibi rationabilis causa sumptus, aliámve obligationem exegerit) contraxerit, aut certè contractus in utilitatem monasterii versus probetur. Quo faciunt textus *in c. pen de fidejussor. c. 1. de solutionibus. c. delictum de R. I. in 6. l. civitas ff si certum pet.* Censent tamen DD. prælati, & plures alii, contractus Religiosi sine licentia Prælati initos comparari contractibus, quos pupilli, vel minorennes absque tutorum vel curatorum authoritate ineunt cum majorennibus,

qui ex parte quidem illorum inefficaces, ex parte verò istorum eatenus obligatorii sunt, ut à tutoribus & curatoribus, si ita judicaverint expedire, ratihaberi & utrinque convalidari possint. *Princ. Inst. de Author. tut. Molina. d. l. n.* 21. Dummodò integer contractus ratihabeatur, non separando commoda ab oneribus. *Sanch. d. c.* 31. *n.* 30. *cum Tyraq. de retract. Convent. ad fin. tit. a n.* 4. *usque ad* 16.

24 An demùm Religiosus illicitè contrahens saltem naturaliter obligetur, ut ei fidejussor validè & efficaciter accedere possit? pro utraque sententia videantur rationes & Authores apud Sanch. *d. l. n.* 35. *& seqq.* ubi affirmativam tenet, eò quòd Religiosus licet non habeat *velle aut nolle* Canonicum & efficax, habeat tamen naturale (sicut in emissione voti particularis, quòd monasterio non præjudicet, in peccando &c.) quod sufficit ad naturalem obligationem constituendam & fidejussorem obligandum. *l.* 1. *in fin. ff. de Novat. l. ult. ff. de Jurejur. l. Marcellus.* 25. *ff. de fidejuss.* præsertim si se fidejussor ut principalem debitorem obligârit.

§. IV.

De egressu ex Religione, & transitu ab una Religione ad alteram. Item & de promotis ad Episcopatum, vel aliud beneficium extra Monasterium.

SUMMARIA.

1. *Novitius egrediens an teneatur solvere expensas.*
2. *An & qualis professio nulla dici possit.*

3. *Quin-*

3. *Quinquennium datum ad reclamandum contra professionem, fundatur in præsumptione.*
4. *Non currit impedito, vel ignoranti.*
5. *Dimittens habitum ante quinquennium debet ante omnia restitui, sed non excluditur à petitorio.*
6. *Ejicere Religiosos ex Monasterio an & quando liceat, & qualiter ejecti & fugitivi reducendi, & ad quid obligentur.*
7. *Ejecti & fugitivi cui acquirant.*
8. *Monasterium reducens ejectos & fugitivos an teneatur solvere expensas pro illis ab alijs factas, vel ejectis dare alimenta, si bona prius intulerunt in Monasterium. remissivè.* (*bus liceat.*
9. *Transire de uno ordine ad alium quibus conditioni-*
10. *Moniales an possint transire.*
11. *Mendicantes non possunt transire ad non mendicantes præterquam ad Chartusianos. ad alios autem etiam de licentia Papæ transeuntes nulla ibi officia gerere possunt.*
12. *Transeuntes sunt incapaces beneficiorum sæcularium etiam curatorum.*
13. *Transeunda ad ordinem æqualem, vel laxiorem quis possit dare licentiam.*
14. *Transiens debet facere Novitiatum, & regrediens ante professionem in priori Monasterio recipi.*
15. *Transeuntium bona cui Monasterio cedant.*
16. *Religiosus factus Episcopus manet Religiosus, obligatur votis substantialibus, aliis verò particularibus observationibus Religionis tantùm ex hone-*
17. *Religiosus factus Episcopus cui acquirat.* (*state.*
18. *Expenditur tex.* in c. un. 18. q. 2.

19. *Religiosus promotus ad aliquod beneficium, vel parochiam extra Monasterium ad quid obligetur, & cui acquirat.*

20. *Prior ex alio Monasterio assumptus efficitur & manet Monachus illius Monasterii, cui præficitur.*

21. *Abbas ex alio Monasterio assumptus efficitur & manet Monachus illius Monasterii, cui præficitur.*

1 QUær. I. Utrùm Novitius, qui egreditur ex monasterio teneatur solvere expensas, quas pro ipso monasterium fecit in victu, vestitu, morbis & aliis necessariis? Negativa communior est, tum ne Novitius ob prætensionem expensarum à libero egressu retineatur, tum etiam quod alimenta & necessaria dantur Novitio, quia ejus probatio simul respicit favorem monasterii, ne indignum suscipiat, & quia ipse vicissim debet monasterio inservire, per accidens autem est, quòd ratione morbi, vel alia causa quandoque inservire nequeat: cùm etiam è contra si labor excederet valorem expensarum, non haberet Novitius propterea Jus aliquid exigendi. Existimant tamen valere pactum aut consuetudinem, ut expensæ à Novitiis egredientibus, maximè in monasteriis monialium solvantur. *arg. tex. in Trid. sess. 25. de Regul. c. 16.* dummodo vi talis pacti, vel consuetudinis Novitio egressus non prohibeatur, priusquam expensas solvat. *c. non solùm. hoc tit. in 6. Tambur. de jure Abbat. tom. 3. disput. 6. quæst. 9. n. 5. Laur de Franchis. de controv. inter Episcop. & Reg. p. 2. quæst. 50.*

Quær.

Quær. II. an & qua ratione professio nullitatis argui, & professus ad sæculum redire possit? Rſp. quòd is, qui gravi metu adactus (etiam *reverentiali* saltem concurrentibus adminiculis, importunis persuasionibus, minis, odio, &c. ut modesta condradictio nihil juvisset, *Laym in Theol Mor. lib. 4. tr. 5. c. 5. n. 6.*) vel non in legitima ætate, aut Novitiatu nec dum expleto professionem emisit, vel intentionem profitendi non habuit, debeat hujusmodi causas intra *quinquenium* à die professionis numerandum coram legitimo superiore, scil. coram Prælato Monasterii & simul coram Ordinario loci deducere, quod si per quinquennium tacuerit, imposterùm non audietur, quia præsumitur *præsumptione juris & de jure*, contra quam probatio in contrarium non admittitur, tanto tempore saltem tacitè suam professionem renovasse, aut ratificasse. Si verò quis etiam intra quinquennium propriâ authoritate habitum Religionis dimiserit, ad Monasterium redire cogendus, tanquam Apostata puniendus, nec ad causam aliquam allegandam admittendus erit. Ita expressè statutum est in Concilio *Trid. sess. 25. de Regul. c. 19.* 2

Verùm hæc constitutio rigorosa Concilii patitur suas limitationes, quas ponunt DD. cc. apud Barb. *in Collect. ad c. 19.* & Tambur. *de jure Abb, tom. 3. disp. 6. q. 35. & seq.* Latè Sanch. *de de Matrim. l. b. 7. disp. 37. n. 3.* Nam I. cùm eo casu quo aliquis per *quinquennium* tacuit, Concilium fundetur in præsumptione ratificatæ pro- 3

fessionis, ideò si ratificatio revera non interve-
nerit, talis putativus Religiosus in conscientia
obligatus non erit, quia præsumptio Juris non
obligat nisi veritate subexistente. in dubio ta-
men si ipsemet professus de validitate profes-
sionis non satis certus sit, standum est præsum-
ptioni Juris in utroque foro. *Sanch. d. l. n.* 12.
Utrùm autem certus de nullitate elapso quin-
quennio possit clam fugere, vel occultè à præ-
lato dimitti, aut potius teneatur ratificare pro-
fessionem, pro utraq; sententia videatur Sanch.
d. l. n. 11. *&* 13. Tambur. *d. disp.* 25. *n.* 4.

4 II. Si quis ex justa causa, vel ignorantia ta-
cuerit, ut quia metus continuò duravit, vel
ignoravit utilitatem professionis, tunc etiam
post quinquennium reclamare, & saltem extra-
ordinarium remedium restitutionis in integrum
5 petere poterit. III. illud punctum constitutio-
nis *de dimittent. habitum ante quinquennium*, beni-
gnius interpretantur DD. ex tit. *de restitut. spo-
liatorum.* quòd scil. abiiciens habitum ante o-
mnia sine admissione alicujus excusationis debe-
at Monasterio restitui, tanquam qui illud sui
possessione spoliârit, & pro excessu puniri, post
pœnitentiam autem peractam ad petitorium, seu
causas nullitatis allegandas nihilominus admit-
ti, *Sanch. d. disp.* 37. *n.* 3. *&* 4.

6 Quær. III. an & qualiter Religiosus professus
à superioribus ex Monasterio eiici valeat? Dif-
ficultatem facit *cap. ult. h. t.* ubi dicitur: *Ne Reli-
giosi vagandi occasionem habentes salutis propriæ detri-
mentum*

Digitized by Google

mentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur : Statuimus, ut præſidentes capitulis celebrandis, ſeu Patres, Abbates, ſeu Priores fugitivos ſuos, & ejectos de ordine ſuo requirant ſollicitè annuatim, &c. & ſubjungitur, quod iidem fugitivi & ejecti debeant vel ad ordinem recipi, vel ſi id ſalvâ ordinis diſciplinâ fieri nequeat, in aliis Religioſis domibus ejuſdem ordinis ad agendã pœnitentiam deputari. Verùm communior eſt DD. ſententia, profeſſum, qui in gravi crimine notoriè incorigibilis eſt vel ob criminis infamiam ſine gravi Ordinis detrimento tolerari non poteſt, licite eiici refecando carnem putridam, & ſeparando ovem morbidam, ut ex *c. cum ad Monaſterium. & c. fin. de ſtat. Monach. c. relatum. Ne Clerici vel Monachi c. cum in Eccl. de Major. & obed.* & diverſorum Ordinum Regulis à Sede Apoſt. approbatis cum pluribus aliis DD. docet Tambur. *De jure Abb. tom. 3. diſp. 8. q. 7. & ſeqq.* Sanch. *in Decal. ſive Mor. Lib. 6. cap. 9. n. 3. & ſeqq.* Laym. *in Theol. Mor. lib. 4. tract. 5. cap. 13.* Barboſa *in Collect. DD. add. c. fin. h. t. n. 3.* Laurentius de Franchis *de controv. inter Epiſc. & Regulares, cum addit. Pasqualigi, p. 1. n. 957. & ſeqq.* apud quos DD. multa notabilia circa ejectos & fugitivos invenies. Textum verò *in d. c. fin h. t.* vel de ejectis injuſtè, vel emendatis accipiunt, vel, quod plerique magis approbant, in deſuetudinem abiiſſe ſentiunt, cùm non videamus à Prælatis practicari. Sed cùm conſtitutio illus *cap.* ſit valde rationabilis, & circumvagatio ejectorũ

in

in detrimentum ipsorum & contemptum Religionis cedat, considerandum foret, an non expediret melius in usum deducere, quatenus id sine gravi scandalo aut ordinis detrimento fieri posset, cum scandalo autem & damno Monasterii non esse obligationem revocandi etiam fugitivos & apostatas notat Laym. *d. c. 13. sub n. 7.* Et quòd cum hujusmodi hominibus reverti volentibus non sit duriter agendum à superioribꝰ, sed potiùs *instruendi sint in Spiritu lenitatis, ad Gal. 6. ad Tim. 2.* ex Decreto S. Congreg. Card. tradit Tambur. *d. disp. 8. q. 4. n. 2.* Item quòd ejecti non deobligentur quidem substantialibꝰ votis, ita ut etiam obedientia saltem virtualiter perduret, quatenus justè revocari poterunt, & ipsi se emendare & ad resuscepționem disponere tenentur, deobligentur tamen aliis particularibus observationibus sui Ordinis, ut certorũ jejuniorum, mortificationum, (non verò à gestatione habitus, nisi in pœnam delicti eo privati sint) etiam ex communioni tenent DD. præcitati, ubi plura videri poterunt.

7 Quær. IV. Si Religiosi fugitivi & ejecti extra Monasterium aliquid acquirant, cui ejus rei dominium acquiratur. De fugitivis certum est, quòd per suum factum Monasterium Jure, quod in eos habet privare non potuerint, ideoqꝫ una cum acquisitis omnibꝰ ad monasterium cum assistentia Episcoporum revocari possint. *c. abbates. 16. 18. q. 2.*

De illis verò qui perpetuò ab aliquo Ordine ejecti

ejecti sunt, cum, ut diximus, non cessent voto paupertatis obligari, quamvis juxta status sui conditionem & exigentiam plenior intelligatur ipsis administratio & acquisitorum dispensatio concessa, quàm Religiosis claustralibus actu sub obedientia Prælati viventibus, *Laym. d. c. 13. n. 2. & Sanch. d. c. 9. n. 47.* major est difficultas, cui proprietatem rerum in vitâ suâ, vel post mortem extra monasterium contingentē acquirant.

Et quidem si ejecti, aliique Religiosi permanenter extra claustra viventes decedant, eorum bona tanquam spolia Cameræ Apostolicæ ex SS. Pontificum constitutionibus & multis authoribꝰ refert Pasqual. in addit. ad Lauret. de Franch. *d. l. n. 997.* idemque de acquisitis fugitivorum extra claustra decedentium cum Navar. *de spoliis Cler. §. 7. n. 4.* tradit Laym. *d. L. sub n. 3.* Verum cum hæc spolia vix practicentur in Germania, adhuc dubium remanet, quid ibi dicendum, vel quid stantibus etiam spoliis censendum de dominio Religiosi ejecti in vitâ ejus? Lauretus de Franchis. *d. L. n. 993.* ait, dominium acquiri DEO; jus verò supremum administrandi S. Pontifici ejusdem vicario, speciale autem Ecclesiæ sæculari vel Regulari, ad quam ejecti legitimè fuerint translati; alioquin Episcopo. Sanch. *in Decal. sive Mor. lib. 7. cap. 33. n. 26. & seqq.* docet bona hujusmodi Religiosi pertinere ad Pontificem, vel Ecclesiam, vel Episcopum, instar bonorum, quæ vacantia dicuntur, non verò ad monasterium quod jam amplius nullam cum ejecti commu-

communionem habet. niſi, ut *n.* 22. tradit, ejectio fuerit injuſta, & circa eam ſolus Prælatus ſine conſenſu majoris partis Conventus deliquerit, cujus delictum non debet nocere Eccleſiæ. *vulg. c. delictum. de R. I. in 6.* Cui ſuffragatur Abb. *in c. un. de infant. & languid. expoſ.*

Nihilominus rectè defendi poteſt aliorum ſententia; qui pro monaſterio concludunt; quia Religio per expulſionem ſolùm ſeparat à convictu Religioſum; ne cæteros inficiat, non autem abdicat à ſe jura, quæ habet contemplatione ipſius; imò tenetur procurare reductionem ipſius & recipere redire volentem ſi ſit emendatus juxta *d. c. fin. de Regular.* innovatum in Decreto S. Congreg. *de Regularibus Apoſtatis & ejectis.* ità Pasqual. in addit. ad Laurer. de Franchis. *d. L. n.* 999. (de limitatione verò quam circa translatos ad aliam Religionem, vel Eccleſiam ſubjungit in ult qq. agemus.) & apud eum Molina *tom.* 1. *de I. & I. diſp.* 140 Leſſius. *Lib.* 2. *de I. & I. cap.* 41. *n.* 112. *& alii* accedit. quòd Religiosꝰ per ſuum factum incorrigibilitatis non debeat præjudicare monaſterio, vel monaſterium per actum juſtitiæ & à jure ſibi conceſſum in favorem & gratiam conſervandæ diſciplinæ Religioſæ damnum ſentire. Et ſi Religioſus ejectus ex communi ſententia etiam priorum DD. adhuc manet verus Religioſus tribus ſubſtantialibꝰ votis obligatus, iisque ſolennibus quæ Religionem conſtituunt, ſolennitas autem voti conſiſtat in traditione ſui ipſius & reciproca obligatione mona-

monasterii, ut superius in §. 1. dictum, sequitur obligationem, & inde acquisitionis causam esse respectu illius Monasterii cui se Religiosus per professionem tradidit, quamvis interim ex parte Religiosi propter suummet delictum effectus hujus obligationis suspendatur. Quemadmodum si filius ingratitudinem in partem committat, ob quam ab eo justè exheredetur, domóq; expellatur, donec sibi debitè reconcilietur, casu dein eveniente ut filius ante Patrem deeedat, & bona adventicia vel castrensia relinquat, nunquid innocens Pater à legitima successione excludetur? Sanè non credo id ullo Jure statutum, rationabiliter statui potuisse; ne Pater pro injuria sibi illata non tantùm nullam satisfactionem habere, sed insuper pœnam amissæ hereditatis filialis sustinere debeat.

Utrùm verò monasterium reducens ejectos aut fugitivos teneatur solvere expensas in eorũ alimentationem necessariam factas, præsertim si bona fide & ex ignorantia fugæ vel ejectionis alimenta extra monasterium ipsis præstita sint? Item an ejectis, qui multa bona intulerunt monasterio etiam durante ejectione præstanda sint alimenta, videatur Sanch. *in Decal. lib. 6. cap. 9. n. 20.* Surdus *de alimentis tit. 7. q. 35. junct. q. 7.* Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. de controv. inter Episcop. & Reg. p. 1. n. 992. & n. 1000.* apud quem universim in materia ejectorum & fugitivorũ plurima notabilia enuncleatè tradita legi poterunt, quò brevitatis causa remittimus.

Quæs,

Digitized by Google

Quær. V. an & quibus conditionibus possit Religiosus de uno Ordine ad alium transire? R. cùm nullum votum vel promissio debeat impedire majus bonum, ideò Religiosus licet se uni Religioni per professionem obligaverit, nihilominus Zelo melioris vitæ & majoris perfectionis potest transire ad ordinem strictiorem, petitâ tamen, quamvis non obtentâ, licentiâ sui Prælati. & privilegia de non transeundo ordini concessa intelliguntur de transitu ex temeritate vel levitate, ita communiter DD. sumunt *cap. licet.* 18. *h. t.* verùm hic ex Innoc. & Panorm. *de jure Abb. tom. 3. disp. 7. q. 1. & seqq.* Barb. *in Collect. ad d. c. licet.* Sanch. *in Decal. lib. 6. cap. 7.* Laym. *in Theol Mor. lib. 4 tract. 5. cap. 6. n. 9. & seqq.* aliqua notabilia breviter subjungenda sunt.

I. Circa transitum istum non consideratur, quænam Religio ex fine suo perfectior, sed quæ in externis observationibus magis rigida & austera sit; & quidem non tantùm ex primæva sua institutione, sed ex moderna observatione in illo ipso monasterio; ad quod petitur transitus. *c. sane* 10. *& ibi. Pan. h. t.* imò professus Ordinem ex primæva Regula strictiorem, si modo ex observatione sit laxior, potest transire ad aliud Ordinem ex primæva Regula laxiorem, sed ex moderna observatione strictiorem, dummodo non sit spes futuræ reformationis in proprio ordine, vel nullum sit monasterium ejusdem ordinis observantiæ strictioris in provincia. *Sanch. d. c. n.* 24. *& seqq.*

Item

Item Canonicos Regulares cum profiteantur Regulam laxiorem, *c. quod DEI timorem. 5. de ſtatu Monach.* poſſe ad Monachos tranſire ex S. Thoma, & Nav. tradit Laym. *d. l. n.* 11. non obſtante, *c. mandamus.* 19. *q.* 3. quia intelligitur de veteri ſtatu monachorum, quo dediti tantùm vitæ contemplativæ Sacra myſteria non tractârant.

II. Non ſtatim ac petitur licentia fas eſt Religioſo tranſire, ſed interroganti Prælato ſuas rationes tranſitus exponere debet, ab eoque per aliquod tempus reſponſionem expectare, quod ſi ſuperior judicans cauſam eſſe juſtam, nihilominus denegat licentiam, vel nihil reſpondet, vel allegat cauſam denegationis evidenter injuſtam; tunc demùm absque ulteriori licentia tranſire licebit. Si dubium ſit, ánne Ordo ad quem petitur tranſitus, ſtrictior exiſtat, aut potius temeritas, vel levitas, quàm Zelus & dictamen Spiritus S. ſubſit, ad ſuperiorem Prælati, qui aliàs in cauſa appellationis foret ſuperior, judicium pertinebit. Et præterea non prius monaſterio exire debet Religioſus, quàm certus ſit de ſuſceptione in altero Ordine, niſi Abbas ſpecialiter licentiam dederit monaſterium ſtrictioris Ordinis, in quo ſuſcipiatur quærendi. *Tamb. d. q.* 1. *n.* 11. *& ſeqq.* an autem tranſiens non petitâ licentiâ aut non injuſtè denegatâ, aut ex cauſa non ſatis legitimâ poſſit in aliâ Religione validè profiteri, vid. *Sanch. d. c.* 7. *n.* 88. *& ſeqq.*

10 III. Quamvis *d. c. licet. h. t.* tantùm de virisReligiosis loquatur, communius tamen receptum est etiam moniales eo Juris privilegio gaudere; ut ex causa majoris perfectionis (saltem ab Ordinario loci, vel superiori Prælato, cui monasterium subjacet approbata) transire valeant. *c. 1. & ib. Gl. in v. Virgines* 20. *q.* 4. neque refragatur Concilium Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 5. omnem egressum monialium è clausura prohibens. (de quo in tit. seq. dicemus.) quia non comprehendit hunc casum legitimi transitus. addit verò Tambur. *d. q.* 1. *n.* 26. ex Declarat. Card. quasdam conditiones, sub quibus monialibus transitus conceditur.

11 IV. Circa Regulares mendicantes specialis est prohibitio sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, ne quis eorum sine licentia S. Pontificis ad Ordinem non mendicantium, præterquam ad Carthusianos transeat. *Extravag. 1. h. t. inter com.* de qua tamen constitutione videri etiam poterunt, quæ tradit Sanch. *in Decal. lib. 6. c. 7. n.* 68. an ex justa causa nunquam liceat superioribus dare licentiam transeundi ad alios non mendicantes. vel d. Extravag. fundetur tantùm in præsumptione: ibid. *fucatis coloribus, & ut liberius degant, & beneficia monastica consequi valeant.*

V. Ne transiens possit prætexere Zelum & interim occulta ambitione moveri vel Cælũ commutare, statuitur *in Clem. 1. h. t.* quod mendicantes etiam licitè & cum licentia Papæ transeuntes

ad

ad non mendicantes apud hos nec prioratus, nec officia quæcunque etiam tanquam aliorum vicarii obtinere, nec curam animarum pro se vel pro aliis gerere valeant, nec vocem in Capitulo habituri sint. *Sanch. d. c. 7. n. 125.* existimat tamen Sanch. *d. c. 7. n. 110.* hac constitutione non comprehendi transeuntes ex Juris communis permissione ad Carthusianos.

VI. In Concilio Trid. *sess. 14. de ref. c. 11.* 12
constitutum est, ut nemo cujuscunque Ordinis Prælatus, vel superior vigore cujusvis facultatis aliquem transeuntem Regularem ad habitum & professionem admittere possit, nisi ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat: ac taliter translatus, etiamsi canonicorum Regularium fuerit, *ad beneficia sæcularia etiam curata*, omnino incapax existat.

Quær. VI. an & qua ratione licere possit ali- 13
quando ad æqualem vel laxiorem Ordinem transire? R. Si justa ac rationabilis causa subsit. v. g. debilitas Corporis ex infirmitate, vel senectute, aëris inconvenientia in loco Monasterii, nec aliud sit ejusdem Ordinis intra provinciam, necessitas parentum, quibus in Religione alia subveniendi occasio est, tunc his & similibus casibus, quos enumerat Sanch. *d. c. 7. n. 72.* & Tamb. *d. disp. q. 5. n. 8.* præsertim si professio in Minorenni ætate emissa fuerit, posse non tantum S. Pontificem (quamvis tutius saltem ad laxiorem ab hoc petatur) sed

etiam inferiores Prælatos cum authoritate Episcopi, si monasterium exemptum non sit, licentiam transeundi ad Ordinem æqualem, vel etiam laxiorem concedere, DD. tam veteres, quàm RR. asserunt. Sanch. *d. c.* 7. *n.* 44. *& 53.* ubi dicit, *communissimam sententiam*, Tamb. *d. q* 5. Layman. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 6. *sub n.* 9. *v. ad. æqualem. & alij apud. hos citati.* prò ut aliàs commutationem alicujus voti urgente necessitate vel rationabili de causa fieri posse, superius in Tit. *de voto.* diximus, nec obstare ajunt Consilium Trid. *sess* 25. *de Regular. c.* 19. eò quòd ibi tantùm prohibeatur, ne quis vigore cujusdam privilegii, adeoque sine justa causa, aut causæ cognitione, vel legitimi superioris Ordinis licentia ad laxiorem Ordinem transferatur. An autem etiam Conventûs consensus accedere debeat, pro utraque sententia videantur DD. apud Sanch. *d. l. n.* 49. *& 57.*

14 Quær. VII. an transiens ab una Religione ad aliam debeat denuò Novitiatum facere? & quid, si intra annum pœniteat, an à priori Monasterio recipiendus? R. Affirmativè quoad utrumque; quia inprimis hodie ex Consilio Trid. nulla professio valet, nisi quis per annum Religionem prius expertus sit: deinde quia de natura Novitiatus est, ut pœnitere liceat, & antequam aliquis in secunda Religione provideatur, manet adhuc membrum prioris, in qua ipsi per professionem jus quæsitum est, rectè sequitur, quod ad priorem Religionem redire,

ab

ab eaque ſuſcipi debeat. Imo tametſi à priori Prælato omnino licentiatus, & dimiſſus eſſet: id tamen vel ſub conditione ſecundæ profeſſionis factum, vel abſolutè & ſimpliciter factum invalidum cenſeretur, cum talis dimiſſio eſſet injuſta, & occaſionem vagandi Religioſo tribueret. *Sylv. v. Religio. 4. n. 5. Miranda in Man prael. tom. 1. q. 11. art. 18. & ſeqq. Laym. d. c. 6 ſub. n. 11.*

Quær. VIII. quid Juris circa bona illorum, qui ad aliam Religionem tranſeunt? R. eſſe 15
diſtinguendum inter bona jam priori monaſterio acquiſita & inter bona, quæ acquiruntur poſt translationem Religioſi: Priori caſu bona manent irrevocabiliter apud monaſterium, cui ſemel acquiſita ſunt. Imò etiam illa bona priori monaſterio acquiruntur, quæ cedunt, dum Religioſus in ſecundo monaſterio Novitiatum agit, quia eo tempore adhuc revera eſt Religioſus prioris monaſterii, quod eum regredientem recipere debet, ergo eidem acquirit. Quod ſi Religioſus à mendicantibus bonorum incapacibus tranſeat ad non mendicantes v. g. Carthuſianos, bona in quibus eo tempore, quo tranſiens erat in Religione mendicantium conſanguinei ſucceſſerunt, etiam impoſterum apud eos manebunt, & ſimilitet quæ tempore Novitiatus in ſecunda Religione obveniunt, ad conſanguineos devolventur.

Poſteriori verò caſu, quando bona acquiruntur poſt profeſſionem in ſecunda Religione fa-

ctam, ſubdiſtinguendum eſt, an ſecunda Religio ſit bonorum capax, vel non; ſi ſit capax, talia bona ad eam pertinebunt, ex prædicta Regula, quòd quilibet Religioſus acquirat ſuo Monaſterio. Si ſit incapax, ut ſi quis à Benedictinis tranſierit ad Capuccinos, & ei poſt profeſſionem ibidem emiſſam deferatur hereditas, hæc non priori Monaſterio, à quo per profeſſionem in ſecundo planè liberatus eſt, ſed conſanguineis acquiretur. Ita ex Declarat. Card. & deciſ. Rotæ Rom. tradit Barb. *l. L. V. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 91. Tamb. *d. tom.* 3. *diſp.* 7. *q.* 6. *n.* 7. *ubi plures allegat.* addit verò *n.* 9. aliud eſſe circa moniales tranſeuntes, quæ poſſunt ſuas dotes ſecum ferre. & concordat, quod ex Congreg. Card. adducit *d. diſp.* 7. *q.* 1. *n.* 26. videatur etiam Covar. *in c.* 1. *de teſtam. n.* 28. *uſque ad finem.*

16 Quær. IX. ad quid obligetur religioſus factus Epiſcopus, & cui acquirat? Religioſum poſſe in Epiſcopum eligi, licet Eccleſia ſit ſæcularis, conſtat ex *c. nullus Religioſus.* 28. *c. ſi abbatem.* 36. *de elect. in* 6. *Clem.* 1. *Eod tit.* talem porrò Epiſcopum adhuc manere verum Religioſum tribus ſubſtantialibus votis obligatum (voto obedientiæ in S. Pontificem tanquam omnium Ordinum Caput & Generalem translato, à quo ex cauſa depoſitus denuo poſſit ad Monaſterium reduci) communiter ſentiunt DD. indeque etiam ad habitum geſtandum teneri, patet *ex c. pen. in fin. de* [illegible] *honeſt*

honeſt. Cler. In Rituali tamen Romano per Clem. VIII. Reformato conceſſum eſt Epiſcopis Regularibus, ut retento colore habitus [illegible] ſuæ Religionis valeant ſe conformare cum Epiſcopis ſæcularibus in forma & figura illius. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 6. n. 2. & 22. Layman. in Theol. mor. lib. 4. tract. 5. cap. 1 n. 9. & 10.* Aliis autem particularibus obligationibus, & obſervationibus Religionis v. g. jejunii, ſilentii, certarum precum & mortificationum, abſtinentiæ à carnibus, &c. ſolummodo ex morali honeſtate adſtringitur. *c. un. 18. q. 1.* ibi. *quem Canonica electio a jugo Regulæ Monaſticæ profeſſionis abſolvit. ex Gloſſ & Barb. in Collect. ibidem. Sanch. d. l. n. 17. & ſeqq. Laym. d. l. n. 10*

Cum igitur Epiſcopus Religioſus voto pau- 17
pertatis adſtrictus adminiſtrationem duntaxat (liberam tamen & ſuæ dignitati congruentem) non vero dominium acquiſitorum adipiſcatur, ideò DD. concludunt, acquiſita undecunque ante confirmationem, quoad dominium cedere Monaſterio, poſt confirmationem verò Eccleſiæ Cathedrali, ad quam Religioſus promotus eſt. per tex. *in c. un. 18. q. 1. Sanch. d. tract. lib. 7. c. 32 n. 62. & ſeqq.* verùm quamvis libenter conſentiam, ſi de bonis poſt confirmationem *proſpectu Eccleſiæ* acquiſitis loquamur: plurimum tamen ſubſiſto circa bona aliunde acquiſita v. g. ſucceſſione conſanguineorum, induſtriâ, parſimoniâ, &c. Etenim

nim ſi in his quoque Eccleſiæ fieret acquiſitio, cauſa iſtius acquiſitionis eſſet vel *ſuperioritas*, prout filius acquirit patri, ſervus Domino, ſubditus ſine legitimo herede decedens fiſco, vel *matrimonium & vinculum ſpirituale*, vel *ſpecialis contractus*, vel *delictum*, vel *Conſtitutio Canonis, aut legis*, alia non incidit. Non *ſuperioritas*, quia Epiſcopus eſt caput & Prælatus Eccleſiæ, ipſius autem Epiſcopi Archi-Epiſcopus, & S. Pontifex. Non *matrimonium & vinculum ſpirituale*, quia licet maritus teneatur alere & ſuſtentare uxorem (prout & Epiſcopus facere impenſas neceſſarias in Eccleſiam ſaltem de quarta. *c. quatuor.* 17. *cum ſeqq.* 12. *q.* 2.) non tamen ei cœtera acquirit, ut noti Juris & uſus. Deinde ſi iſtæ duæ cauſæ forent, obtinerent etiam in Epiſcopis ſæcularibus, qui tamen non alia, quàm bona proſpectu Eccleſiæ acquiſita eidem reſtituere tenentur, ut apud omnes in confeſſo eſt. Non præterea *ſpecialis contractus* & obligatio inde reſultans, quia ſuppono à religioſo Epiſcopo nullum tale pactum exigi vel iniri, neque Jure aliquo exigendum apparet. Non etiam *delictum*, ut per ſe patet.

18 Non deinde *conſtitutio Canonis, aut legis* hanc acquiſitionem imperare videtur, quia non video alium textum allegari, quàm *d. c. un.* 18. *q.* 1. cujus hæc ſunt formalia: *Statutum eſt, ut Monachus, quem Canonica electio à jugo Regulæ Monaſticæ profeſſionis abſolvit, & Sacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit, velut legitimus heres paternā ſibi*

ſibi hereditatem poſteà jure vindicandi poteſtatem habeat, ſed quidquid acquiſierat, vel habere viſus fuerat, Monaſterio relinquat, & Abbatis ſui, qui fuerat ſecundum Regulam Sancti Benedicti arbitrio. Poſtquam enim Epiſcopus ordinatur, ad Altare ad quod ſanctificatur, & titulatur, ſecundùm ſacros Canones, quod acquirere poterit, reſtituat. Planè hic textus inprimis etiam pro monaſterio allegari poteſt, loquitur enim de Monacho quem jam *ſacra ordinatio*, id eſt, conſecratio Epiſcopum fecit, hereditatem paternam vindicante, eandémque eſſe monaſterio relinquendam, innuere videntur illa verba: *vel habere viſus fuerat*, filius enim *hereditatem patris* jam in vita ejus *habere videtur* Jure ſcilicet *Suitatis* (quod non amitti per ingreſſum in Religionem §. præced. diximus) §. *ſui autem. l. de hered. qual. & diff.* deinde illa verba finalia: *ad altare ſecundùm ſacros Canones reſtituat*: convenientiſſimè tantùm de *bonis proſpectu Eccleſiæ acquiſitis* intelligi poſſunt, hoc enim tantùm jubent *Sacri Canones. c. Epiſcopi.* 19. 12. *q.* 1. *c.* 1. *& ſeqq.* 12. *q.* 3. & hoc inſinuat illud verbum, *reſtituat*, id eſt, reddat ad altare, quod ab altari accepit. Alia verò, quæ ab altari accepta non ſunt, ſed aliunde, minus propriè *ad altare reſtitui* dicerentur. Cùm igitur nec verba conſtitutionis clara ſint pro communi DD. ſententia, nec ratio conſtituendi ſecundùm communem interpretationem appareat, putarem erroris convinci vix poſſe, qui contra prædictam communem ſententiam circa bona aliunde, quàm

ex reditibus Ecclesiæ acquisita pro S. Pontifice, vel pro monasterio doceret. Præsertim in sententia illorum, qui tenent Episcopum Religiosum depositum vel renunciantem debere ad monasterium redire nullo novo obedientiæ voto emisso, sed priori revivisente, à quo tantùm per accidens liberatus extitetat, qua de re videri poterunt DD. apud Sanch. (qui tamen in alia est opinione, licet hanc probabilem reputet) *d lib 6. c. 6. n. 28. & 31.* relati. Adde similitudinem, quòd sicut pater, è cujus potestate liberatur filius per Episcopalem dignitatem, *auth. sed & Episcopalis. C. de Episc. & Cler.* non propterea privatur ejus successione, si idem filius præmoriatur, *Nov. 118. cap. 2.* ibi. *sive suæ potestatis, sive sub potestate fuerit is, cui succedunt.* Ita pari ratione videtur monasterium non esse excludendum à successione sui filii spiritualis Religiosi, licet is per Episcopalem dignitatem à potestate proprii Prælati exemptus fuerit, & sicut in priori casu adhuc remanet naturalis qualitas paternitatis, ita in isto qualitas spiritualis filiationis, ex qua Religioso Episcopo semper adhæsit Religionis & votorum obligatio.

19 Quær. X. Ad quid obligetur, & cui acquirat Religiosus promotus ad aliquod beneficium vel parochiam extra monasterium? De tali Religioso, cùm non sit constitutus in magisterio perfectionis sicut Episcopus, ob quod oporteat eum eximere à jugo Regulæ, communis est sententia obligari non tantùm ex morali honestate, sed ex debito

Digitized by Google

debito legali ad omnem observantiam suæ Regulæ, in quantum id commodè cum suo munere & laboribus consistere potest. *Sanch. d. lib. 6. c. 6. n. 36. Laym. in Theol. mor. l. 4. tract. 5. c. 1. n. 11.*

Cui verò acquirat Religiosus iste, si beneficium non sit monasterio incorporatum (datâ enim incorporatione utique monasterio acquirit (major est difficultas ? pleniſſimam quidem administrationem cum onere tamen superflua, ultra congruam sustentationem ex reditibus Ecclesiasticis in pias causas erogandi concedit, & in *parsimonialibus* liberam dispositionem huic Religioso relinquit, Laym. *d. l. 4. tract. 2. c. 3. n. 11.* sed circa dominium, cujus ob votum paupertatis est incapax, diversæ sunt DD. sententiæ. aliqui simpliciter pro Ecclesia, cui Religiosus inservit, aliqui pro monasterio saltem in beneficio simplici, respondent, aliqui distinguunt, ut bona prospectu Ecclesiæ obvenientia acquirantur Ecclesiæ, aliunde verò quæsita monasterio. videatur Sanch. *in Decal. lib. 7. cap. 32. n. 71. & seq.* Laym. *d. tract. 5. cap. 7. n. 17.*

Qui cum Panorm. *in c. fin. h. t. n. 3.* monasterium prorsus excludunt, in eo potissimum fundant, quòd Religiosus legitimè ad beneficium extra monasterium maximè ex S. Pontificis authoritate promotus, desinat habere communionem cum monasterio, eximatur ab obedientia sui Prælati, & transeat in obedientiam Episcopi vel S. Pontificis. Verùm quia talem Religiosum depositum, vel renunciantem teneri

neri redire ad monaſterium ſuum rectè docet Snnch. *d lib 6. c 6 ſub n 36* & ſpectato Jure communi & ipſius rei natura ſubjectum manere Prælato Ordinis in iis, quæ pertinent ad Regulam, nec obedientiam, quam præſtat Epiſcopo, eſſe ex voto, ſentit Layman. *d. tract 5 c 1. n. 12.* Ideò planè ſequitur, Jus aliquod radicale in hunc Religioſum penes monaſterium remanere, & inde cauſam acquirendi potius reſpectu monaſterii quàm Eccleſiæ ſaltem in quæſitis aliunde præter reditus Eccleſiæ cenſeri debere. & huc pertinent etiam, quæ paulò ante de Epiſcopo Religioſo diximus.

Adde quod tradit Layman. *lib 4. tract. 2. c. 3. n. 11.* ea quæ de bonis beneficiatorum ſæcularium in Jure & à DD. ſtatuuntur, (vid. Man. Par. *p. 4. cap. 4.*) pleraque in effectu etiam in beneficiatis Regularibus procedere, ita ut hi quoque bona *parſimonialia* habere poſſint. Unde ſicut beneficiati ſæculares tantùm *bona proſpectu Eccleſiæ acquiſita*, quæ poſt mortem ſuperſunt eidem relinquere tenentur, non verò *patrimonialia. induſtrialia, & parſimonialia* ita ſimile judicium erit de beneficiatis Regularibus. Imò cùm beneficiatus ſive regularis obligatus ad ſuperflua in pias cauſas impendenda ſatisfaciat ſuæ obligationi ſi monaſteriis donet, quæ & ipſa nomine piarum cauſarum veniunt. *Tyraq. de privil. piæ cauſæ. in præfat. V. primum igitur. Lugo de I. & I. tom. 1. diſp. 4. Sect. 3. n. 37. & Sect. 4. n. 68.* an non id ipſum cenſebitur factum, ſi monaſterio acqui-

acquirere dicatur? & an non ſaltem in illis locis hoc admittendum, ubi ex inveterato uſu vel magis abuſu bona Clericorum etiam proſpectu Eccleſiæ acquiſita, per ultimas quoque voluntates & ſucceſſiones liberè ad profanas cauſas diſtribuuntur? ut tamen Eccleſiæ pro neceſſaria ejus conſervatione aliqua portio relinquatur, videtur æquitati omninò conſentaneum. *arg. c. 2. de ſucceſſ. ab inteſtato.*

De Religioſo facto Priore alterius monaſterii reſolvit Sanch. *d. l. 7. cap. 32. n. 81.* ex Beroio *in cap. in præſentia. de probat. n. 549.* quòd ſi aliquid ei relinquatur facta Prioratus mentione, vel acquirat aliquid ex re, vel ratione dicti Prioratûs, acquirat Prioratui; ſecus ſi ſimpliciter aliquid ſibi obveniſſet ex teſtamento, vel ab inteſtato, vel aliunde; tunc enim cenſeretur contemplatione ſuæ perſonæ ſibi relictum, & ideò acquireret ſuo monaſterio, in quo profeſſus eſt. Sed hoc de Priore revocabili intelligitur, ut inſinuat *Sanch. d. l. in fine.* 20

Prior autem ſtabilitus & perpetuus, ac etiam Abbas ex alio monaſterio ritè aſſumptus efficitur de gremio & Monachus illius monaſterii, & manet talis etiam renuncians dignitati, vel depoſitus, per ea, quæ docet Panorm. *in c. cum ad Monaſterium de ſtatu Monach. n. 13.* & Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. diſp. 13. q. 4.* ideò ſimile judicium erit de eo, quod generaliter de Religioſis ad aliud monaſterium translatis ſuperius q. 8. poſuimus.

Titu-

neri redire ad monaſterium ſuum rectè docet Sanch. *d. lib 6. c 6. ſub n 36* & ſpectato Jure communi & ipſius rei natura ſubjectum manere Prælato Ordinis in iis, quæ pertinent ad Regulam, nec obedientiam, quam præſtat Epiſcopo, eſſe ex voto, ſentit Layman. *d. tract 5 c 1. n. 12.* Ideò planè ſequitur, Jus aliquod radicale in hunc Religioſum penes monaſterium remanere, & inde cauſam acquirendi potius reſpectu monaſterii quàm Eccleſiæ ſaltem in quæſitis aliunde præter reditus Eccleſiæ cenſeri debere.. & huc pertinent etiam, quæ paulò ante de Epiſcopo Religioſo diximus.

Adde quod tradit Layman. *lib 4. tract. 2. c. 3. n. 11* ea quæ de bonis beneficiatorum ſæcularium in Jure & à DD. ſtatuuntur, (vid. Man. Par. *p. 4. cap. 4.*) pleraque in effectu etiam in beneficiatis Regularibus procedere, ita ut hi quoque bona *parſimonialia* habere poſſint. Unde ſicut beneficiati ſæculares tantùm *bona proſpectu Eccleſiæ acquiſita*, quæ poſt mortem ſuperſunt eidem relinquere tenentur, non verò *patrimonialia, induſtrialia, & parſimonialia* ita ſimile judicium erit de beneficiatis Regularibus. Imò cùm beneficiatus ſive regularis obligatus ad ſuperflua in pias cauſas impendenda ſatisfaciat ſuæ obligationi ſi monaſteriis donet, quæ & ipſa nomine piarum cauſarum veniunt. *Tyraq. de privil. piæ cauſæ. in præfat. V. primum igitur. Lugo de I. & I. tom. 1. diſp. 4. Sect. 3. n. 37. & Sect. 4. n. 68.* an non id ipſum cenſebitur factum, ſi monaſterio acqui-

acquirere dicatur? & an non saltem in illis locis hoc admittendum, ubi ex inveterato usu vel magis abusu bona Clericorum etiam prospectu Ecclesiæ acquisita, per ultimas quoque voluntates & successiones libere ad profanas causas distribuuntur? ut tamen Ecclesiæ pro necessaria ejus conservatione aliqua portio relinquatur, videtur æquitati omninò consentaneum. *arg. c. 2. de succeſſ. ab inteſtato.*

De Religioso facto Priore alterius monasterii resolvit Sanch. *d. l. 7. cap. 32. n. 81.* ex Beroio *in cap. in præsentia. de probat. n. 549.* quòd si aliquid ei relinquatur facta Prioratus mentione, vel acquirat aliquid ex re, vel ratione dicti Prioratûs, acquirat Prioratui, secus si simpliciter aliquid sibi obvenisset ex testamento, vel ab intestato, vel aliunde; tunc enim censeretur contemplatione suæ personæ sibi relictum, & ideò acquireret suo monasterio, in quo professus est. Sed hoc de Priore revocabili intelligitur, ut insinuat *Sanch. d. l. in fine.* 20

Prior autem stabilitus & perpetuus, ac etiam Abbas ex alio monasterio ritè assumptus efficitur de gremio & Monachus illius monasterii, & manet talis etiam renuncians dignitati, vel depositus, per ea, quæ docet Panorm. *in c. cum ad Monaſterium de ſtatu Monach. n. 13.* & Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. diſp. 13. q. 4.* ideò simile judicium erit de eo, quod generaliter de Religiosis ad aliud monasterium translatis superius q. 8. posuimus.

Titu-

Titulus XXII.

Est 35. in Lib. 3. Decretal.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

Summaria.

1. *Religiosus non potest habere proprium pecuniarium, secus honoris, & jurisdictionis.*
2. *Prælatus potest Religioso concedere aliquod peculiũ.*
3. *Legatum factum Religioso, ut ad eum solum pertineat, an valeat.*
4. *Tacita etiam seu præsumpta licentia excusat à vitio proprietatis.*
5. *Religiosus proprietarius quas pœnas incurrat.*
6. *Paupertas habet gradus.*
7. *Religiosus peccans contra castitatem contrahit duplicem malitiam.*
8. *Votum obedientiæ in quantum obliget.*
9. *De clausura & Monasteriis Monialium quid statuerit Concilium Trid.*
10. *Abbatissa an possit dare licentiam intrandi Monasterij clausuram.*
11. *Infantes & puellæ causâ educationis an & qualiter possint admitti ad Monasteria Monialium.*
12. *Excommunicatio ob ingressum in clausuram probabiliter non est reservata.*
13. *Mulieres ingredientes Monasteria virorum possunt probabiliter à Censura excusari.*

POstquam in præcedentibus Titulis de votis gnenere, & de ingredientibus in Religionem

nem præmiſimus, in præſenti ſpecificè ad obligationem *Votorum ſolennium ſcilicet paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ*, deſcendimus. Quia verò de hac materia prolixè ſcribunt Theologi, & Commentatores in diverſas Ordinum regulas, ideò tantùm pro ſummaria aliqua cognitione.

Not. I. Quòd ex voto *paupertatis* obligentur omnes Religioſi ne quid proprium habeant. *c. 2. 4. & 6. h. t.* intelligendum tamen hoc circa bona pecuniaria: dominium autem famæ & honoris, item jus eligendi, jurisdictionémque ſpiritualem, & beneficii titulum (ſecus de reditibus beneficialibus) proprium Religioſus habere poteſt, ut ex S. Thoma Navaro & aliis notat Laym. *in Theol mor. lib. 4. tr. 5. c. 7. n. 2.* Cæterum verò *Proprium* hic non præcisè juridicè ſumitur, quatenus ſcilicet dominium importat, cùm Religioſus etſi maximè velit, tamen dominium de Jure habere non poſſit, ſed accipitur ſecundùm terminos Regularis inſtituti & complectitur omne id, quod Religioſus contra voluntatem Prælati expreſſam, vel ſaltem rationabiliter præſumptam detinet, aut expendit. Layman. *d. l. n. 4.* 1

Dico, contra voluntatem Prælati, nam ex plurium DD. ſententia poteſt Prælatus Religioſo aliquod peculium in genere ad uſus honeſtos concedere dummodò non ſimul poteſtatem revocandi à ſe abdicet, & Religioſus parátus ſit ad quamcunque Prælati avocationem id reſignare. Statutum autem Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de regul. c. 2.* 2

tam-

tantùm de concessione perpetuâ & irrevocabili à DD. exponitur. *vid. cc. apud Barb. in collect. ad d. c. 2. Trid. n. 3.*

3 Legatum quoque conditionatum in favorem alicujus Religiosi factum, ut res legata ad eum, & non ad monasterium pertineat, explicandum est (juxta conditionem personæ. *l. plenum. §. quitij. ff. de usu & hab.* & ne voluntas ultima pereat, *l. in contrahenda ff. de R. I. l. qui quadraginta. ff. ad l. Fal.*) de solo usu ejus cum licentia Prælati. Prælato consentiente in usum Monachi, (dissentiente enim corruit legatum) poterit Monachus huic usui in favorem Monasterii renunciare. *vid. Panorm. in c. 2. h. t. n. 8. Molina tom. 1. disp. 140. n. 20. Sanch. l. 7. mor. c. 17. n. 9.*

4 Præterea ut Religiosus sine peccato aliquid detinere, vel in suos usus convertere possit, non semper expressa voluntas Prælati requiritur, sed etiam tacita & præsumpta sufficit, si res sit exiguæ quantitatis, & Religiosus rationabiliter præsumere possit; Prælatum, tametsi resciret, non fore invitum; quod plerumque ex eo cognoscitur, quando Prælatus multoties tantundem per expressam licentiam in usum Religioso concessit. Semper tamen minus de voluntate Abbatis præsumere potest Religiosus degens in monasterio, quàm extra in studiis, aut Parochiâ, cùm in monasteriis bene disciplinatis nullus specialis præsertim pecuniarum usus Religiosis concedatur, nisi illis, qui administrationem habent.

Pœnæ

Pœnæ verò Religioſi proprietarii tres ſtatuuntur; primò privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ſi proprietas in magnâ quántitate fuerit. *c. Monachi. & c. cum ad Monaſterium. h. t.* Licet autem ibidem jubeatur, ut etiám proprium inventum cum Religioſo ſepeliatur; ne tamen monaſterio ád quod pertinebat, ex delicto perſonæ damnũ inferatur; cenſent DD. ſufficere aliquam partem illius proprii ſic ſepeliri. *Barb. add. c. cum ad Monaſterium. n. 5.* Et cùm ratio hujus conſtitutionis ſit, quòd talis proprietarius in peccato mortali deceſſerit, ut notat Gloſſ. ibidem. Ideò antequam hæc graviſſima pœna infligatur, conſiderandum erit, an non adſint aliquæ conjecturæ pro defuncto, quæ hanc pœnam mitigent, aut excludant, ut quia ante mortem pœnitens facultatem reſtituendi non habuit, quia de tácito conſenſu Prælati bonâ fide præſumpſit, aliâve rationabili causâ retinendi nitebatur, &c. Secundò privatio vocis activæ & paſſivæ in Capitulo per biennium, id eſt, ut ad actus capitulares talis proprietarius vocari non debeat, nec eligere, nec eligi poſſit. *Trid. ſeſſ. 25. de Regularibus. c. 2.* Tertiò expulſio è Monaſterio *d. c. cum ad Monaſterium.* Cujus tamen loco Prælatus pro arbitrio ſuo potiùs aliam pœnam infligere debet, quia magis curandum, ut ad evitanda ſcandala Religioſi in Congregatione contineántur, quàm expellantur. *c. fin. de Regularibus.* juxta ea, quæ in §. ult. tit. præced. dicta ſunt. & univerſim pœnas Jure Can. præ-

sertim antiquiori statutas de consuetudine plerumque esse arbitrarias tradit Vallensis *ad Tit. de pœnis. §. 4. in fin.* Deinde istæ pœnæ tantùm procedunt; si Religiosus peccet contra paupertatem per illicitam rerum detentionem, non verò per illicitam alienationem, de qua constitutiones istæ pœnales non loquuntur, & ideò ad eam extendendæ non sunt. *c. odia. de Regul. jur. in 6. & l. penult. ff. de pœnis.* Porrò quæ hactenus dicta sunt de singularibus Religiosis intelligi debent; nam monasterium in communi rectè bona possidere potest, imò omnes etiam Ordines mendicantes; qui fortè ex prima sua institutione erant bonorum etiam in communi incapaces, hodie fundationes, & bona immobilia acceptare possunt, exceptis Capuccinis, & Fratribus Minoribus S. Francisci; qui de observantia dicuntur: *Trid. sess. 24. de Regul. c. 3.*

6 Habet enim paupertas suos gradus, & una major est altera, ita ut quælibet notabilis restrictio administrationis rerum suarum paupertas suo modo dici possit: quemadmodum Apostolus *ad Galat. 4.* pupillum comparavit servo nihil habenti & omnis proprietatis de Jure incapaci: §. 1. *Inst. de stipulat. servorum.* ex eo quòd esset quidem Dominus omnium, sed sub Tutoribus, nec bonorum suorum haberet administrationem. Unde & in Societate emittentes simplicia vota sub modo paupertatem habent, & Religiosi dicuntur, licet adhuc dominium radicale

Digitized by Google

tale etiam in particulari retineant, sed illud vinculatum & dependens à Superiore. Cæterùm qualiter Religiosi habeant Jus testandi, vel succedendi in hereditatibus, vel cui acquirant, jam supra in præcedenti tit. dictum est, & infra quoque ad lib. 3. t. *de Testament. & succeſſ. ab inteſt.* pertinent.

Not. II. Quòd ex voto *Castitatis* teneatur 7
Religiosus abstinere ab omni delectatione venereâ tam extra quàm intrà Conjugium, ita ut Religiosus peccans contra castitatem præter violationem præcepti Decalogi, etiam per transgressionem voti sacrilegium, adeóque duplicem malitiam committat. circa quod peccatum plura apud Theologos legenda erunt.

Not. III. Quòd obedientia voveatur Præ- 8
lato juxta cujuscunque Ordinis Regulas ac constitutiones, ità ut Prælati præceptum non obliget sub culpa, nisi in illis quæ aut directè aut indirectè ad observationem Regulæ pertinent. Unde non obligabit, si jubeat acceptare Episcopatum, vel abbatiam in alio monasterio, assumere strictiorem Regulam, quam quis professus est, &c. In iis verò quæ vel explicitè, vel virtualiter in Regula continentur, & ordinantur ad vitæ correctionem, monasterii, ejúsque disciplinæ conservationem, potest Prælatus imperare sub culpa, eique non obedientes sacrilegiũ committunt: Non tamen censetur semper sub culpa jubere, nisi ex verbis vel circumstantiis id appareat, maximè si sint talia, in quibus nec

ipsa Regula, nec intentio fundatoris obligat sub mortali, sed tantùm ad pœnam sustinendam, si quis transgressus fuerit: Imò nec semper justum & validum est, ut in materia leviori Prælati conscientias subditorum sub gravi culpa onerent. De hac obligatione statutorum in conscientia, & an Religiosi teneantur acceptare reformationem sui Ordinis, superius *in proleg. tit. §. n. 23. & §. 3. n. 36. dictum est, vid. etiam Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 5. c. 9.*

9 Not. IV. Rectè constitutum esse *in c. un. h. t. in 6.* & in Trid. *sess. 25. de Regular. c. 5.* ut Episcopi in monasteriis Monialium etiam exemptis, ut Sedis Apostolicæ delegati, in subditis verò ut Ordinarii clausuram rigorosam procurent, & ad eam acceptandam Moniales per censuras, & invocationem brachii sæcularis compellant, item ut monasteria Monialium extra urbem vel oppida existentia, si fieri possit, intra urbes reducant, licet fortassis ante hac clausura observata non fuerit, vel monasterium extra urbem fundatum sit. Ulterius quoque statuit Trid. *d. locò.* ut nulli Moniali post professionem liceat exire ex monasterio etiam ad breve tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causâ ab Episcopo approbata, indultis quibuscunque, & privilegiis non obstantibus. Ingredi autem monasteria Monialium nemini liceat cujuscunque generis, aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerit sine Episcopi, vel Superioris licentiâ in scriptis obtentâ

sub

Digitized by Google

ſub excommunicationis pœnâ ipſo facto incurrendâ, licentiam autem Epiſcopus, vel Superior dare debeat tantùm in caſibus neceſſariis. Nomine autem Superioris etiam Abbatem, vel alium Prælatum venire, cujus monaſterio monaſterium Monialium annexum eſt, docet Tambur. *de jure Abbatiſſarum. diſput.* 23. *quæſito* 1. Porrò circa hanc Trident. Conſtitutionem ulterius

Not. V. Licet Abbatiſſa per ſe non poſſit alicui dare licentiam etiam ex juſta cauſa intrandi clauſuram (exceptâ magnâ neceſſitate, quæ legem non habet, puta incendii, ruinæ, ſubitaneæ infirmitatis &c.) poſſe tamen Epiſcopum dare poteſtatem ipſi Abbatiſſæ, vel Confeſſario, ut in caſibus frequenter occurrentibus licentiam concedant, maximè ſi ipſe Epiſcopus propter diſtantiam commodè adiri nequeat, tradit Barb. *ad d. c* 5. *Trid. n.* 6 cauſæ autem neceſſitatis, & frequenter occurrentes ſunt, ſi Monialis vel ex Regula, vel ex devotione confiteri deſideret, & propter infirmitatem aut ſurditatem commodè ad feneſtellam audiri nequeat, ſi Medicus, aut Chyrurgus ad ægrotantem vocetur, ſi ſtructura aliqua in monaſterio conficienda ſit, ob quam frequenter oportet introire operarios, ubi tamen ſemper talis proviſio debet fieri, ut omnia extra ſuſpicionem ſint. Ipſe quoque Superior quòd cauſa viſitationis, aut electionis Abbatiſſæ cum decenti comitatu Eccleſiaſticorum poſſit ingredi clauſuram Mo- 10

nialium, habetur in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit. *ubi gratia &c.*

11 Not. VI. Licet ex allegato Trident. loco prohibeatur omnibus generaliter ingressus in monasteria Monialium, nihilominus infantes discretione carentes, sive septennio minores nonnunquam admitti posse communiter receptum est, secus autem dicendum de fatuis, seu adultis rationis usu carentibus, quia ex mente Trid. non tantùm illi, qui peccare, sed omnes, qui ad peccandum movere possent à clausura excludantur.

Præterea cùm Trid. etiam sexus differentiam non habendam esse statuat, ideò neque fœminæ absque licentia, & justa causa admitti debebunt, prout in specie Episcopum non posse dare licentiam, ut vidua quamvis honesta in habitu sæculari inter Moniales commoretur, licet perpetuò ibi commorari vellet, Tambur. tradit *de jure Abbatissarum. disp.* 24. *quæstio* 14. *n.* 3. Interim puellas causâ educationis ab anno 7. usque ad 25. in monasteriis Monialium commorari posse, dummodo consensus Superioris & Abbatissæ ac Monialium accedat, & in eo loco separato à dormitorio Monialium, ac ubi laboribus manuum Moniales vacare solent, habitent, nec ancillas, aut famulas secum introducant, docet & à saera Congregatione declaratum refert Quaranta *in Summa Bullarij v. Monasteria Monialium.* §. *puellæ. & Barb. d. l. n.* 39. Non enim videtur subesse periculum divulgan-

di

Digitized by Google

di mores fæculares, & mundanos inter Monia-
les cum eorum ſcandalo, & perturbatione, ſi ta-
les puellæ, quàm ſi viduæ recipiantur. Poſt com-
pletum autem 25. annum remanens in mona-
ſterio nullam propterea cenſuram incurrit, ſed
Epiſcopus determinabit tempus intra quod e-
gredi, vel habitum induere debeat.

Not. VII. Quòd excommunicatio, quæ in- 12
curritur per ingreſſum in monaſterium Monia-
lium juxta communiorem ſententiam non ſit
reſervata S. Pontifici, ſed à quolibet Confeſſa-
rio abſolvi poſſit. quia ubi lex abſolutionem
non reſervavit ſpecialiter Pontifici, vel Epiſco-
po, cenſetur eam etiam inferioribus permiſiſſe.
ſ. nuper. 29. verſ. in ſecundo caſu de ſent excomm.

Non obſtat dicta Bulla Greg. XIII. per quam
videtur talis excommunicatio apertè reſervata,
nam ibidem Pontifex revocavit omnia privile-
gia, & indulta, ex quibus nonnullis Ducibus,
& Comitiſſis, ac ſimilibus perſonis licebat mo-
naſteria Monialium ingredi, & propterea in eos
tantùm ſententiam excommunicationis reſer-
vatam tulit, qui illa antiqua privilegia pertina-
citer defendere, & vigore illorum monaſteria
Monialium ingredi præſumunt; Unde qui ſi-
ne tali prætextu privilegiorum antiquorum
monaſterium ingrederetur, eum non incur-
ſurum excommunicationem reſervatam Papæ
communiter inferunt Doctores apud Barb.
d. loco. n. 74.

13 Not. VIII. Quòd Conſtitutio Concilii Trid. de Monialibus non ſit extendenda ad monaſteria virorum, circa quæ probabiliter dici poteſt, non eſſe generaliter cenſuram inflictam. In monaſteriis virorum enim non reperitur aliqua inflictio, vel mulieribus ingredientibus, vel Religioſis mulieres introducentibus, neque præſertim in pœnalibus fæminino vocabulo mares intelliguntur. *l. ſi ita ſit ſcriptum.* 45 *ff. de legat.* 2. aut cenſura ſine textu expreſſo ſtatuenda eſt. Quamvis interim ob circumſtantiam pravi finis, ſcandali, occaſionis peccati, aut transgreſſionis alicujus certæ Regulæ graviter inhibentis mulierum introductionem poſſit per eam aliquando grave peccatum committi. Et generalis prohibitio nullâ tamen additâ cenſurâ eſt *in c. Luminoſo.* 18. *quæſt.* 2. Solet quidem in contrarium allegari Bulla Pii V. quæ incipit *Regularium.* & d. Bulla Gregorii XIII. *ubi gratia.* Ubi in mulieres etiam intrantes monaſteria virorum fertur excommunicatio reſervata. Nihilominus ſentiunt Doctores quòd juxta reſponſionem ſub priore not. datam dictæ Bullæ tantùm loquantur de mulieribus magnæ dignitatis, quæ prætextu Privilegiorum præſumunt quaſi violenter monaſteria virorum intrare, eorúmque pacem turbare. Suarez. *tom.* 5. *de Cenſuris. diſput.* 22. *ſect.* 6. *n.* 12. *Laym. in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 12. *n.* 4. Refert autem Navar. *de regularibus. comment.* 4. *n.* 62. Pium V. declarâſſe ſuam Bullam univerſim

versim de mulieribus ingredientibus monasteria virorum procedere, sed respondet Laym. *d. n.* 4. *vers. sed & si demus.* istam declarationem nec authenticè promulgatam, neque saltem in Germaniâ secundùm eum rigorem receptam fuisse.

Titulus XXIII.

Est 32. in Lib. 3. Decretal.

De Conversione Conjugatorum.

Summaria.

1. *Matrimonium ratum dissolvitur per ingressum quo ad vinculum, consummatum autem tantùm quo ad cohabitationem.*
2. *Redditur ratio diversitatis, & ibi quæ sit significatio Sacramentalis Matrimonij rati & consummati*
3. *An Pontifex juste concesserit hoc privilegium?*
4. *Per legem communem potest Princeps aliquem privare suo jure.*
5. *Reprobatur opinio illorum, qui putant, tantùm bimestre tempus dari conjugatis pro Novitiatu.*
6. *In Matrimonio sæpe aliquis cogitur continere sine culpa sed non sine causa.*
7. *Copula antecedens matrimonium non operatur ut matrimonium dicatur ex ea consummatum.*
8. *An copula vi extorta impediat ingressum?*
9. *Professio sine licentiâ alterius conjugis post matrimonium consummatũ facta non valet ut solennis, valet tamen ut votum simplex castitatis.*
10. *Nec convalescit Professio sine novo consensu licet alter conjux ratificaverit, vel mortuus fuerit.*

11. *Propter adulterium unius potest alter ad Religionem transire.*

12. *An si professio non valeat nisi in vim voti simplicis, possit professus libere exire etiam non revocatus?*

13. *Quid, si conjunx dans licentiam ex post facto nolit ipse quoque ingredi?*

14. *Per assumptionem Ordinum Clericalium non dissolvitur matrimonium.*

1 NOn tantùm homines cœlibes, sed etiam conjugati ad Religionem transire possunt, & per istum ingressum matrimonium prius contractum dissolvitur, adhibitâ tamen distinctione inter matrimonium *ratum & consummatum*. Nam si matrimoninm quidem *ratum* & in facie Ecclesiæ contractum, nec dum tamen per copulam carnalem *consummatum* sit, dantur his novis Conjugibus duo menses ad deliberandum, an matrimonium consummare vel ingredi velint. Quòd si alter ex conjugibus ingressus fuerit, matrimonium *ratum* etiam *quo ad vinculum* dissolvetur, & alter in sæculo remanens aliud matrimonium inire poterit, sed tunc primùm, ubi ingrediens Professionem fecerit. *c. 2. & 7. de conversi. conjug.* Hostiens. *eod. tit. n.* 11.

2 Matrimonium autem *consummatum* quamvis *quoad vinculum* dissolvi non possit, si tamen alter conjunx cum expressâ licentiâ alterius post consummatum matrimonium ingredi, & alter etiam sequi, vel saltem (si propter senium aut valetudinem de incontinentia suspectus non sit) voto simplicis castitatis se obligare velit, matrimonium

pium quoad *mutuam cohabitationem* sicut per divortium solvetur. *c. 4. & seq. c. uxoratus. 8. c. ad Apostolicam 13. de conv. conjug.*

Sed quare potiùs *vinculum* matrimonii *rati* per ingressum in Religionem dissolvitur, quàm *vinculum* matrimonii *consummati*? Rationē assignat Hostiens. *d. t. n. 7* quod illa *conjunctio animorum*, quæ fit per matrimonium *ratum*, tametsi verum sit Sacramentum, & perfectum matrimonium, tamen solùm significet *conjunctionem Christi cum animâ fideli per gratiam*, quæ conjunctio non est immutabilis, quia & in melius mutari sive intendi, & etiam per peccatum omnino tolli potest. At verò *conjunctio corporum* & matrimonium *consummatum* significat *conjunctionem Christi cum Ecclesiâ* (juxta illud Apostoli *ad Ephes 5. Sacramentū hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ*) quæ conjunctio omnino indissolubilis est. 7

Quæritur autem I. quomodo summus Pontifex potuerit in matrimonio *rato* dare licentiam ingrediendi Religionem etiam altero conjuge invito, & sic alterum jure ex matrimonio quæsito privare? Cum matrimonium *ratum* ex suâ natura non sit indissolubile, ideo rectè potest Papa justâ aliquâ ex causâ ejus obligationem & *vinculum* tollere, vel per dispensationem vel per procurationem majoris boni, & concessionem ingressus in Religionem. Nec obstat, quòd alter conjunx privetur jure suo ex contractu matrimonii quæsito: nam ex justâ causâ potest Princeps aliquem Jure suo privare, maximè si id faciat

ciat per legem publicam & communem. quemadmodùm factum videmus in lege *præſcriptionis*, per quam ei qui patitur longo tempore rem ſuã ab alio poſſideri aufertur dominium, & transfertur in poſſidentem, ne dominia rerum ſint
4 incerta, & ut lites tandem finiantur. Neque propterea tales leges magnum gravamen habent, quia ſunt comunes omnibus, & ſicut poſſunt obeſſe in uno caſu, ita poſſunt prodeſſe in altero e. g. hoc anno præſcribitur contra me, altero fortaſſis ego præſcribam contra alium, in hoc matrimonio uxor invito marito ingreditur Religionem, in altero invitâ uxore maritus, &c. Deinde quia jam per legem generalem conſtitutum eſt, ut Religionem ante conſummationem ingredi liceat, ideo obligatio matrimonii non eſt omni ex parte pura & abſoluta, ſed habet tacitam conditionem, obligo me, niſi intra bimeſtre placuerit Religionem ingredi. Textus denique qui ex Scriptura poſſent in contrarium adduci, ut quòd *non liceat dimittere uxorem exceptâ causâ fornicationis*: Item *quos DEUS conjunxit homo non ſeparet*: de matrimonio conſummato intelliguntur. *c. 7. de converſ. conjug.*

5 Quæritur II. An ſi unus ex Conjugibus ad Religionem tranſeat, alter debeat per integrum annum expectare uſque dum ingrediens profeſſionem faciat? Non deſunt qui putent, perſonis conjugatis tantùm *bimeſtre tempus* eſſe aſſignatũ, intra quod Novitiatum agere, & poſt illud expletum vel Profeſſionem facere, vel ad conjugi-

um

um redire debeant, per textum in *d. c 6. d. t.* quē ajunt etiam hodiè per Concil. Trid. non esse correctum propter specialem rationem, quæ in conjugibus militat, ne scilicet conjunx in sæculo expectans propter longiorem moram periculo incontinentiæ exponatur. *Zoes. d t. n* 71. Verùm cùm generaliter omnibus de Jure antiquo annus probationis sit concessus ; *c. ad Apostolicam.* 16. *de Regul.* eumque Trid. Conc. in quacunque Religione tanquam omnino necessarium sine distinctione requirat; circa conjugatos autem apertè & in claris terminis contrarium non statuatur, ideo probabilius est, etiam conjugatum ingredientem monasterium *annum Novitiatus* explere, & alterum conjugem interim expectare debere. ita docet Sanch. *de Mart. lib.* 2. *d.* 24. *n.* 4. quòd verò in *d. c.* 7. *d. t.* dicitur, conjugem debere intra duos menses ad monasterium transire vel ad conjugem redire, accipiendū est de tempore deliberatorio, non de tempore Novitiatus, & in casu illius Capituli, ubi mulier à marito adhuc in sæculo se separavit.

Demum circa id, quod obiicitur de periculo incontinentiæ, si alter conjunx tamdiu expectare debeat, Responderi potest per verba Pontificis *in c. quoniam. vers. si autem de carnali. ut lite non contest.* quòd in matrimonio multi casus emergant, in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur : ut si alter ex morbo vel maleficio impotens reddatur, si lis super aliquo impedimento matrimonii instituatur. 6

Quæ-

7 Quæritur III. an copula ante matrimonium habita cum ea quam quis uxorem duxit, faciat, quo minus liceat Religionem ingredi? Ratio dubitandi eſt, quod ex multorum ſententia copula ante matrimonium habita fictione Juris cenſeatur in ipſo matrimonio contigiſſe: unde fit quod liberi ante nati vel concepti per ſubſequens matrimonium legitimentur *juxta c. 2. & 5. qui filij ſint leg.* Nihilominus tenendum eſt, talem copulam non impedire liberum ingreſſum ad Religionem; cum extra Matrimonium facta & merè fornicaria non faciat matrimoniũ conſummatum, nec ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Ad rationem dubitandi dicitur; illam fictionem Juris tantùm locum habere circa legitimationem liberorum, non autem generaliter; & eo caſu, quo de conſummatione matrimonii & *ſignificatione Sacramentali* inquiritur, ubi proinde non ex fictione Juris, ſed veritate proceditur.

8 Quæritur IV. An copula vi aut metu ab uxore extorta impediat Religionis ingreſſum? Negativè reſpondet Sanch. *d. c. 2. diſp. 22. n. 6.* quia per violentiam Mariti uxor Jure ſuo privari non debuit; nec Maritus ex ſuo delicto debet commodum reportare, ut hoc modo uxorem in matrimonio retinere poſſit, idem docet gloſſ. *in c. fin. in V. invitus diſt. 55.* Verum contrarium probabilius videtur; quia talis copula verè facit virum & mulierem unam carnem, & matrimonium conſummatum, ut fatetur ipſe Sanch.

d. l.

d. l. d. 4. consequenter inducit sacramentalem significationem matrimonii *consummati* scilicet conjunctionem Christi; & vinculum indissolubile. Rationibus Adversariorum breviter responderi potest, uxorē quidem privari suo Jure sine *culpa*, non autem *sine causa*, & maritum reportare commodum ex delicto non per se & directè, quatenus ex delicto, sed potius indirectè & ocasione delicti; per se autē ista indissolubilitas provenit ex consummatione matrimonii, ut dictum.

Quæritur V. quid Juris, si post consummatum matrimonium conjunx ignaro vel invito altero conjuge Religionem ingrediatur, ibique professionem faciat? Respondeo talem professionē non valere; & ideo profitentem liberè ab altera parte revocari posse. Quamvis autem revocatus mortuâ conjuge non teneatur ad monasteriū redire: cùm Professio non valuerit, quia tamen in Professione votum castitatis emittendo hoc ipso promisit nunquam exigere debitum conjugale, quod cum in ipsius fuerit potestate; ideô quo ad hoc votum tenuit, non quidem tanquam *solenne*, sed tanquam *simplex*, ac propterea non tantùm constante matrimonio sine dispensatione debitum exigere, sed nec eo dissoluto aliud saltem licitè (validè tamen, utpote cum voto duntaxat simplici) contrahere poterit, *c. 3. c. placet ubi DD. de converſ. conjug.* Sunt quidem qui censent, talem invalidam professionem habere saltem vim *voti Religionis impedimento sublato*, eos tamen redarguit Sanch. *de matrim. lib. 7. diſp. 14.*

diſp. 34. n. 10. per tex. *in d c. 3.* ubi dicitur, *quod votum non tenuit, & ratione voti non tenetur ad religionem redire.* idemque confirmatur *in d. c. placet.* ubi tantum *conſultius* eſſe deciditur, ut uxor inſcio marito profeſſa, & revocata, eo mortuo ad monaſterium redeat, *invita* autem *cogenda* non ſit.

Obiiciet fortaſſis nonnemo etiam contra obligationem voti ſimplicis caſtitatis, quod is, qui voluit vovere caſtitatem in Religione, non hoc ipſo voluit etiam in ſæculo; proinde habebit hic locum, *quod potuit non voluit*, &c. R. Hoc argumentum poſſe aliquando obtinere in conſcientia, ſi vovens talem limitatam intentionem poſuerit, interim de Jure præſumi, quòd voluerit ſe eo modo obligare, quo potuit, juxta illud; *ſi act⁹ nõ valet ut ago, valeat omni meliori modo, quo poteſt. §. fin. & ibi DD. de adopt. Sanch. d l. n. 3.* Inſtas, quare non etiam alia vota ſcil. *Obedientiæ & paupertatis* profeſſione annullata valent in vim ſimplicis? R. quòd habeant majorem dependentiam & connexitatem cum monaſterio, ut nemo rationabiliter præſumi poſſit, ad ea ſe voluiſſe extra monaſterium obligare, nuuquid enim, Maritus ex vi voti ſimplicis obediet uxori, aut eidem acquiret.

Quòd ſi circa votum non exigendi debitum, inter cohabitandum, vel poſtea foret frequens periculum transgreſſionis, diſpenſatio deſuper peti poſſet, tutius quidem à S. Pontifice, probabiliter tamen etiam ab Epiſcopo, quia hoc votum non eſt illud votum ſimplex caſtitatis abſolutæ

ſolutæ ſeu virginalis reſervatum, quod circa redditionem debiti vovere, non fuit in voventis poteſtate, ſed eſt tantum votum non exigendi debitum *d. c. 3. & c. placet. h. t.* quod reſervatum non eſſe cum pluribus aliis docet Laymann, *in Theol. mor. lib. 4. cap. 8 n. 8.* imò etiam in voto ſimplici caſtitatis poſt contractum matrimonium in ordine ad petendum debitum eo durante diſpenſari poſſe per Epiſcopum ſentit Nav. *in Man. c. 16 n. 30.*

Porrò Profeſſio unius conjugis ſine licentia alterius conjugis facta per ratificationem, vel mortem illius conjugis in ſæculo relicti ex probabiliori ſententia non convaleſcit, niſi per novum conſenſum tacitum, vel expreſſum renovetur *juxta regulam 18. Jur. in 6. quod ab initio non valet tractu temporis convaleſcere non poteſt,* & quia prior conſenſus in Religionem ſine licentia uxoris fuit invalidus, ergo novus omuino conſenſus requiritut. Sunt quidem qui putant, talem Profeſſionem valere ſub conditione, ſi conjunx conſenſerit, vel mortuus fuerit. ſed id potius divinatorium eſt, cum nullo expreſſo textu probetur, è contra autem *in c. 3. d. t.* abſolutè dicatur, Profeſſionem non valuiſſe, *Sanch. de matr. lib. 7. diſſ. 34. n. 16.* videtur quoque in contrarium facere, *c. conſuluit. d. t.* ubi reſpondit Pontifex quod vir profeſſus mortua uxore nec ad ſæculum redire, nec matrimonium validè contrahere poſſit. Sed hic textus non loquitur apertè de noſtro caſu, quo matitus invita uxore

Religionem ingressus est, imò non obscurè ex verbis ibi positis colligitur, ipsam quoque uxorem ad Domum Regularem transivisse, & consequenter ante Professionem licentiam tacitam vel expressam dedisse.

11 Ulterius etiam illud notatu dignum, quòd adulterium unius conjugis sicut causat perpetuum divortium, ita etiam faciat ut conjunx innocens irrequisito conjuge adultero Religionem ingredi in eaque validè profiteri possit, *Navar. de convers. conjug. cons* 7. non tamen convalescet Professio ab initio inutiliter & sine consensu conjugis facta, licet conjunx in sæculo ex post facto adulterium commiserit, per ea quæ statim antea diximus.

12 Quær. VI. An eo casu quo professio conjugis non valuit nisi in vim voti simplicis possit is propriâ authoritate ex monasterio exire, quamvis ab altero conjuge non petatur?

Pro affirmativa, quam tenet Sanch. *d. disp.* 34. *n.* 13. facit, quòd Professione invalidâ non sit causa, cur aliquis in monasterio retineatur, *arg. c. accedens. 3. d. t. & c.* 2. 33. *q.* 5. ubi invalidè professus proprio motu exiens non propterea reprehenditur. Econtra pro negativa quam docet Glos. & Panor. *in c. Placet.* 12. *d. t.* fortiter stringit textus *in eod. c. placet.* in illis verbis: redire autem ad sæculum non erat in ejus potestate. cui accedit ratio quòd talis Professio saltem valeat ut votum simplex castitatis, propter quod tenetur vovens, quantum in se est, vitare omne carnale cõmercium uxoris, In

In hac difficili quæstione inprimis dico, monasterium posse expellere talem nulliter professum postquam ejus nullitatem cognovit: quia obligatio monasterii ad retinendum Religiosum tantùm provenit ex Professione, ergo ubi nulla est Professio nulla quoque est obligatio ad retinendum. Prout idipsum docet Sanch. *d. loc. sub n.* 16. Quod verò attinet ad personam ipsius professi existimo eum obligari, ut nullitatem professionis monasterio indicet propter defraudationem ejus, & multa inconvenientia, quæ ex occultatione sequi possent; participaret enim de reditibus monasterii sine justo titulo ad instar malæ fidei possessoris, ad actus Capitulares jus non haberet, &c.

Quod si monasterium paratum foret eum per modum *Oblati* aut *Donati* non emittentis professionem (de quibus *Miranda in man. prel. q.* 29. *art. & seqq.*) retinere, adhuc obligatum puto, ut conjugem alterum de statu suo certiorem reddat, cum eum quoque per ingressum Jure conjugali defraudârit atque ab ipso expectet, an Jure suo uti, & ad cohabitationem revocare velit; si revocaverit, parendum est, nisi forsan uxor ingressa mariti sævitiam timeat, *c. litteras de restit. spoliat.* si revocare noluerit, sit verò suspectus de incontinentia, videtur adhuc restitutio corporis ex contractu matrimoniali debiti facienda, cum debitor possit debitum etiam non petente creditore restituere, imò teneatur, si ex retentione alter in periculum peccati conjiciatur,

tur, ut mox in seq. q. dicetur; si de incontinentia suspectus non sit, de Consilio esse credo, ut procurato istius pari ingressu, vel saltem continentiæ voto ac expressâ licentiâ invalidè professus suam professionem convalidet, & renovet. *tex. in d. c. placet.* si persuaderi nequeat, nihilominus tutius opinor (salva tamen probabilitate sententiæ Sanchezii) & verbis ac menti *d c. placet.* conformius, conjugem ingressum in Monasterio manere debere, & quantum in se est, vitare conjugale consortium, quod etiam in primo ingressu intendit. Neque enim illa verba: *Redire ad sæculum in ejus potestate non erat, sed mariti.* facile explicantur cum Sanch. *d. lib. n.* 15. id est, *deserto marito profiteri, nec redire ad pristinam conjugalem vitam*, quia *deserto marito profiteri*, non est *redire ad sæculum*, redire autem *ad pristinam conjugalem vitam* (quod intelligo circa exactionem & redditionem debiti) nec in potestate mariti est. Debitor potest quidem & debet etiam non petenti creditori rem restituere, in quantum is est rationabiliter invitus ad retentionem, vel saltem indifferens: si vero consentiat, & debitor restituendo exponat se peccandi periculo, impediat majus bonum, ad quod se in quantum potuit obligavit, aliud planè dicendum videtur. E. g. Titio & Cajo sit communis servus, hic à Titio pro Jure suo, quod in eundem habet, deputetur ad servitium Ecclesiæ, ita ut Cajo intervertatur servi utendi

Digitized by Google

utenti copia, Cajus licet poſſit pro pari Jure ſuo ſervum vindicare, ſi tamen ſcienter toleret, ac in communi uſu ſit frequens rixarum periculum, ſervus ipſe ſoleat Dominum pellicere ad malum, &c. non video, quomodo Titius teneatur aut poſſit ſervum communem pro ſua parte ad uſum Eccleſiæ deputatum ab ea auferre, & cum peccati periculo Cajo non petenti, & opus illud bonum toleranti reſtituere.

Interim hæc manendi in Monaſterio obligatio non eſt directè ex voto ſed potius ex præcepto vel declaratione S. Pontificis conſecutivè ad votum, aut tanquam medium ad illud conſtante Matrimonio tutius ſervandum, uti ſunt clauſura, & alia ſtatuta in Monaſteriis, quæ ex votis ſubſtantialibus non ſunt, ſed ad ea ſervanda ordinantur. Unde conjunx ab altero ad ſæculum revocatus, eo mortuo, & ubi jam ceſſavit carnalis commercii occaſio, tantùm de Conſilio, non verò de neceſſitate tenetur ad Monaſterium redire, *d. c. placet.* dummodo in ſæcula continenter vivere poſſit, quia obligatio voti non ceſſavit, niſi deſuper diſpenſatio impetretur.

Quæritur VII. Quid ſtatuendum ſit, ſi Conjunx Conjugi expreſſam licentiam ingrediendi Religionem dederit, ipſe verò in ſæculo remanens & ſuſpectus de incontinentia nolit ad Religionem tranſire? Communis eſt diſtinctio, an maritus dederit licentiam uxori ingrediendi Religionem, vel an è contra uxor ma- 13

rito : priori casu censent maritum ad ingressum in Religionem etiam per censuras cogi posse : quia hoc ipso se ad ingressum in Religionem obligâsse intelligitur, quòd conjugi licentiam ingrediendi dederit, quam tamen se dare non posse scivit, aut scire debuit, nisi etiam ipse ingrederetur. Altero autem casu si uxor, quæ dedit licentiam marito alleget, se ignorasse hanc obligationem, aliàs se non daturam fuisse licentiam, cùm sibi nunquam animus fuerit ad Religionem, & dicat, mulierem excusari, si ignorantiâ Juris laboret. *L. cum de indebito.* 25. §. 1. *ff. de prob.* putant, eatenus audiendam, ut si periculum incontinentiæ sit, nec persuaderi ad Religionem possit, valeat Episcopus ex officio Maritum etiam professum ex monasterio evocare, & uxori restituere : qui tamen Maritus post mortem uxoris ad monasterium redire teneatur, cum habitâ licentiâ uxoris validam voverit Professionem. Atque ita intelligunt Textum *in c.* 1. *d. t. de Conversi. Conjug.* Glos. & Panorm. *in d. c.* 2. *& c. ex parte.* 9. *eod.*

Verùm prior hujus distinctionis pars videtur nimis dura, & contra libertatem Professionis, & non possent non timeri pessimi effectus & turbatio Religionis, si maritus contra omnem suam voluntatem ad Religionem cogeretur. Ipsum quoque *c.* 1. *d. t.* sine data distinctione loquitur, & absolutè concedit, ut conjugi nolenti ingredi Religionem conjunx professus restituatur : sicut etiam advertit Zoes. *hoc tit. n.* 14. qua-

14. quare ego potius credo imcumbere monasterio, ne conjugem Novitium ad Professionem admittat, antequam etiam altera pars Religionem ingrediatur, & spes certa sit de ejus Professione. Quod si de facto admiserit, & alter Religionem ingredi renitatur, valde videtur probabile, conjugem professum in sæculo existenti & de incontinentia suspecto indistinctè restitui posse: cum Innoc. *in d. c.* 1, & aliis, quos allegat Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 33. *n.* 12. quamvis ipse priorem distinctionem sequatur. Addit tamen *n.* 14. *in fine* quod differentia inter virum & uxorem intelligatur de foro externo, ubi juris ignorantia in viro non præsumitur, consequenter innuit, aliud esse in foro animæ, quando vir ex ignorantia Juris revera intentionem se obligandi ad ingressum non habuit, in foro autem Ecclesiastico etiam habendam esse rationem fori animæ passim notatur. *in c. novit. de judic. c.* 1. *de constit. in* 6. & pluribus aliis locis. & contra præsumptam scientiam Juris admittendam esse probationem de ignorantia notat Sylv. *v. ignorantia. n.* 13. ea verò quæ interna in animo consistunt, plerumque aliter quàm per juramentum probari non possunt. *c. fin. qui matrim. accus. c. pastoralis. de except. Gail.* 2. *pp. OO.* 48. *n.* 24.

Quæritur postremò, utrum solvatur matrimonium, si maritus efficiatur *Clericus secularis*, & suscipiat sacros Ordines? Respondeo per susceptionem sacrorum Ordinum in sæculari 14

rito : priori casu censent maritum ad ingressum in Religionem etiam per censuras cogi posse : quia hoc ipso se ad ingressum in Religionem obligâsse intelligitur, quòd conjugi licentiam ingrediendi dederit, quam tamen se dare non posse scivit, aut scire debuit, nisi etiam ipse ingrederetur. Altero autem casu si uxor, quæ dedit licentiam marito alleget, se ignorasse hanc obligationem, aliàs se non daturam fuisse licentiam, cùm sibi nunquam animus fuerit ad Religionem, & dicat, mulierem excusari, si ignorantiâ Juris laboret. *L. cum de indebito.* 25. §. 1. *ff de prob.* putant, eatenus audiendam, ut si periculum incontinentiæ sit, nec persuaderi ad Religionem possit, valeat Episcopus ex officio Maritum etiam professum ex monasterio evocare, & uxori restituere : qui tamen Maritus post mortem uxoris ad monasterium redire teneatur, cum habitâ licentiâ uxoris validam voverit Professionem. Atque ita intelligunt Textum *in c.* 1. *d. t. de Conversi. Conjug.* Glos. & Panorm. *in d. c.* 2. *& c. ex parte.* 9. *eod.*

Verùm prior hujus distinctionis pars videtur nimis dura, & contra libertatem Professionis, & non possent non timeri pessimi effectus & turbatio Religionis, si maritus contra omnem suam voluntatem ad Religionem cogeretur. Ipsum quoque *c.* 1. *d. t.* sine data distinctione loquitur, & absolutè concedit, ut conjugi nolenti ingredi Religionem conjunx professus restituatur : sicut etiam advertit Zoes. *hoc tit. n.* 14. qua-

14. quare ego potius credo incumbere monasterio, ne conjugem Novitium ad Professionem admittat, antequam etiam altera pars Religionem ingrediatur, & spes certa sit de ejus Professione. Quod si de facto admiserit, & alter Religionem ingredi renitatur, valde videtur probabile, conjugem professum in sæculo existenti & de incontinentia suspecto indistinctè restitui posse: cum Innoc. *in d. c.* 1, & aliis, quos allegat Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 33. *n.* 12. quamvis ipse priorem distinctionem sequatur. Addit tamen *n.* 14. *in fine* quod differentia inter virum & uxorem intelligatur de foro externo, ubi juris ignorantia in viro non præsumitur, consequenter innuit, aliud esse in foro animæ, quando vir ex ignorantia Juris revera intentionem se obligandi ad ingressum non habuit, in foro autem Ecclesiastico etiam habendam esse rationem fori animæ passim notatur. *in c. nouit. de judic. c.* 1. *de constit. in* 6. & pluribus aliis locis. & contra præsumptam scientiam Juris admittendam esse probationem de ignorantia notat Sylv. *v. ignorantia. n.* 13. ea verò quæ interna in animo consistunt, plerumque aliter quàm per juramentum probari non possunt. *c. fin. qui matrim. accus. c. pastoralis. de except. Gail.* 2. *pp. OO.* 48. *n.* 24.

Quæritur postremò, utrum solvatur matrimonium, si maritus efficiatur *Clericus secularis*, & suscipiat sacros Ordines? Respondeo per susceptionem sacrorum Ordinum in sæculari 14

Clericatu nec matrimonium ratum, nec consummatum dissolvi, nisi uxor ultro Religionem ingredi vellet. Quia hoc Privilegium dissolvendi matrimonium tantùm Religioni concessum est, quod ibidem conjunx professus quasi mundo mortuus censeatur, *Extravag. antiqua. Joann 22. devoto.* Ordines tamen validè suscipiuntur & votum solenne castitatis annexum habent, quod quidem uxori in petitione debiti non præjudicat, (cum Jure suo sine culpa privari non debuerit) sed marito, & ita, ut post mortem uxoris nec licitè nec validè propter votum solenne aliud matrimonium contrahere possit, sed debeat statum Clericalem reassumere vel Monasterium ingredi. *Sanchez d. lib. 7. disp 38. n. 23.*

Quòd si uxor spontaneè consenserit, redditur licita Ordinatio, sed juxta probabiliorem sententiam, si uxor Religionem ingressa fuerit, aut saltem ob senium vel valetudinem de incontinentia non suspecta votum simplex continentiæ emiserit. *c. Episcopus. dist. 87. vid. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 39.*

Plura ad hunc titulum enucleatè tradita videri poterunt apud Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 18. & seqq. & lib. 7. disp. 32. & seqq.* quò Lectorem, cum casus in praxi sint rari, remissum velim.

TITU-

TITULUS XXIV.

Est 6. in Lib. 1. Decretal.

De Electione, & Electi potestate.

EGimus hactenus de creatione personarum Ecclesiasticarum sæcularium & Regularium, eorúmque vivendi instituto & obligationibus, quia verò in Hierarchia Ecclesiæ militantis alii subditi sunt, alii Prælati, nunc de Prælatorum creatione, authoritate & officio disquiremus. Prius enim fieri oportet discipulum, antequam in Magistrum quis efformetur, *c. cum in Magistrum. 49. h. t.*

Igitur electio describi potest, quòd sit *persona idonea ad Ecclesiam vacantem per vota Capitularium, seu eligentium Canonica vocatio*, dico *persona idoneæ*, ut differat electio à *postulatione*, quæ est de persona impedimento Canonico laborante, ut sequenti titulo dicemus. Dico, *per vota Capitularium*, ut differat electio à collatione, institutione, commenda, præsentatione, & aliis similibus modis acquirendi beneficium, qui in lib. III. tractantur, quare potissima vis & ratio electionis in votis Capitularium seu eligentium consistit, & hæc sunt duplicia: alia *activa* scilicet illorum, qui eligere possunt, & alia *passiva*, illorum, qui possunt eligi, & dignitatis electivæ capaces sunt, velut in Trid. *sess. 29. de Regul. c. 2.* statuitur: ut Religiosus contra voluntatem superioris proprietarius biennio activa & passiva

voce carere debeat, quod de voce in Capitulo intelligendum est. Si verò aliquis simpliciter, tantùm per Canones voce privetur, id in dubio de activa tantùm quæ propriè vox est, non etiam de passiva accipitur. Sicut exemplum habetur in eodem Trid. *sess. 22. de reform. c. 4.* & ibi tradit Barb. *n.* 14. de illis, qui in Subdiaconatûs saltem Ordine constituti non sunt, ut vocem in Capitulo non habeant. Videamus igitur de *voce activa* & *passiva* eligentium, de *modo* & *forma* electionis, ac demùm de illis, quæ ad electionem factam consequuntur.

§. I.

Quinam vocem activam in Electione habeant.

SUMMARIA.

1. *Jus eligendi competit propriè illis qui sunt de Collegio, & quibus modis possit acquiri extraneis.*
2. *Qualiter acquiratur, consuetudine, vel præscriptione.*
3. *Qui sunt in quasi possessione juris eligendi, debent admitti ad electionem, & quot actibus acquiratur quasi possessio.*
4. *Laici sunt incapaces juris eligendi, & admissi faciunt electionem nullam, nisi habilitentur ex privilegio Papæ.*
5. *Novitij, & Conversi nequeunt eligere, nisi Monasterium constaret ex Conversis.*
6. *Qui non est saltem Subdiaconus hodie eligere non potest, & an id quoque procedat in Monasterijs.*
7. *Censuris Ecclesiasticis irretiti, an & quando eligere possint, & quid hodie post Conc. Constant.* 8.

8. *Religiosi proprietarij nequeunt per biennium eligere.*
9. *Indignum eligentis quo sensu* pro ea vice *jure eligendi priventur.*
10. *Absentes an & qualiter per procuratorem, vel per litteras eligere valeant.*
11. *Absentes qui vocandi ad electionem, & vel unus vocandus non vocatus potest irritare electionem.*
12. *Unus residuus de Collegio retinet jus eligendi, & qualiter possit electionem instituere.*
13. *Jus eligendi admittitur lapso tempore à jure præfinito, & quod sit illud, ac qualiter computetur.*
14. *Electio facta post terminum an subsistat, & an Episcopus possit prolongare vel restringere terminum juris.*
15. *Episcopo non utente jure electionis ad se devoluto, id non devolvitur ad Capitulum, sed ad superiorem.*

DE Jure communi illi solùm eligere possunt, & vocem activam habent, qui sunt membra illius Collegii, cui Jus eligendi competit, *c. ult. 16. q. 6. c. 1. h. t. c. cùm Ecclesia. de causa poss & propriet.* Alii verò extranei non nisi speciali Jure hanc eligendi potestatē consequuntur.

I. Et quidem personæ Ecclesiasticæ, quæ de corpore vel gremio Collegii non sunt, possunt acquirere Jus eligendi. I. Ex privilegio S. Pontificis, qui pro plenissima sua in omnibus Ecclesiis & beneficiis potestate eligendi Jus concedit, & aufert, ut ex diversis Juris Can. locis, præsertim verò ex Regulis Cancellariæ docemur.

II. Ipsi eligentes possunt in aliquem extraneum

neum v. g. Episcopum compromittere, & totum Jus suum eligendi saltem pro una vice in eum conferre, ut ille solus valeat eligere, & constituere Prælatum in Ecclesia vacante, *c. causam. 8. h. t.* Universim autem & in perpetuum Jus electionis Capitulares à se abdicare, & in alium transferre non possunt, quia Jus electionis non tam favore eligentium quàm ipsius Ecclesiæ, cui meliùs per electionem, quàm aliam provisionem consultum est, conceditur.

III. Ex unanimi consensu possunt eligentes etiam extraneum Clericum secum ad Capitulum & electionem admittere. *c. scriptum. 40. h. t.*

IV. Patronus Ecclesiasticus potest sibi in fundatione Ecclesiæ Collegiatæ Jus eligendi reservare, quia in fundationibus Ecclesiarum honestæ conditiones admittuntur, ut major sit hominum ad Ecclesias fundandas promptitudo, *c. præterea. 23. de jure patron. c. 4. de condit. appos.* si in fundatione nihil reservatum sit, vel si ex Ecclesia simplici patronata facta sit Ecclesia Collegiata, tunc patroni consensus non in ipsa electione, sed primùm post illam & quidem magis de honestate quàm necessitate requiretur, *tex. & DD. in c. nobis. de jure patron.*

2 V. Consuetudine vel præscriptione etiam Jus eligendi acquiritur, *c. cùm Ecclesia. de causa poss. & proprie.* spatio scilicet 40. annorum, quia præscriptio & consuetudo contra Ecclesiam & Canones est, atque præscribens Jus *eligendi* etiam Jus *postulandi* præscripsisse censetur, quamvis in-

tra

tra tempus præscriptionis nunquam se casus postulationis obtulerit, ex generali regula, quòd illi, qui eligere, etiam postulare valeant. *c. 4. de postul. Prel* Non obest, quòd præscriptio sit strictæ interpretationis, non extendatur de casu ad casum, nec censeatur plus rescriptum, quàm possessum &c. nam ista locum non habent in his, quæ connexa sunt, ad unum finem tendentia, de connexis enim idem est judicium, unde & qui in quasi possessione Juris eligendi est, per consequens etiam & connexionem Jus postulandi possidere intelligitur.

Sed utrùm ad præscriptionem istam Juris eligendi titulus requiratur, dubitari solet? Quidam affirmant, eò quòd præsumptio Juris sit contra præscribentem, quo casu aut tempus immemoriale, aut titulus requiritur. *c. 1. de præscript. in 6.* Probabiliùs tamen videtur *cum Pan. in d. c. Ecclesia. n. 3.* solum exercitium eligendi cum lapsu temporis quadragenarii absque alio titulo sufficere, tum quòd in eodem *c. cum Ecclesia* præter tempus & possessionem nullius tituli mentio fiat, cùm tamen ibidem tam super petitorio (in quo regulariter necesse est monstrare titulum) quàm possessorio actum fuerit: tum quòd in *incorporalibus iuribus* plerumque scientia & patientia adversarii loco tituli habeatur, *l. 3. ff. de usufructu. l. fin. ff. de servitut.* citatum verò *c. 1. de præscript. in 6.* accipiendum est non de simplici solùm præsumptione, quæ est contra præscribentem, sed de præscriptione cum forti

resi-

reſiſtentia propter grave præjudicium, vel inconvenientiam ex præſcriptione emanantem, ut ſi contra Parochum decimæ præſcribantur, ſicut explicat Covar. *var. reſol. cap. 17. n. 7.*

3 Cæterùm etiam ante completum præſcriptionis tempus illi qui in pacifica poſſeſſione Juris eligendi ſunt, ad electionem admitti debent, quia pendente lite non debet aliquis commodo ſuæ poſſeſſionis privari. *d. c. cum Eccleſia, c. 1. & 2. ut lite pendente &c.* Putat quoque Gloſſ. *inſæpe d. c. cùm Eccleſia. in v. trium Epiſcoporum*, quaſi poſſeſſionem Juris eligendi per unum etiam actum acquiri, adeò ut accedente lapſu 40. annorum, quibus fortè electus vixit, ipſum Jus præſcriptum cenſeatur, niſi ex adverſa parte probati poſſit, illum primum actum vi aut precario exercitum fuiſſe, ad exemplum ſervitutis ruſticæ ducendi aquam per fundum alienum, cujus poſſeſſio uno actu acquiritur. *L. 1. §. quæſitum ff. de aqua quotid. & æſtiva.* quòd ſanè non eſt abſque difficultate, cùm Jus eligendi magis aſſimilari videatur ſervitutibus diſcontinuis, itineri, actui & ſimilibus, in quibus frequentia actuum ad acquirendam poſſeſſionem requiritur, *L. 1. §. hoc interdicto. ff. de itinere. actúque privato* & maximè ſi de conſuetudine loquamur ſatis receptum eſt, ad eam introducendam actuum pluralitatem deſiderari, & colligitur ex *d. c. cùm Eccleſia.* ubi prætendentes præſcriptionem Juris eligendi tres actus poſſeſſorios allegarunt, ſimiles textus ſunt *in c. cùm olim. 7. de cauſa poſſeſſ.* ibi

duobus

duobus Archidiaconus. & in c. querelam. 24. in fin. de elect. ibi. *pensio annuatim per multa tempora persoluta &c.* Et ideò ad acquirendam quasi possessionem eligendi, præsentandi, conferendi &c. duos saltem actus desiderat Roman. *consil.* 70. *n.* 13. & Flores de Mena *quæst. var. q.* 2. *n.* 25. citati apud Barb. *in Collect. ad d. c. cùm Ecclesia. n.* 10. Ipse tamen Barbosa *d. l.* cum pluribus quos allegat, & ut asserit, communiori sententia, censet ex unico etiam actu quasi possessionem Juris eligendi & præsentandi & similium incorporalium acquiri, quod Innoc. *in eod. c. cum Ecclesia. n.* 5. & Panorm. ibidem *n.* 22. intelligunt circa incorporalia Jura, quæ non solent alicui facilè concedi, nisi quasi ex debito, quod ut plurimum judici arbitrarium existimant. Verùm ad complendam præscriptionem Juris, eligendi satis apertè consentit Barbosa, *d. l. n.* 11. *vers. tertio responderi.* Plures actus possessorios debuisse juxta textus præallegatos intervenisse. Non enim videtur satis continuata possessio, quæ non nisi semel exercita fuit, & tamen ex ipsa rei natura importat actus reiterabiles, neque satis potest argui patientia adversarii, quando occasio impediendi non fuit, dum scil. electus in cujus electione prima vice possessio cepta est, 40. an. vixit, & intereà nullus alius casus electionis evenit.

Notanter autem hactenus de extraneis *Clericis* locutus sum, quatenus illi Jus eligendi acquirere possint. *Laici* verò Juris eligendi, sicut & aliorum Jurium spiritualium regulariter incapaces

ces sunt. *c. decernimus. de jud.* ideóque inprimis ex conventione vel pacto Capitularium admitti nequeunt. Imò qui laicales personas, sive abusum sæcularis potestatis ad eligendum admiserint, faciunt electionem nullam, & per triennium ab officio, & beneficio, consequenter etiam à Jure eligeudi suspenduntur, *c. quisquis. 43. c. Messana. h.t.* quam tamen suspensionem non esse latæ sed ferendæ sententiæ putat Joan. Andreas *in eodem c. 43. in fine* & ibi etiam Gloss. & Innoc. *in v. suspendantur.*

Licet verò sæcularis potestas quandoque electionibus rectè & laudabiliter assistat contra alios, qui eorum electionem turbare nituntur, præsentiam tamen physicam in ipso actu & loco electionis, licet citra vocationem exhibere non debet, aliàs ex multorum sententia, quampluribus propugnat, & à S. Congregatione confirmatam refert Fagnan. *in d. c. quisquis. n 32. & seq.* electio invalida reddetur. Ratio est, quòd sola etiam præsentia Principis, vel sæcularis potestatis, vel nunc, vel successu temporis eligentibus formidinem incutere, & libertatem eligendi forsan contra intentionem Principis tollere valeat, nec sit conveniens coram sæculari Principe tractatum, & scrutinium habere de meritis & defectibus eligendorum. Si autem persona Laici intervenientis non esset formidabilis, sed necessaria pro teste, vel Notario, magis communiter receptum est, admitti posse. *Fagnan. d. l. n. 20.* si per violentiam se intruserit sæcularis potestas,

testas, non obstabit electioni, præsertim si protestatio aliqua à Capitularibus interponatur.

Deinde nec consuetudine, nec præscriptione etiam temporis immemorialis Jus eligendi sæculares acquirunt, quia possessionis incapaces sunt, sine qua non currit præscriptio, sicuti in simili alibi diximus de præscriptione jurisdictionis Ecclesiasticæ, Juris conferendi beneficia, Juris decimandi & similium. Illa tamen consuetudo non est prorsus improbanda, quòd mors Prælati nuntiari debeat Principi, aut Patrono sæculari, ejúsque consensus aut potiùs patrocinium ac defensio peti ad novam electionem instituendam. Item ut electio facta Patrono aut Principi insinuetur, ejúsque consensus desuper requiratur, quem tamen negare non potest, nisi ob Canonicum impedimentum electi. *Hostien. h. tit. §. quis possit eligere. tex. in c cum inter 18. juncta Gl. in V. vice Regia. & c. sacrosancta hoc tit. Innoc. in c quod sicut. 28. eodem*

Ex privilegio etiam S. Pontificis sæcularibus Jus eligendi competere potest, quia non excedit potestatem S. Pontificis Laicos secundùm quid Clericis æquiparare, & ad jura spiritualia habilitare, prout de facto ad Jus patronatûs, quod spirituale est, & absque simonia vendi non potest. *c. de jure 16. de jure patronatus.* omnes sæculares habilitati sunt. Difficilius autem Jus eligendi, quàm præsentandi, conceditur, quia Jus eligendi est potentius, & majus Jus tribuit electo, ac plerumque est circa Prælatos Eccle-

siasticos, quorum authoritas in spiritualibus non debet à sæcularibus dependere.

5 Porrò etiam inter eos, qui de corpore & Collegio Ecclesiæ vacantis sunt, quidam vocem activam in electione non habent, ut I. Noviti; licet quo ad privilegium Canonis & fori accenseantur corpori monasterii, Jus tamen eligendi non habent, antequam tacitam vel expressam professionem emiserint. *c. ex eo. 32. §. in Ecclesiis. h. tit. in fi.*

II. Conversi Laici, qui Ordines Clericales non habent, una cum Clericis Religiosis ad electionem admitti non debent. *d. § in Ecclesiis.* ubi Gloss. *in V. cum Clericis.* notat. Si in aliquo Ordine vel Hospitali soli essent Laici conversi illis non denegandum fore Jus eligendi sibi superiorem.

6 III. Nec ipsi Clerici eligere possunt, nisi ad minus in sacro Subdiaconatûs Ordine constituti sint, ut enim tanto majus ad suscipiendos Ordines sacros incitamentum sit, & præcludatur via post plurium annorum fructus Ecclesiasticos perceptos deferendi statum Clericalem, statuitur *in Clem. 2. de ætate & qualit. d. & in Trid. sess. 22. de reform. cap. 4.* ut nullus in Cathedrali, Collegiata, sæculari, vel Regulari Ecclesia vocem in Capitulo habeat, qui saltem in Subdiaconatûs Ordine constitutus non sit. Existimant quidem aliqui has constitutiones non procedere circa illas Regulates Ecclesias, in quibus vi Regulæ Ordinis omnes omninò Religiosi etiamsi

Digitized by Google

etiamsi in sacris Ordinibus non sint, ad Capitulares actus, & electionem admittuntur, eò quòd lex generalis non tollat statuta particularia, nisi in quantùm exprimit. *c.* 1. *de Constit. in* 6. sed vereor, ne contrarium communiùs jam inter DD. quàm usu (in illis saltem locis, ubi Tridentinum observatur) receptum sit. & generaliter de electione Abbatum tradit Tambur. *de jure Abbatum. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 8. *n.* 8. quia statutum illud Regulæ nihil continet speciale, sed ante Tridentinum & Clementinas fuit Juri commnni conforme. *c. Abbatum. cum seq. causa.* 18. *q.* 2. ergò per contrarium Jus commune sublatum intelligitur. Nihil tamen obest, quin consuetudine alicujus loci adhuc Jus antiquum in monasteriis præsertim retineri valeat secundùm ea quæ de authoritate consuetudinis tradidimus, quia potissima intentio Concilii fuit providere Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis sæcularibus, ut Canonici sacros Ordines susciperent, quò minùs post plurium annorum perceptos fructus beneficio & Clericatui rennntiare valerent. Necest irrationabile, etiam juniorum vota audire, quibus teste S. Patre Benedicto Deus sæpiùs suam mentem revelat.

IV. Eligere non possunt, qui censurâ excom- 7
municationis, suspensionis, interdicti, aut irregularitatis notati sunt. *c. un. ne sede vac. c. cùm dilectus. vers. quia nobis. de consuetud. c. cùm inter.* 16. *de elect. c. is qui. d.* 18. §. *is verò de sent. excòm. in* 6. Verùm hìc aliqua advertenda sunt, & in

primis quòd *excommunicatio* tantùm *major* privet electione, *minor* autem privet voce passivâ tantùm, non activâ. *c. ult. de Clerico excomm.* cui non resistit. *c. illa.* 39. *h. tit.* ubi dicit Innoc. III. se ex plenitudine potestatis supplere defectum, si quis esset, quòd electio ab excommunicato minore excommunicatione celebrata fuisset: nam communis est DD. interpretatio cum Gl. *in eodem c. in V^o supplentes.* Quòd hæc suppletio defectûs non fuerit simpliciter necessaria, sed superabundans ad omnem dubitationis scrupulum tollendum, & quòd tempore Innoc. III. non fuit satis in Jure expressum, id Greg. IX. *in d. c. ult.* apertiùs declaravit.

Deinde *suspensio à beneficio* non impedit Jus eligendi, quia eligere propriè loquendo non est effectus beneficii, sed potiùs actus officii, aut jurisdictionis. *Suspensio* autem *ab officio* propriè impedimentum electionis ponit, & quò minùs actus officii rectè exerceri valeant. *Gloss. in c. cùm Vintonienſis. 25. v. admiserunt. & ibidem Panorm. n.* 10. *h. tit.*

Interdictum quoque *locale* non videtur obstare electioni, quia importat solùm administrationem prohibitam quorundam Sacramentorum & sepulturæ Ecclesiasticæ, de quibus non est electio, sed *interdictum personale* quod importat suspensionem. *arg. c. cùm inter.* 16. *hoc tit.* qui verò violat interdictum locale in loco interdicto sine speciali privilegio celebrando efficitur irregularis, & ab electione tam activa quàm

quàm passiva removetur. *c. ille qui.* 18. §. *is vero. de sent. excomm. in 6.*

Demùm hodie post Concilium Constantiense, & Extravag. Martini 5. *ad evitanda.* (de qua in lib. 6. de sent. excomm. pluribus agemus.) excommunicati, suspensi, & interdicti, nisi sint denuntiati, aut notorii Clericorum percussores, sicut ab aliis fidelibus requisiti officium suum etiam in spiritualibus exercere, & cum eis communicare possunt, ita pariter ad electionem activam non improbabiliter admitti posse videntur. Nec obstat, quòd in d. Concil. Constantiensi ipsis censuratis nulla gratia sit facta, quia electio activa non tam gratiam & favorem eligentis, quàm principaliter favorem electi & Ecclesiæ concernit. *Zoes. h. tit. n.* 10.

V. Eligere per biennium nequeunt Religiosi proprietarii, sive qui votum paupertatis violàsse, retinendo aliqua bona contra voluntatem superiorum expressam, vel saltem rationabiliter præsumptam convincuntur. *Trid. sess.* 25. *de Regul.* quà de re superius in tit. *de statu Monachorum* tractatum. 8

VI. Qui indignum scienter elegerunt, perdunt pro ea vice jus eligendi; & si electio in Cathedrali Ecclesia celebrata sit, insuper à beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinent, per triennium ipso jure suspensi sunt. *c. cum in cunctis.* 7. §. *Clerici. h. t. c. si compromissarius.* 27. *eod. in 6.* 9

Quod autem dicitur eligentes indignum *pro ea vice* jure eligendi privatos esse, hanc interpre-

Digitized by Google

tationem habet, quòd *illa vice*, quâ hîc & nunc electio de indigno à majori parte Capituli celebrata, publicata, ac insuper publicæ seu communis electionis decretum (de quo in §. 3. n. 39.) desuper formatum est (tunc enim propriè perfecta est, & dicitur electio, *c. perpetuò. 7. h. tit. in 6.*) tota potestas Capitularis in minore parte eligentium resideat ita ut hi, si concordes fuerint, suam electionem renovare, & publicare, vel novo scrutinio in aliquem dignum convenire valeant. videatur text. Gloss. & Panorm. *in c. congregato. 83. h. tit.* Si verò contingeret, hunc à minore parte electum non acceptare, mori, vel occulto impedimento laborare, & ita nova electio formanda esset, jam alii Capitulares, qui prius indignum elegerunt, excludi ampliùs non possent. *Gloss in c. cum Vintonienſis. v. tertia. h. t. & in c. si electio. v. integrum, eodem in 6. Laym. in qq. can. Diling. disp. de Præl. Eccles. q. 64.* Si denique omnes omninò Capitulares in indiguum scienter consenserint, Jus eligendi pro ea vice ad superiorem devolvitur. *c. bona 23. h. tit. Panor. in d. c. cùm Vintonienſis. n. 6. h. tit.* Est tamen hîc notabile, quod cum alijs contra alios docet Passerinus *in Tract. de elect. cap. 29. n. 94 & seq. & cap. 31. n. 25.* quòd hæc pœna privationis ob electionem indigni tantùm habeat locum in electione ad Episcopatum, non verò ad inferiores dignitates præsertim Regularium, sed tales eligentes puniendi sint aliâ pœnâ arbitrariâ. *arg. c. si compromissarius. 37. h. tit. in 6.*

Digitized by Google

in 6. Item *d. c. 29. n. 97.* tradit Passerinus, quòd pœna eligentium indignum duntaxat intelligatur de indigno ex his 3. causis, scil. ob defectum *Natalium, scientiæ,* & *morum*, secus verò si fuerit indignus vel ineligibilis ex alia causa, v. g. quia est corpore vitiatus, neophytus, bigamus, vel aliàs irregularis absque delicto. &c.

VII. Eligere non possunt *absentes*, qui personaliter in loco electionis non comparent, si justum aliquod veniendi impedimentum non habeant: Si verò justo aliquo impedimento detenti sint, procuratorem ad dandum votum constituere possunt, & hic procurator regulariter debet esse unus de Collegio, sive Capitulo, ac petentibus reliquis Capitularibus in animam principalis jurare, quòd is personaliter accedere non valeat. *c. quia propter. 42. §. illud autem hoc tit.* Dico, *petentibus reliquis*, quia Capitulares, si velint possunt acceptare procuratorem etiam à non impedito, & etiam aliquem extraneum Clericum, qui non sit de Capitulo, cùm hæc dispositio juris sit in ipsorum favorem, cui propterea renuntiare non prohibentur. Panorm. *in d. §. illud autem. c. si quis justo. 45. §. absens. h. t. in 6.* 10

Porrò procurator simpliciter constitutus non potest alium suo, & alium principalis nomine eligere eâdem enim conscientiâ, quâ tenetur *digniorem* suo nomine, tenetur etiam eligere nomine principalis, nisi habuerit mandatum speciale de certa persona eligenda, quia tunc

non tenetur ſuum judicium confirmare judicio principalis. *d. c. ſi quis juſto. §. porrò. & ibi Gl. in v. nihil agit. h tit. in 6.*

Per litteras autem abſens ſuum votum dare non poteſt, quamvis nullus ſit è Capitulo, qui procuratoris officium ſubire velit, & Capitulum nolit extraneum admittere, quia de forma ſcrutinii eſt, ut vota dentur ſigillatim & ſecretò in ipſo ſcrutinio, tales autem litteræ deberent inprimis legi, & tanquam propriâ manu ſcriptæ cognoſci à Capitulo, & deinde votum ſuum in litteris exprimens ipſum ſcrutinium præveniret. *d. c. ſi quis juſto. §. abſens.* docet tamen Layman. *in quæſtionibus. Canonicis. de Prælatis Eccleſiaſticis.* quæſt. 44. in electionibus Regularium in quibus forma ſcrutinii exactè non ſervatur, ſed ſchedulæ obſignatæ in unam urnam conjiciuntur, nihil obſtare, ſuffragium ita ſcriptum ab abſente vel infirmo ad Capitulum mitti.

Sed & illud obſervatione dignum eſt, quòd à S. Congregatione deciſum referunt Garc. *de benefic. p. 5. cap. 4. n. 200.* & ex eo Barb. *ad Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 6.* quòd in electionibus Regularium in quibus per *d. c. 6.* Trid. ſub pœna nullitatis ſtatuitur, ut fiant *per vota ſecreta*, quæ cum nominibus eligentibus nunquam publicentur, non poſſit conſtitui procurator de conventu *cum ſpeciali mandato* de certa perſona eligenda, ſed benè cum mandato *generali* de perſona incerta, quæ ipſi Procuratori digna viſa fuerit.

Cæ-

Cæterùm ad electionem vocandi sunt omnes 11
Capitulares etiam absentes, qui *debent vocari, & volunt ac commodè possunt* interesse. *d. c. quia propter.* 42. *h. t.* nisi essent valdè remoti. *c. cum inter.* 18. *h. t.* quandonam autem dicantur *valdè remoti*, ex consuetudine locorum desumendum erit, quæ aliquando habet, ut omnes, qui in eadem Provincia, imò in eodem Regno sunt, vocentur, aliàs ex eo, an commodè ob distantiam loci intermino electionis comparere valeant. *Gl. in d. c.* 18. *in V. remoti. & c. in Genesi. h. t.* quòd si vel unus, qui de Jure aut consuetudine vocari debuisset, vocatus non sit, potest agere de contemptu, & irritare electionem, nisi ob bonum pacis velit expressè, aut tacitè renuntiare Juri suo, & electioni consentire. *c. quod sicut.* 28. *c. bona* 36. *hoc tit. Abb. in d. c. quod sicut. n.* 10. *Zoes. h. t n.* 65. *& seqq.*

Si verò aliqui vocati nolint interesse, aut ob 12
impedimentum non possint, tunc totum jus eligendi apud residuos præsentes est, idque etiam apud unicum sicut alia Collegii aut Universitatis alicujus Jura etiam in uno conservantur, *arg. L. sicut in fin. ff quod cujusvis Universit. nom.* hic autem unicus, licet se ipsum ob notam ambitionis eligere nequeat, potest tamen alium idoneum ex suo vel alio Capitulo nominare, & superiori præsentare ad confirmationem, vel certè in superiorem ipsum, aliúmve Clericum unum vel plures compromittere, ac jus eligendi conferre, à quibus deinde etiam ipse, si idoneus fue-

Digitized by Google

rit, eligi poterit. *Laym. de Prælatis Eccleſ. q. 36. eum Panorm. & Innoc. in c. cum nobis. 19. h. t.*

13 VIII. Demùm eligere nequeunt Capitulares, ſi tempus electioni à Jure præſcriptum per negligentiam elabi patiantur. ne autem ex defectu Prælati damnum temporale aut ſpirituale Eccleſiis eveniat, ſtatutum eſt *in c. ne pro defectu* 41. *h. t.* ut in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus intra tres menſes nova electio inſtituatur. Porrò cùm ibidem tantùm *de Cathedralibus & Regularibus Eccleſiis* mentio fiat, communis eſt DD. ſententia, quòd electio in *Eccleſiis Collegiatis*, in quibus ſæculares Presbyteri degunt, ſicut aliorum beneficiorum etiam dignitatum in Eccleſiis Cathedralibus exiſtentium electio vel collatio terminum ſex menſium habeat. *c. 2. de conceſſ. Præb.* ex ea etiam ſpecialitatis ratione, quòd in Eccleſiis Collegiatis ſede quoque completâ potiſſima juriſdictio in Clericos ſæculares competat Epiſcopo, ut proindè ejus ſedis vacatio non tam periculoſa ſit Eccleſiæ, quàm in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus. notat tamen Panorm. *in d. c. ne pro defectu. n. 5.* quòd ſi Prælatus alicujus Eccleſiæ Collegiatæ etiam ſæcularis haberet ex jure ſpeciali jurisdictionem generalẽ ſicut Abbas, tunc in tali Eccleſia ex identitate rationis deberet obſervari trimeſtre. Si ergò prædictum trimeſtre, aut ſemeſtre Capitulares negligenter elabi permittant, privantur pro ea vice Jure eligendi, quod ad ſuperiorem, ad quem aliàs electionis confirmatio pertinet, devolvitur,

qui DEUM præoculis habens ait Pontifex *in d. c. ne pro defectu, non debet differre ultra tres menses cum Consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatæ Ecclesiæ de persona idonea, ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè providere, si canonicam valuerit evadere ultionem.* Atque hæc electio competit Episcopo seu superiori Jure devoluto, confirmatio autem Jure proprio. sed an uno actu vel diversis electio devoluta & confirmatio electi expedienda? diversæ sunt DD. opiniones apud Panorm. *in d. c. ne pro defectu.* 41. *n.* 4. quia tamen ante confirmationem Prælatorum solent præmitti certa examina, edictalis citatio contradictorum, siqui fuerint, ideò vix commodè uno actu res expediri posse videtur, quin potiùs priùs facienda electio, & posteà præmissis præmittendis cõfirmatio

Dixi, si *per negligentiam* tempus elapsum sit, aliud est si ob justum iupedimentum. v. g. belli, pestis, &c. electio retardata fuerit. *d. c. ne pro defectu ubi Gl. in v. justo impedimento.* imò tametsi ex propria Capitularium culpa tale impedimentum provenerit, ut quia suspensionis, vel aliam censuram contraxerunt, à qua absolutionem intra trimestre obtinere non potuerunt, tempus electionis stante tali impedimento non computatur. *c. quia diversitatem. 5. de concess. Prab.*

Currit etiam terminus electionis non præcisè à die *vacationis*, quo Prælatus mortuus est, sed à die *scientiæ*, quo mors ejus (qui fortè in remotis agebat) Capitulo per certum nuntium innotuit,

notuit, *d c. quia diversitatem, in fine.* sed etsi electio effectum non habuerit, ut quia electus acceptare noluit, vel ante confirmationem mortuus est, aut renuntiaverit, vel occultus ejus defectus Canonicus obstans electioni proditus est, conceditur Capitularibus à die renuntiationis mortis, vel detecti impedimenti integrum tempus ad novam electionem faciendam, dummodò nihil fraudulenter egerint in præmissis. *c. si electio 26. h. t. in 6.* ubi Gl. *in v. fraudulenter.* ponit exemplum, si v. g. ultima die trium mensium Capitulares, qui hactenus convenire non potuerant, studio eligant talem, quem sciunt dissensurum, & non accepturum electionem, ut tempus tantùm electionis renovetur, quæ fraus ipsis patrocinari non debet, sed potiùs devolutio electionis ad superiorem fieri, ita tamen si fraus & dolus contra Capitulares perspicuè probat? fuerit, in dubio autem dolus non præsumitur. *L. dolum 6. C. de dolo. L. quoties. 18. §. 1. ff. eodem t.*

14 Quid autem dicendum, si Capitulares post lapsum terminum de facto aliquem elegerint, annè hæc electio prorsus nulla à superiore declarari debeat? R. de rigore Juris esse invalidam, utpote factam eo tempore, quo jus eligendi à Capitularibus ablatum ipso Jure ad superiorem devolutum est. *c. licet. de suppl. negl. Prælat.* de æquitate tamen sustineri posse à superiore, si nemo se opponat electioni, & electus aliàs idoneus sit. *c litteras de suppl. negl. Prælat.* Cùm ergò Episcopus vel alius superior jus confirmandi

haben s

habens possit tolerare electum post terminum elapsum, non videtur improbabile quin eodem modo possit jus ad se devolutum Capitularibus cedere, illisque tempus sibi competens ad eligendum assignare, ut non tam Jure proprio, quàm superioris nomine eligant. Restringere autem terminum electionis à Jure Capitularibus indultum inferior S. Pontifice nisi ex publica causa; & ob moram Ecclesiæ valdè damnosam non posset, quia jus commune tollere, & Juris beneficio aliquem privare ad solum Legislatorem ordinariè spectat.

Quòd si Episcopus Jure electionis ad se devoluto non utatur intra trimestre *juxta c. ne pro defectu. h. t.* devolutio ulterior non fiet ad Capitulum ejus, sed ad proximum superiorem, scilicet Archiepiscopum, vel alium, si Episcopus sub Archiepiscopo non sit, quamvis aliter se res habeat in aliis beneficiis non devolutis, sed immediatè ad collationem Episcopi pertinentibus, ut docet *Panorm. in c. cum in cunctis. §. Clerici. & in d. c. ne pro. de defectu. 41. n. 6. h. t.* 15

§. II.

De Electione passiva, & quinam ad dignitates Ecclesiasticas eligi possint, vel non.

Summaria.

16. *Laicus eligi non potest.*
17. *Eligendus quos Ordines habere debeat.*
18. *Electus post electionem contrahens impedimentum*

tum quò minus debito tempore ordinari possit, an confirmandus.

19. *Eligendus in Abbatem debet esse expressè vel tacitè professus, nisi Ecclesia sit simul Cathedralis.*

20. *Eligi potest etiam ex alieno gremio, idque consuetudine introduci.*

21. *Electionem faciendam ex alieno gremio an possit Episcopus statuere, vel jubere.*

22. *Eligendus debet esse ejusdem Ordinis.*

23. *Censurati, irregulares & infames non possunt eligi, & ibi, an monialis bigama, vel vidua, aut corrupta possit eligi in Abbatissam.* (matis.

24. *Illegitimè nati sunt ineligibiles, & quid de legiti-*

25. *Quid de hereticis, eorumq; fautoribus & descendentibus, item schismaticis, & ordinatis ab ijs.*

26. *Neophyti non possunt eligi.*

27. *Nec Simoniaci.*

28. *Ætas quæ requiratur in eligendo.*

29. *Scientia quæ.*

30. *Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi ad aliam, sed postulari, secùs in Abbate ejusdem Ordinis.*

PLures sunt, qui à sacris Canonibus electionis passivæ, & ad dignitates electivas inhabiles declarantur, quos per ordinem enumerabimus.

16 1. Sicut aliorum beneficiorum nullus Laicus, qui tonsuram aut clericales Ordines non habeat, capax est, ita & multò minùs ad Prælaturam sive dignitatem Ecclesiasticam eligi valet, & licet in quibusdam Episcopatibus Germaniæ Laici, & Acatholici Episcopatus teneant, id tamen de facto

facto solùm, ac per potentiam, & intrusionem hæreticorum, non de Jure contingit. item non excedit potestatem S. Pontificis, quam habet in omnibus beneficiis, alicui Principi, vel alteri Laico Domino fructus de Episcopatu vel Prælatura aliqua ad tempus vitæ concedere, qui tamen propterea non erit propriè Prælatus illius Ecclesiæ dicendus, sed & Commendatarii Episcopi, vel Abbates, qui plerumque Principes vel magni Domini sunt & quidem sæculares, tonsuram saltem Clericalem aut minores Ordines accipere debent.

II. Eligendus ad Cathedralem Ecclesiam, vel Episcopatum non sufficit, quòd Clericus sit in Minoribus, sed ex Trid. *sess. 22. de reform. cap. 2.* debet in sacro Ordine Subdiaconatûs saltem sex mensibus priùs fuisse. imò juxta Bullam Greg. XIV. quæ incipit *Onus Apostolicæ servitutis &c.* aiunt ob pluralem Ordinum mentionem ibi factam requiri ut priùs constitut⁹ fuerit 6. mensibus in omnibus Ordinibus, sicut refert Barb. *in Collect. ad d. cap. Trid. n. 2.* Loquor de eligendo ad Episcopatum, aliud est, si per dispensationem alicui in Commendam concedatur, ut dictum. 17

Circa Abbatias vel Regulares dignitates non habetur in jure expressum, quòd eligendus ad easdem debeat esse in majoribus Ordinibus, sed sufficit, si sit annorrm 25. inchoatorum, & ut primo anno numerando à die adeptæ possessionis, vel quo adipisci potuit, sacerdotium suscipiat. *c. 1. de ætate & qualit. c. cùm in cunctis, §. inferiora, h. tit.*

h. tit. c. licet Canon. 14. *c. commissa.* 30. *eodem in 6.* Est tamen hic annus non continuus, sed utilis, qui non currit justè impedito. si verò cessante impedimento elapsus fuerit, ipso jure privatio dignitatis inducitur, nec ita privatus per novam electionem assumi poterit, ne constitutio juris eludatur, *d. c. commissa.*

18 Sed quid, si electus post electionem in tale impedimentum incidat, quod ultra annum & diutiùs duraturum sit, ánne dignitate privandus erit? R/ si impedimentum tantùm sit, ut physica vel morali certitudine sit perpetuum, vel plures annos sine certo fine duraturum, privari posse electum. *d. c.* 2. *de ætate & qualit.* in casu tamen necessitatis, quo aliquis æquè idoneus haberi non posset, dispensativè admitti valeret in Abbatem etiam non sacerdos, *c. tuam* 19. *h. t.* & quia hoc ita Jure communi decretum est, ideò in tali casu dispensationem competere Episcopo cum Hostien. tenet Panor *in d. c. tuam. in fin* extra casum necessitatis autem solùm S. Pontifex, qui supra Canones est, dispensare deberet. Si verò impedimentum sit Physica vel morali certitudine tantùm temporale, licet ultra annum extendatur, dummodo non ad multos annos, non erit electus dignitate privandus. *arg. d. c. commissa & Clem.* 2. *de ætate & qualit.* Alia autem distinctione utitur Gl. *in d. c.* 1. *de ætate & qualit. in V. amittant.* & ibidem Fagn. *n.* 34. cum Innoc. Hostien. & aliis. an nimirum post electionem aliquis propriâ culpâ inciderit in impedimentum,

tum, ut quia fortaſſis pugnando manum amiſit, vel an ſine culpa ſua, ita ut priori caſu privandus ſit dignitate, non autem poſteriore, ne afflicto, addatur afflictio, *arg. c. 2. de Cler. agrot.* hæc diſtinctio rectè teneri poteſt, ſi ponamus, quòd aliquis non ſolùm electus, ſed etiam confirmatus ſit, & ita jus plenum in beneficio acquiſerit: ſi verò electus tantùm eſſet, non videtur ob impedimentum ſacerdotii perpetuum, tametſi ſine culpa contractum Eccleſiæ expedire, ut confirmatio impendatur. beneficium enim datur propter officium, officium autem Prælati conſiſtit non tantùm in œconomica adminiſtratione, ſed etiam divinorum officiorum digna celebratione. quòd ſi impedimentum tantùm temporale, & brevi duraturum eſſet, non putarem diſtinguendum ſuâ vel alienâ culpâ electus in id incidiſſet, quia non agitur de notabili damno Eccleſiæ, & non eſt abſolutum officii ergo nec beneficii impedimentum, ſicut etiam docet & priorem diſtinctionem noſtram veram aſſerit Laym: *de Prælatis Eccleſiaſticis. q.* 186.

III. In Eccleſiis Regularibus ad Abbatias 19
eligi non poſſunt, qui Ordinem profeſſi non ſunt, *cùm in Magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam diſcipuli non aſſumpſit, nec ſit præficiendus, qui ſubeſſe non novit*, ut dicitur in *c. cùm in Magiſtrum.* 49. *hoc tit* neque ſufficit *tacita* profeſſio, ſed *expreſſa* requiritur in *c. nullus.* 28. *& ibi. Gloſſ. in V. expreſſè. hoc tit. in 6. Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 21, niſi Eccleſia illa Regularis eſſet

tationem habet, quòd *illa vice*, quâ hîc & nunc electio de indigno à majori parte Capituli celebrata, publicata, ac insuper publicæ seu communis electionis decretum (de quo in §. 3. n. 39.) desuper formatum est (tunc enim propriè perfecta est, & dicitur electio, *c. perpetuò. 7. h. tit. in 6.*) tota potestas Capitularis in minore parte eligentium resideat ita ut hi, si concordes fuerint, suam electionem renovare, & publicare, vel novo scrutinio in aliquem dignum convenire valeant. videatur text. Gloss. & Panorm. *in c. congregato. 83. h. tit.* Si verò contingeret, hunc à minore parte electum non acceptare, mori, vel occulto impedimento laborare, & ita nova electio formanda esset, jam alii Capitulares, qui prius indignum elegerunt, excludi ampliùs non possent. *Gloss in c. cum Vintonienſis. v. tertia. h. t. & in c. ſi electio. v. integrum, eodem in 6. Laym. in qq. can. Diling. disp. de Præl. Eccleſ. q. 64.* Si denique omnes omninò Capitulares in indiguum scienter consenserint, Jus eligendi pro ea vice ad superiorem devolvitur. *c. bona 23. h. tit. Panor. in d. c. cùm Vintonienſis. n. 6. h. tit.* Est tamen hîc notabile, quod cum alijs contra alios docet Passerinus *in Tract. de elect. cap. 29. n. 94 & ſeq. & cap. 31. n. 25.* quòd hæc pœna privationis ob electionem indigni tantùm habeat locum in electione ad Episcopatum, non verò ad inferiores dignitates præsertim Regularium, sed tales eligentes puniendi sint aliâ pœnâ arbitrariâ. *arg. c. ſi compromiſſarius. 37. h. tit. in 6.*

in 6. Item *d. c. 29. n. 97.* tradit Passerinus, quòd pœna eligentium indignum duntaxat intelligatur de indigno ex his 3. causis, scil. ob defectum *Natalium, scientiæ,* & *morum*, secus verò si fuerit indignus vel ineligibilis ex alia causa, v. g. quia est corpore vitiatus, neophytus, bigamus, vel aliàs irregularis absque delicto. &c.

VII. Eligere non possunt *absentes*, qui personaliter in loco electionis non comparent, si justum aliquod veniendi impedimentum non habeant: Si verò justo aliquo impedimento detenti sint, procuratorem ad dandum votum constituere possunt, & hic procurator regulariter debet esse unus de Collegio, sive Capitulo, ac petentibus reliquis Capitularibus in animam principalis jurare, quòd is personaliter accedere non valeat. *c. quia propter. 42. §. illud autem hoc tit.* Dico, *petentibus reliquis*, quia Capitulares, si velint possunt acceptare procuratorem etiam à non impedito, & etiam aliquem extraneum Clericum, qui non sit de Capitulo, cùm hæc dispositio juris sit in ipsorum favorem, cui propterea renuntiare non prohibentur. Panorm. *in d. §. illud autem. c. si quis justo. 45. §. absens. h. t. in 6.* 10

Porrò procurator simpliciter constitutus non potest alium suo, & alium principalis nomine eligere eâdem enim conscientiâ, quâ tenetur *digniorem* suo nomine, tenetur etiam eligere nomine principalis, nisi habuerit mandatum speciale de certa persona eligenda, quia tunc

non tenetur ſuum judicium confirmare judicio principalis. *d. c. ſi quis juſto. §. porrò. & ibi Gl. in v. nihil agit. h tit. in 6.*

Per litteras autem abſens ſuum votum dare non poteſt, quamvis nullus ſit è Capitulo, qui procuratoris officium ſubire velit, & Capitulum nolit extraneum admittere, quia de forma ſcrutinii eſt, ut vota dentur ſigillatim & ſecretò in ipſo ſcrutinio, tales autem litteræ deberent inprimis legi, & tanquam propriâ manu ſcriptæ cognoſci à Capitulo, & deinde votum ſuum in litteris exprimens ipſum ſcrutinium præveniret. *d. c. ſi quis juſto. §. abſens.* docet tamen Layman. *in quæſtionibus Canonicis. de Prælatis Eccleſiaſticis.* quæſt. 44. in electionibus Regularium in quibus forma ſcrutinii exactè non ſervatur, ſed ſchedulæ obſignatæ in unam urnam conjiciuntur, nihil obſtare, ſuffragium ita ſcriptum ab abſente vel infirmo ad Capitulum mitti.

Sed & illud obſervatione dignum eſt, quòd à S. Congregatione deciſum referunt Garc. *de benefic. p. 5. cap. 4. n.* 200. & ex eo Barb. *ad Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 6.* quòd in electionibus Regularium in quibus per *d. c. 6.* Trid. ſub pœna nullitatis ſtatuitur, ut fiant *per vota ſecreta*, quæ cum nominibus eligentibus nunquam publicentur, non poſſit conſtitui procurator de conventu *cum ſpeciali mandato* de certa perſona eligenda, ſed benè cum mandato *generali* de perſona incerta, quæ ipſi Procuratori digna viſa fuerit.

Cæ-

Cæterùm ad electionem vocandi sunt omnes Capitulares etiam absentes, qui *debent vocari, & volunt ac commodè possunt* interesse. *d. c. quia propter.* 42. *h. t.* nisi essent valdè remoti. *c. cum inter.* 18. *h. t.* quandonam autem dicantur *valdè remoti*, ex consuetudine locorum desumendum erit, quæ aliquando habet, ut omnes, qui in eadem Provincia, imò in eodem Regno sunt, vocentur, aliàs ex eo, an commodè ob distantiam loci intermino electionis comparere valeant. *Gl. in d. c.* 18. *in V. remoti. & c. in Genesi. h. t.* quòd si vel unus, qui de Jure aut consuetudine vocari debuisset, vocatus non sit, potest agere de contemptu, & irritare electionem, nisi ob bonum pacis velit expressè, aut tacitè renuntiare Juri suo, & electioni consentire. *c. quod sicut.* 28. *in. bona.* 36. *hoc tit. Abb. in d. c. quod sicut. n.* 10. *Zoes. h. t n.* 65. *& seqq.* 11

Si verò aliqui vocati nolint interesse, aut ob impedimentum non possint, tunc totum jus eligendi apud residuos præsentes est, idque etiam apud unicum sicut alia Collegii aut Universitatis alicujus Jura etiam in uno conservantur, *arg. L. sicut in fin. ff quod cujusvis Universit. nom.* hic autem unicus, licet se ipsum ob notam ambitionis eligere nequeat, potest tamen alium idoneum ex suo vel alio Capitulo nominare, & superiori præsentare ad confirmationem, vel certè in superiorem ipsum, aliúmve Clericum unum vel plures compromittere, ac jus eligendi conferre, à quibus deinde etiam ipse, si idoneus fuerit, 12

notuit, *d. c. quia diversitatem, in fine.* sed etsi electio effectum non habuerit, ut quia electus acceptare noluit, vel ante confirmationem mortuus est, aut renuntiaverit, vel occultus ejus defectus Canonicus obstans electioni proditus est, conceditur Capitularibus à die renuntiationis mortis, vel detecti impedimenti integrum tempus ad novam electionem faciendam, dummodò nihil fraudulenter egerint in præmissis. *c. si electio 26. h. t. in 6.* ubi Gl. *in v. fraudulenter.* ponit exemplum, si v. g. ultima die trium mensium Capitulares, qui hactenus convenire non potuerant, studio eligant talem, quem sciunt dissensurum, & non accepturum electionem, ut tempus tantùm electionis renovetur, quæ fraus ipsis patrocinari non debet, sed potiùs devolutio electionis ad superiorem fieri, ita tamen si fraus & dolus contra Capitulares perspicuè probat? fuerit, in dubio autem dolus non præsumitur. *L. dolum 6. C. de dolo. L. quoties. 18. §. 1. ff. eodem t.*

14 Quid autem dicendum, si Capitulares post lapsum terminum de facto aliquem elegerint, annè hæc electio prorsus nulla à superiore declarari debeat? R. de rigore Juris esse invalidam, utpote factam eo tempore, quo jus eligendi à Capitularibus ablatum ipso Jure ad superiorem devolutum est. *c. licet. de suppl. negl. Prælat.* de æquitate tamen sustineri posse à superiore, si nemo se opponat electioni, & electus aliàs idoneus sit. *c. litteras de suppl. negl. Prælat.* Cùm ergò Episcopus vel alius superior jus confirmandi haben s.

habens possit tolerare electum post terminum elapsum, non videtur improbabile quin eodem modo possit jus ad se devolutum Capitularibus cedere, illisque tempus sibi competens ad eligendum assignare, ut non tam Jure proprio, quàm superioris nomine eligant. Restringere autem terminum electionis à Jure Capitularibus indultum inferior S. Pontifice nisi ex publica causa; & ob moram Ecclesiæ valdè damnosam non posset, quia jus commune tollere, & Juris beneficio aliquem privare ad solum Legislatorem ordinariè spectat.

Quòd si Episcopus Jure electionis ad se devoluto non utatur intra trimestre *juxta c. ne pro defectu. h. t.* devolutio ulterior non fiet ad Capitulum ejus, sed ad proximum superiorem, scilicet Archiepiscopum, vel alium, si Episcopus sub Archiepiscopo non sit, quamvis aliter se res habeat in aliis beneficiis non devolutis, sed immediatè ad collationem Episcopi pertinentibus, ut docet *Panorm. in c. cum in cunctis. §. Clerici. & in d. c. ne pro. de defectu.* 41. *n.* 6. *h. t.* 15

§. II.

De Electione passiva, & quinam ad dignitates Ecclesiasticas eligi possint, vel non.

Summaria.

16. *Laicus eligi non potest.*
17. *Eligendus quos Ordines habere debeat.*
18. *Electus post electionem contrahens impedimentum*

tum quò minus debito tempore ordinari posſit, an confirmandus,

19. *Eligendus in Abbatem debet esse expresse vel tacitè professus, nisi Ecclesia sit simul Cathedralis.*

20. *Eligi potest etiam ex alieno gremio, idque consuetudine introduci.*

21. *Electionem faciendam ex alieno gremio an possit Episcopus statuere, vel jubere.*

22. *Eligendus debet esse ejusdem Ordinis.*

23. *Censurati, irregulares & infames non possunt eligi, & ibi, an monialis bigama, vel vidua, aut corrupta possit eligi in Abbatissam.* (matis.

24. *Illegitimè nati sunt ineligibiles, & quid de legiti-*

25. *Quid de hereticis, eorumq; fautoribus & descendentibus, item schismaticis, & ordinatis ab ijs.*

26. *Neophyti non possunt eligi.*

27. *Nec Simoniaci.*

28. *Ætas quæ requiratur in eligendo.*

29. *Scientia quæ.*

30. *Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi ad aliam, sed postulari, secùs in Abbate ejusdem Ordinis.*

PLures sunt, qui à sacris Canonibus electionis passivæ, & ad dignitates electivas inhabiles declarantur, quos per ordinem enumerabimus.

16 1. Sicut aliorum beneficiorum nullus Laicus, qui tonsuram aut clericales Ordines non habeat, capax est, ita & multò minùs ad Prælaturam sive dignitatem Ecclesiasticam eligi valet, & licet in quibusdam Episcopatibus Germaniæ Laici, & Acatholici Episcopatus teneant, id tamen de facto

facto solùm, ac per potentiam, & intrusionem hæreticorum, non de Jure contingit. item non excedit potestatem S. Pontificis, quam habet in omnibus beneficiis, alicui Principi, vel alteri Laico Domino fructus de Episcopatu vel Prælatura aliqua ad tempus vitæ concedere, qui tamen propterea non erit propriè Prælatus illius Ecclesiæ dicendus, sed & Commendatarii Episcopi, vel Abbates, qui plerumque Principes vel magni Domini sunt & quidem sæculares, tonsuram saltem Clericalem aut minores Ordines accipere debent.

II. Eligendus ad Cathedralem Ecclesiam, vel Episcopatum non sufficit, quòd Clericus sit in Minoribus, sed ex Trid. *sess. 22. de reform. cap. 2.* debet in sacro Ordine Subdiaconatûs saltem sex mensibus priùs fuisse. imò juxta Bullam Greg. XIV. quæ incipit *Onus Apostolicæ servitutis &c.* aiunt ob pluralem Ordinum mentionem ibi factam requiri ut priùs constitut[9] fuerit 6. mensibus in omnibus Ordinibus, sicut refert Barb. *in Collect. ad d. cap. Trid. n. 2.* Loquor de eligendo ad Episcopatum, aliud est, si per dispensationem alicui in Commendam concedatur, ut dictum. 17

Circa Abbatias vel Regulares dignitates non habetur in jure expressum, quòd eligendus ad easdem debeat esse in majoribus Ordinibus, sed sufficit, si sit annorrm 25. inchoatorum, & ut primo anno numerando à die adeptæ possessionis, vel quo adipisci potuit, sacerdotium suscipiat. *c. 1. de ætate & qualit. c. cum in cunctis, §. inferiora, h. tit.*

primis quòd *excommunicatio* tantùm *major* privet electione, *minor* autem privet voce passivâ tantùm, non activâ. *c. ult. de Clerico excomm.* cui non resistit. *c. illa.* 39. *h. tit.* ubi dicit Innoc. III. se ex plenitudine potestatis supplere defectum, si quis esset; quòd electio ab excommunicato minore excommunicatione celebrata fuisset: nam communis est DD. interpretatio cum Gl. *in eodem c. in V^r supplentes.* Quòd hæc suppletio defectûs non fuerit simpliciter necessaria, sed superabundans ad omnem dubitationis scrupulum tollendum, & quòd tempore Innoc. III. non fuit satis in Jure expressum, id Greg. IX. *in d. c. ult.* apertiùs declaravit.

Deinde *suspensio à beneficio* non impedit Jus eligendi, quia eligere propriè loquendo non est effectus beneficii, sed potiùs actus officii, aut jurisdictionis. *Suspensio* autem *ab officio* propriè impedimentum electionis ponit, & quò minùs actus officii rectè exerceri valeant. *Gloss in c. cùm Vintonienſis. 25. v. admiserunt. & ibidem Panorm. n.* 10. *h. tit.*

Interdictum quoque *locale* non videtur obstare electioni, quia importat solùm administrationem prohibitam quorundam Sacramentorum & sepulturæ Ecclesiasticæ, de quibus non est electio, sed *interdictum personale* quod importat suspensionem. *arg. c. cùm inter.* 16. *hoc tit.* qui verò violat interdictum locale in loco interdictò sine speciali privilegio celebrando efficitur irregularis, & ab electione tam activa quàm

quàm passiva removetur. *c. ille qui.* 18. §. *is verò. de sent. excomm. in 6.*

Demùm hodie post Concilium Constantiense, & Extravag. Martini 5. *ad evitanda.* (de qua in lib. 6. de sent. excomm. pluribus agemus.) excommunicati, suspensi, & interdicti, nisi sint denuntiati, aut notorii Clericorum percussores, sicut ab aliis fidelibus requisiti officium suum etiam in spiritualibus exercere, & cum eis communicare possunt, ita pariter ad electionem activam non improbabiliter admitti posse videntur. Nec obstat, quòd in d. Concil. Constantiensi ipsis censuratis nulla gratia sit facta, quia electio activa non tam gratiam & favorem eligentis, quàm principaliter favorem electi & Ecclesiæ concernit. *Zoes. h. tit. n.* 19.

V. Eligere per biennium nequeunt Religiosi proprietarii, sive qui votum paupertatis violàsse, retinendo aliqua bona contra voluntatem superiorum expressam, vel saltem rationabiliter præsumptam convincuntur. *Trid. sess. 25. de Regul.* quà de re superius in tit. *de statu Monachorum* tractatum. 8

VI. Qui indignum scienter elegerunt, perdunt pro ea vice jus eligendi; & si electio in Cathedrali Ecclesia celebrata sit, insuper à beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinent, per triennium ipso jure suspensi sunt. *c. cum in cunctis. 7. §. Clerici. h. t. c. si compromissarius. 27. eod. in 6.* 9

Quod autem dicitur eligentes indignum *pro ea vice* jure eligendi privatos esse, hanc interpre-

tationem habet, quòd *illa vice*, quâ hîc & nunc electio de indigno à majori parte Capituli celebrata, publicata, ac insuper publicæ seu communis electionis decretum (de quo in §. 3. n. 39.) desuper formatum est (tunc enim propriè perfecta est, & dicitur electio, *c. perpetuò. 7. h. tit. in 6.*) tota potestas Capitularis in minore parte eligentium resideat ita ut hi, si concordes fuerint, suam electionem renovare, & publicare, vel novo scrutinio in aliquem dignum convenire valeant. videatur text. Gloss. & Panorm. *in c. congregato. 83. h. tit.* Si verò contingeret, hunc à minore parte electum non acceptare, mori, vel occulto impedimento laborare, & ita nova electio formanda esset, jam alii Capitulares, qui prius indignum elegerunt, excludi ampliùs non possent. *Gloss in c. cum Vintonienſis. v. tertia. h. t. & in c. ſi electio. v. integrum. eodem in 6. Laym. in qq. can. Diling. diſp. de Præl. Eccleſ. q. 64.* Si denique omnes omninò Capitulares in indiguum scienter consenserint, Jus eligendi pro ea vice ad superiorem devolvitur. *c. bona 23. h. tit. Panor. in d. c. cùm Vintonienſis. n. 6. h. tit.* Est tamen hîc notabile, quod cum alijs contra alios docet Passerinus *in Tract. de elect. cap. 29. n. 94 & ſeq. & cap. 31. n. 25.* quòd hæc pœna privationis ob electionem indigni tantùm habeat locum in electione ad Episcopatum, non verò ad inferiores dignitates præsertim Regularium, sed tales eligentes puniendi sint aliâ pœnâ arbitrariâ. *arg. c. ſi compromiſſarius. 37. h. tit. in 6.*

Digitized by Google

in 6. Item *d. c.* 29. *n.* 97. tradit Passerinus, quòd pœna eligentium indignum duntaxat intelligatur de indigno ex his 3. causis, scil. ob defectum *Natalium, scientiæ,* & *morum*, secus verò si fuerit indignus vel ineligibilis ex alia causa, v. g. quia est corpore vitiatus, neophytus, bigamus, vel aliàs irregularis absque delicto. &c.

VII. Eligere non possunt *absentes*, qui personaliter in loco electionis non comparent, si justum aliquod veniendi impedimentum non habeant: Si verò justo aliquo impedimento detenti sint, procuratorem ad dandum votum constituere possunt, & hic procurator regulariter debet esse unus de Collegio, sive Capitulo, ac petentibus reliquis Capitularibus in animam principalis jurare, quòd is personaliter accedere non valeat. *c. quia propter.* 42. §. *illud autem hoc tit.* Dico, *petentibus reliquis*, quia Capitulares, si velint possunt acceptare procuratorem etiam à non impedito, & etiam aliquem extraneum Clericum, qui non sit de Capitulo, cùm hæc dispositio juris sit in ipsorum favorem, cui propterea renunciare non prohibentur. Panorm. *in d. §. illud autem. c. fi quis justo.* 45. §. *absens. h. t. in 6.* 10

Porrò procurator simpliciter constitutus non potest alium suo, & alium principalis nomine eligere eâdem enim conscientiâ, quâ tenetur *digniorem* suo nomine, tenetur etiam eligere nomine principalis, nisi habuerit mandatum speciale de certa persona eligenda, quia tunc

Digitized by Google

non tenetur ſuum judicium confirmare judicio principalis. *d. c. ſi quis juſto. §. porrò. & ibi Gl. in v. nihil agit. h tit. in 6.*

Per litteras autem abſens ſuum votum dare non poteſt, quamvis nullus ſit è Capitulo, qui procuratoris officium ſubire velit, & Capitulum nolit extraneum admittere, quia de forma ſcrutinii eſt, ut vota dentur ſigillatim & ſecretò in ipſo ſcrutinio, tales autem litteræ deberent inprimis legi, & tanquam propriâ manu ſcriptæ cognoſci à Capitulo, & deinde votum ſuum in litteris exprimens ipſum ſcrutinium præveniret. *d. c. ſi quis juſto. §. abſens.* docet tamen Layman. *in quæſtionibus Canonicis. de Prælatis Eccleſiaſticis.* quæſt. 44. in electionibus Regularium in quibus forma ſcrutinii exactè non ſervatur, ſed ſchedulæ obſignatæ in unam urnam conjiciuntur, nihil obſtare, ſuffragium ita ſcriptum ab abſente vel infirmo ad Capitulum mitti.

Sed & illud obſervatione dignum eſt, quòd à S. Congregatione deciſum referunt Garc. *de benefic. p. 5. cap. 4. n.* 200. & ex eo Barb. *ad Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 6.* quòd in electionibus Regularium in quibus per *d. c.* 6. Trid. ſub pœna nullitatis ſtatuitur, ut fiant *per vota ſecreta*, quæ cum nominibus eligentibus nunquam publicentur, non poſſit conſtitui procurator de conventu *cum ſpeciali mandato* de certa perſona eligenda, ſed benè cum mandato *generali* de perſona incerta, quæ ipſi Procuratori digna viſa fuerit.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterùm ad electionem vocandi sunt omnes 11
Capitulares etiam absentes, qui *debent vocari, & volunt ac commodè possunt* interesse. *d. c. quia propter.* 42. *h. t.* nisi essent valdè remoti. *c. cum inter.* 18. *h. t.* quandonam autem dicantur *valdè remoti*, ex consuetudine locorum desumendum erit, quæ aliquando habet, ut omnes, qui in eadem Provincia, imò in eodem Regno sunt, vocentur, aliàs ex eo, an commodè ob distantiam loci intermino electionis comparere valeant. *Gl. in d. c.* 18. *in V. remoti. & c. in Genesi. h. t.* quòd si vel unus, qui de Jure aut consuetudine vocari debuisset, vocatus non sit, potest agere de contemptu, & irritare electionem, nisi ob bonum pacis velit expressè, aut tacitè renuntiare Juri suo, & electioni consentire. *c. quod sicut.* 28. *in. bona.* 36. *hoc tit. Abb. in d. c. quod sicut. n.* 10. *Zoes. h. t n.* 65. *& seqq.* 1

Si verò aliqui vocati nolint interesse, aut ob impedimentum non possint, tunc totum jus eligendi apud residuos præsentes est, idque etiam apud unicum sicut alia Collegii aut Universitatis alicujus Jura etiam in uno conservantur, *arg. L. sicut in fin. ff quod cujusvis Universit. nom.* hic autem unicus, licet se ipsum ob notam ambitionis eligere nequeat, potest tamen alium idoneum ex suo vel alio Capitulo nominare, & superiori præsentare ad confirmationem, vel certè in superiorem ipsum, aliúmve Clericum unum vel plures compromittere, ac jus eligendi conferre, à quibus deinde etiam ipse, si idoneus fuerit, 12

rit, eligi poterit. *Laym. de Prælatis Eccleſ. q. 36. cum Panorm. & Innoc. in c. cum nobis. 19. h. t.*

13 VIII. Demùm eligere nequeunt Capitulares, ſi tempus electioni à Jure præſcriptum per negligentiam elabi patiantur. ne autem ex defectu Prælati damnum temporale aut ſpirituale Eccleſiis eveniat, ſtatutum eſt *in c. ne pro defectu 41. h. t.* ut in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus intra tres menſes nova electio inſtituatur. Porrò cùm ibidem tantùm *de Cathedralibus & Regularibus Eccleſiis* mentio fiat, communis eſt DD. ſententia, quòd electio in *Eccleſiis Collegiatis*, in quibus ſæculares Presbyteri degunt, ſicut aliorum beneficiorum etiam dignitatum in Eccleſiis Cathedralibus exiſtentium electio vel collatio terminum ſex menſium habeat. *c. 2. de conceſſ. Præb.* ex ea etiam ſpecialitatis ratione, quòd in Eccleſiis Collegiatis ſede quoque completâ potiſſima juriſdictio in Clericos ſæculares competat Epiſcopo, ut proindè ejus ſedis vacatio non tam periculoſa ſit Eccleſiæ, quàm in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus. notat tamen Panorm. *in d. c. ne pro defectu. n. 5.* quòd ſi Prælatus alicujus Eccleſiæ Collegiatæ etiam ſæcularis haberet ex jure ſpeciali jurisdictionem generalē ſicut Abbas, tunc in tali Eccleſia ex identitate rationis deberet obſervari trimeſtre. Si ergò prædictum trimeſtre, aut ſemeſtre Capitulares negligenter elabi permittant, privantur pro ea vice Jure eligendi, quod ad ſuperiorem, ad quem aliàs electionis confirmatio pertinet, devolvitur,

qui

Digitized by Google

qui DEUM præoculis habens ait Pontifex *in d. c. ne pro defectu, non debet differre ultra tres menses cum Consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatæ Ecclesiæ de persona idonea, ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè providere, si canonicam valuerit evadere ultionem.* Atque hæc electio competit Episcopo seu superiori Jure devoluto, confirmatio autem Jure proprio. sed an uno actu vel diversis electio devoluta & confirmatio electi expedienda? diversæ sunt DD. opiniones apud Panorm. *in d. c. ne pro defectu.* 41. *n.* 4. quia tamen ante confirmationem Prælatorum solent præmitti certa examina, edictalis citatio contradictorum, siqui fuerint, ideò vix commodè uno actu res expediri posse videtur, quin potiùs priùs facienda electio, & posteà præmissis præmittendis cõfirmatio

Dixi, si *per negligentiam* tempus elapsum sit, aliud est si ob justum impedimentum. v. g. belli, pestis, &c. electio retardata fuerit. *d. c. ne pro defectu ubi Gl. in v. justo impedimento.* imò tametsi ex propria Capitularium culpa tale impedimentum provenerit, ut quia suspensionis, vel aliam censuram contraxerunt, à qua absolutionem intra trimestre obtinere non potuerunt, tempus electionis stante tali impedimento non computatur. *c. quia diversitatem. 5. de concess. Præb.*

Currit etiam terminus electionis non præcisè à die *vacationis*, quo Prælatus mortuus est, sed à die *scientiæ*, quo mors ejus (qui fortè in remotis agebat) Capitulo per certum nuntium innotuit,

tum quò minus debito tempore ordinari possit, an confirmandus,

19. *Eligendus in Abbatem debet esse expressè vel tacitè professus, nisi Ecclesia sit simul Cathedralis.*
20. *Eligi potest etiam ex alieno gremio, idque consuetudine introduci.*
21. *Electionem faciendam ex alieno gremio an possit Episcopus statuere, vel jubere.*
22. *Eligendus debet esse ejusdem Ordinis.*
23. *Censurati, irregulares & infames non possunt eligi, & ibi, an monialis bigama, vel vidua, aut corrupta possit eligi in Abbatissam.*
24. *Illegitimè nati sunt ineligibiles, & quid de legitimatis.*
25. *Quid de hereticis, eorumq; fautoribus & descendentibus, item schismaticis, & ordinatis ab ijs.*
26. *Neophyti non possunt eligi.*
27. *Nec Simoniaci.*
28. *Ætas quæ requiratur in eligendo.*
29. *Scientia quæ.*
30. *Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi ad aliam, sed postulari, secùs in Abbate ejusdem Ordinis.*

PLures sunt, qui à sacris Canonibus electionis passivæ, & ad dignitates electivas inhabiles declarantur, quos per ordinem enumerabimus.

16 1. Sicut aliorum beneficiorum nullus Laicus, qui tonsuram aut clericales Ordines non habeat, capax est, ita & multò minùs ad Prælaturam sive dignitatem Ecclesiasticam eligi valet, & licet in quibusdam Episcopatibus Germaniæ Laici, & Acatholici Episcopatus teneant, id tamen de facto

facto solùm, ac per potentiam, & intrusionem hæreticorum, non de Jure contingit. item non excedit potestatem S. Pontificis, quam habet in omnibus beneficiis, alicui Principi, vel alteri Laico Domino fructus de Episcopatu vel Prælatura aliqua ad tempus vitæ concedere, qui tamen propterea non erit propriè Prælatus illius Ecclesiæ dicendus, sed & Commendatarii Episcopi, vel Abbates, qui plerumque Principes vel magni Domini sunt & quidem sæculares, tonsuram saltem Clericalem aut minores Ordines accipere debent.

II. Eligendus ad Cathedralem Ecclesiam, vel Episcopatum non sufficit, quòd Clericus sit in Minoribus, sed ex Trid. *sess. 22. de reform. cap. 2.* debet in sacro Ordine Subdiaconatûs saltem sex mensibus priùs fuisse. imò juxta Bullam Greg. XIV. quæ incipit *Onus Apostolicæ servitutis &c.* aiunt ob pluralem Ordinum mentionem ibi factam requiri ut priùs constitut⁹ fuerit 6. mensibus in omnibus Ordinibus, sicut refert Barb. *in Collect. ad d. cap. Trid. n. 2.* Loquor de eligendo ad Episcopatum, aliud est, si per dispensationem alicui in Commendam concedatur, ut dictum. 17

Circa Abbatias vel Regulares dignitates non habetur in jure expressum, quòd eligendus ad easdem debeat esse in majoribus Ordinibus, sed sufficit, si sit annorrm 25. inchoatorum, & ut primo anno numerando à die adeptæ possessionis, vel quo adipisci potuit, sacerdotium suscipiat. *c. 1. de ætate & qualit. c. cum in cunctis, §. inferiora, h. tit.*

Digitized by Google

h. tit. c. licet Canon. 14. *c. commissa.* 30. *eodem in 6.* Est tamen hic annus non continuus, sed utilis, qui non currit justè impedito. si verò cessante impedimento elapsus fuerit, ipso jure privatio dignitatis inducitur, nec ita privatus per novam electionem assumi poterit, ne constitutio juris eludatur, *d. c. commissa.*

18 Sed quid, si electus post electionem in tale impedimentum incidat, quod ultra annum & diutiùs duraturum sit, ánne dignitate privandus erit? R. si impedimentum tantùm sit, ut physica vel morali certitudine sit perpetuum, vel plures annos sine certo fine duraturum, privari posse electum. *d. c.* 2. *de ætate & qualit.* in casu tamen necessitatis, quo aliquis æquè idoneus haberi non posset, dispensativè admitti valeret in Abbatem etiam non sacerdos, *c. tuam* 19. *h. t.* & quia hoc ita Jure communi decretum est, ideò in tali casu dispensationem competere Episcopo cum Hostien. tenet Panor *in d. c. tuam. in fin* extra casum necessitatis autem solùm S. Pontifex, qui supra Canones est, dispensare deberet. Si verò impedimentum sit Physica vel morali certitudine tantùm temporale, licet ultra annum extendatur, dummodo non ad multos annos, non erit electus dignitate privandus. *arg. d. c. commissa & Clem.* 2. *de ætate & qualit.* Alia autem distinctione utitur Gl. *in d. c.* 1. *de ætate & qualit. in V. amittant.* & ibidem Fagn. *n.* 34. cum Innoc. Hostien. & aliis. an nimirum post electionem aliquis propriâ culpâ inciderit in impedimentum,

tum, ut quia fortassis pugnando manum amisit, vel an sine culpa sua, ita ut priori casu privandus sit dignitate, non autem posteriore, ne afflicto, addatur afflictio, *arg. c. 2. de Cler. agrot.* hæc distinctio rectè teneri potest, si ponamus, quòd aliquis non solùm electus, sed etiam confirmatus sit, & ita jus plenum in beneficio acquisierit: si verò electus tantùm esset, non videtur ob impedimentum sacerdotii perpetuum, tametsi sine culpa contractum Ecclesiæ expedire, ut confirmatio impendatur. beneficium enim datur propter officium, officium autem Prælati consistit non tantùm in œconomica administratione, sed etiam divinorum officiorum digna celebratione. quòd si impedimentum tantùm temporale, & brevi duraturum esset, non putarem distinguendum suâ vel alienâ culpâ electus in id incidisset, quia non agitur de notabili damno Ecclesiæ, & non est absolutum officii ergo nec beneficii impedimentum, sicut etiam docet & priorem distinctionem nostram veram asserit Laym: *de Prælatis Ecclesiasticis. q.* 186.

III. In Ecclesiis Regularibus ad Abbatias 19
eligi non possunt, qui Ordinem professi non sunt, *cùm in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit*, ut dicitur in *c. cùm in Magistrum.* 49. *hoc tit* neque sufficit *tacita* professio, sed *expressa* requiritur in *c. nullus.* 28. *& ibi. Gloss. in V. expressè. hoc tit. in 6. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 21, nisi Ecclesia illa Regularis esset

Digitized by Google

ſimul Cahedralis, ita ut eligendus quis foret ad Epiſcopatum, tum enim ad talem Eccleſiam etiam novitius eligi valeret. *d. c. nullus in fin* Cæterùm non ſufficit ſimul profiteri, & in Abbatem eligi, eò quòd talis potiùs amore dignitatis, quàm Religionis & vitæ converſionis profeſſionem facere cenſeatur, cùm nullam ſpem, vel promiſſionem habens, ut Abbas fiat, monachari debeat, ait Pontifex *in c. ad noſtram. 37. hoc t.* imò etiam plerùmque requiritur, ut notabile aliquod tempus poſt Profeſſionem in Religione transactum ſit, *arg. d. c. cùm in Magiſtrum.* quia teſte D Hyeron. multo tempore diſcendum eſt, quòd poſtmodùm doceatur. *c. ſic vive. 16. q. 1.* quâ tamen in re plarimùm ſuperioris confirmantis arbitrio tribuendum eſt, qui admittere poterit electum non ita pridem profeſſum, ſi utilitas, aut neceſſitas Eccleſiæ id exigere videatur.

20 IV. Eligi non poſſunt, qui ex gremio Eccleſiæ, de cujus Capitis electione agitur, non ſunt. *c. nullus invitis. 12. diſt 61.* ſed hoc potiùs in favorem Capitularium, & de decentia, ne invitis extraneus obtrudatur, quàm de abſoluta neceſſitate conſtitutum eſt. Quare non prohibentur Capitulares huic favori renuntiare, & aliquem extraneum eligere. *c. cùm nobis. 19. c. cùm inter 21. hoc tit.*

Conſuetudine quoque & præſcriptione introduci poſſe, ut una Eccleſia teneatur ſibi eligere Abbatem, vel Prælatum de gremio alterius Eccleſiæ: tex. ſunt *in c. cùm dilectus. de Conſuet. c. Abbate.*

Abbate. de V. S. quâ tamen in re attendenda sunt ea, quæ circa præscriptionem in actibus *meræ facultatis* in tit. *de præscript.* traduntur. Licet verò quidam cum Innoc. *in eodem. c. cùm. dilectus, n.* 21
2. existiment, etiam Episcopum cum consensu Capituli posse statuere, ut Religiosi unius Monasterii teneantur eligere Abbatem de alio Monasterio, eò quòd hoc ipsum præscribi possit, & non sit contra, sed præter jus; nihilominus id rectius cum Gloss. *in d. c. cùm dilectus. in V. constitutum.* negatur, quia ex sacris Canonibus Religiosis est jus quæsitum, ut de suo gremio possint aliquem eligere, ergo ne quidem ex causa potest ipsis hoc jus ab alio auferri, quàm ab eo qui supra jus est. Non obstat, quod præscriptione auferri possit, quia præscriptio authoritate juris communis, & S. Pontificis concessa est. certè si mihi à S. Pontifice Privilegium concessum, vel quidpiam donatum sit. id præscriptione amittere possum, non tamen propterea Episcopus etiam ex causâ aufferre valet, non enim sola causa sufficit, sed & potestas disponendi contra jus superioris requiritur, & si in *d. c.* 13. *dist.* 61. generaliter statuitur, ne invitis Capitularibus Prælatus ex aliena Ecclesia obtrudatur, non video, quomodo non sit contra jus, si Episcopus per statutum Religiosis necessitatem imponat extraneum eligendi.

Quòd si Religiosi ex alio monasterio sponte Abbatem elegerint, necesse est, ut sit ejusdem Ordinis, & Religionis, non enim convenit, ut 22

homines disparis professionis vel habitûs in iisdem monasteriis socientur, ut dicitur *in Clem.* 1. *hoc t.* S. Pontifex qui supra Canones est, potest quidem de absoluta sua potentia etiam alicui Clerico sæculari monasterium in commendam dare, sed id inprimis adversatur Trid. *sess* 25. *de Regul. cap.* 21. & insuper Concordatis Germaniæ, ex quibus ut in tit. *de præbendis.* dicetur, monasteriis liberum jus eligendi in Germania relictum est; nec dictis concordatis sine consensu Nationis Germanicæ & extra generale Concilium derogatur, ut in Bulla Concordatorum Nicol. V. habetur.

32 V. Eligi nequeunt, qui sunt irretiti censuris Ecclesiasticis, scilicet *excommunicatione* sive majore sive minore: *c.* 7 *&* *c. ult. de Cler. excom.* Item *suspensione* sive ab officio, *d. c. ult.* sive â beneficio: *Gl. in c. cupientes. §. caterum. in V. beneficiis, hoc t. in* 6. ne suspensio reddatur elusoria, si privatus officio aut beneficio id per electionẽ denuò consequeretur. *Interdicto personali*, qualiter interdicti similes sunt suspensis ab officio. Nec interest circa electionem passivam (quamvis aliud sit circa activam, ut dictum.) an prædicti censurati *denuntiati* sint, quia electio passiva tendit in electi magnum favorem, constitutio autem Concilii Constantiensis, & Extravag. Martini 5. *ad evitanda scandala.* non vult censuratis aliquem favorem præstare.

Censuratis etiam quoad hunc effectum annumerandi sunt *irregulares*, beneficium enim datur

propter

propter officium, irregularis autem cùm inhabilis sit ad officium, à beneficio quoq; excluditur, *Covar. in c. alma mater. p.* 1. § 7. *n.* 1 prout in specie de irregularitate contracta ob violationem interdicti localis, aut personalis. *in c. is qui. §. is verò de sent. excom. in* 6.

Quæri posset hoc loco, an monialis bigama sit eligibilis in Abbatissam, si aut *veram bigamiam* contraxit nubendo pluribus maritis, aut *interpretativam* nubendo viduo, aut *similitudinariam*, post Professionem nuptias attentando? Respondetur, ratione bigamiæ præcisè non prohiberi, quia in fœminas non cadit irregularitas, quæ tantùm respicit Ordines clericales, quorum incapaces sunt.

Verùm an Monialis intra vel extra Matrimonium corrupta adeóque etiam vidua monogama possit in Abbatissam eligi, saltem ubi Abbatissæ non datut specialis benedictio virginum, major est inter DD. concertatio? id quidem aliquod graves DD. affirmant, eò quòd in jure non habeatur expressa prohibitio, nisi *in c. juvenculas*, 20. *q.* 1. cujus intentio videtur fuisse solùm juvenculas prohibere, non viduas honestas. *arg. c. fin ead. q.* 1. Attamen plures numero DD suffulti Declarationibus Card. negativam sequuntur, cum ob honorem Virginitatis & prærogativam, præter alias etiam considerationes, non deceat, ut Virginibus corrupta præponatur. Limitant verò non pauci, ut procedat in ea, quæ est notoriè corrupta.

rit, eligi poterit. *Laym. de Prælatis Eccleſ. q. 36. cum Panorm. & Innoc. in c. cum nobis. 19. h. t.*

13 VIII. Demùm eligere nequeunt Capitulares, ſi tempus electioni à Jure præſcriptum per negligentiam elabi patiantur. ne autem ex defectu Prælati damnum temporale aut ſpirituale Eccleſiis eveniat, ſtatutum eſt *in c. ne pro defectu 41. h. t.* ut in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus intra tres menſes nova electio inſtituatur. Porrò cùm ibidem tantùm *de Cathedralibus & Regularibus Eccleſiis* mentio fiat, communis eſt DD. ſententia, quòd electio in *Eccleſiis Collegiatis*, in quibus ſæculares Presbyteri degunt, ſicut aliorum beneficiorum etiam dignitatum in Eccleſiis Cathedralibus exiſtentium electio vel collatio terminum ſex menſium habeat. *c. 2. de conceſſ. Præb.* ex ea etiam ſpecialitatis ratione, quòd in Eccleſiis Collegiatis ſede quoque completâ potiſſima juriſdictio in Clericos ſæculares competat Epiſcopo, ut proindè ejus ſedis vacatio non tam periculoſa ſit Eccleſiæ, quàm in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus. notat tamen Panorm. *in d. c. ne pro defectu. n. 5.* quòd ſi Prælatus alicujus Eccleſiæ Collegiatæ etiam ſæcularis haberet ex jure ſpeciali jurisdictionem generalē ſicut Abbas, tunc in tali Eccleſia ex identitate rationis deberet obſervari trimeſtre. Si ergò prædictum trimeſtre, aut ſemeſtre Capitulares negligenter elabi permittant, privantur pro ea vice Jure eligendi, quod ad ſuperiorem, ad quem aliàs electionis confirmatio pertinet, devolvitur,

qui

Digitized by Google

qui DEUM præ oculis habens ait Pontifex *in d. c. ne pro defectu, non debet differre ultra tres menses cum Consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatæ Ecclesiæ de persona idonea, ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè providere, si canonicam valuerit evadere ultionem.* Atque hæc electio competit Episcopo seu superiori Jure devoluto, confirmatio autem Jure proprio. sed an uno actu vel diversis electio devoluta & confirmatio electi expedienda ? diversæ sunt DD. opiniones apud Panorm. *in d. c. ne pro defectu.* 41. *n.* 4. quia tamen ante confirmationem Prælatorum solent præmitti certa examina, edictalis citatio contradictorum, siqui fuerint, ideò vix commodè uno actu res expediri posse videtur, quin potiùs priùs facienda electio, & posteà præmissis præmittendis cõfirmatio

Dixi, si *per negligentiam* tempus elapsum sit, aliud est si ob justum iupedimentum. v. g. belli, pestis, &c. electio retardata fuerit. *d. c. ne pro defectu ubi Gl. in v. justo impedimento.* imò tametsi ex propria Capitularium culpa tale impedimentum provenerit, ut quia suspensionis, vel aliam censuram contraxerunt, à qua absolutionem intra trimestre obtinere non potuerunt, tempus electionis stante tali impedimento non computatur. *c. quia diversitatem. 5. de concess. Preb.*

Currit etiam terminus electionis non præcisè à die *vacationis*, quo Prælatus mortuus est, sed à die *scientiæ*, quo mors ejus (qui fortè in remotis agebat) Capitulo per certum nuntium innotuit,

notuit, *d. c. quia diversitatem, in fine.* sed etsi electio effectum non habuerit, ut quia electus acceptare noluit, vel ante confirmationem mortuus est, aut renuntiaverit, vel occultus ejus defectus Canonicus obstans electioni proditus est, conceditur Capitularibus à die renuntiationis mortis, vel detecti impedimenti integrum tempus ad novam electionem faciendam, dummodò nihil fraudulenter egerint in præmissis. *c. si electio 26. h. t. in 6.* ubi Gl. *in v. fraudulenter.* ponit exemplum, si v. g. ultima die trium mensium Capitulares, qui hactenus convenire non potuerant, studio eligant talem, quem sciunt dissensurum, & non accepturum electionem, ut tempus tantùm electionis renovetur, quæ fraus ipsis patrocinari non debet, sed potiùs devolutio electionis ad superiorem fieri, ita tamen si fraus & dolus contra Capitulares perspicuè probari fuerit, in dubio autem dolus non præsumitur. *L. dolum 6. C. de dolo. L. quoties. 18. §. 1. ff. eodem t.*

14 Quid autem dicendum, si Capitulares post lapsum terminum de facto aliquem elegerint, anne hæc electio prorsus nulla à superiore declarari debeat? *R.* de rigore Juris esse invalidam, utpotè factam eo tempore, quo jus eligendi à Capitularibus ablatum ipso Jure ad superiorem devolutum est. *c. licet. de suppl. negl. Prælat.* de æquitate tamen sustineri posse a superiore, si nemo se opponat electioni, & electus aliàs idoneus sit. *c litteras de suppl. negl. Prælat.* Cùm ergò Episcopus vel alius superior jus confirmandi haben s

habens possit tolerare electum post terminum elapsum, non videtur improbabile quin eodem modo possit jus ad se devolutum Capitularibus cedere, illisque tempus sibi competens ad eligendum assignare, ut non tam Jure proprio, quàm superioris nomine eligant. Restringere autem terminum electionis à Jure Capitularibus indultum inferior S. Pontifice nisi ex publica causa; & ob moram Ecclesiæ valdè damnosam non posset, quia jus commune tollere, & Juris beneficio aliquem privare ad solum Legislatorem ordinariè spectat.

Quòd si Episcopus Jure electionis ad se devoluto non utatur intra trimestre *juxta c. ne pro defectu. h. t.* devolutio ulterior non fiet ad Capitulum ejus, sed ad proximum superiorem, scilicet Archiepiscopum, vel alium, si Episcopus sub Archiepiscopo non sit, quamvis aliter se res habeat in aliis beneficiis non devolutis, sed immediatè ad collationem Episcopi pertinentibus, ut docet *Panorm. in c. cum in cunctis. §. Clerici. & in d. c. ne pro. de defectu. 41. n. 6. h. t.* 15

§. II.

De Electione passiva, & quinam ad dignitates Ecclesiasticas eligi possint, vel non.

SUMMARIA.

16. *Laicus eligi non potest.*
17. *Eligendus quos Ordines habere debeat.*
18. *Electus post electionem contrahens impedimentum*

tum quò minus debito tempore ordinari possit, an confirmandus,

19. *Eligendus in Abbatem debet esse expressè vel tacitè professus, nisi Ecclesia sit simul Cathedralis.*

20. *Eligi potest etiam ex alieno gremio, idque consuetudine introduci.*

21. *Electionem faciendam ex alieno gremio an possit Episcopus statuere, vel jubere.*

22. *Eligendus debet esse ejusdem Ordinis.*

23. *Censurati, irregulares & infames non possunt eligi, & ibi, an monialis bigama, vel vidua, aut corrupta possit eligi in Abbatissam.* (matis.

24. *Illegitimè nati sunt ineligibiles, & quid de legiti-*

25. *Quid de hereticis, eorumq; fautoribus & descendentibus, item schismaticis, & ordinatis ab ijs.*

26. *Neophyti non possunt eligi.*

27. *Nec Simoniaci.*

28. *Ætas quæ requiratur in eligendo.*

29. *Scientia quæ.*

30. *Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi ad aliam, sed postulari, secùs in Abbate ejusdem Ordinis.*

PLures sunt, qui à sacris Canonibus electionis passivæ, & ad dignitates electivas inhabiles declarantur, quos per ordinem enumerabimus.

16 1. Sicut aliorum beneficiorum nullus Laicus, qui tonsuram aut clericales Ordines non habeat, capax est, ita & multò minùs ad Prælaturam sive dignitatem Ecclesiasticam eligi valet, & licet in quibusdam Episcopatibus Germaniæ Laici, & Acatholici Episcopatus teneant, id tamen de facto

facto solùm, ac per potentiam, & intrusionem hæreticorum, non de Jure contingit. item non excedit potestatem S. Pontificis, quam habet in omnibus beneficiis, alicui Principi, vel alteri Laico Domino fructus de Episcopatu vel Prælatura aliqua ad tempus vitæ concedere, qui tamen propterea non erit propriè Prælatus illius Ecclesiæ dicendus, sed & Commendatarii Episcopi, vel Abbates, qui plerumque Principes vel magni Domini sunt & quidem sæculares, tonsuram saltem Clericalem aut minores Ordines accipere debent.

II. Eligendus ad Cathedralem Ecclesiam, vel Episcopatum non sufficit, quòd Clericus sit in Minoribus, sed ex Trid. *sess. 22. de reform. cap. 2.* debet in sacro Ordine Subdiaconatûs saltem sex mensibus priùs fuisse. imò juxta Bullam Greg. XIV. quæ incipit *Onus Apostolicæ servitutis &c.* aiunt ob pluralem Ordinum mentionem ibi factam requiri ut priùs constitut⁹ fuerit 6. mensibus in omnibus Ordinibus, sicut refert Barb. *in Collect. ad d. cap. Trid. n. 2.* Loquor de eligendo ad Episcopatum, aliud est, si per dispensationem alicui in Commendam concedatur, ut dictum. 17

Circa Abbatias vel Regulares dignitates non habetur in jure expressum, quòd eligendus ad easdem debeat esse in majoribus Ordinibus, sed sufficit, si sit annorum 25. inchoatorum, & ut primo anno numerando à die adeptæ possessionis, vel quo adipisci potuit, sacerdotium suscipiat. *c. 1. de ætate & qualit. c. cum in cunctis, §. inferiora, h. tit.*

h. tit. c. licet Canon. 14. *c. commissa.* 30. *eodem in 6.* Est tamen hic annus non continuus, sed utilis, qui non currit justè impedito. si verò cessante impedimento elapsus fuerit, ipso jure privatio dignitatis inducitur, nec ita privatus per novam electionem assumi poterit, ne constitutio juris eludatur, *d. c. commissa.*

18 Sed quid, si electus post electionem in tale impedimentum incidat, quod ultra annum & diutiùs duraturum sit, ánne dignitate privandus erit? R/ si impedimentum tantùm sit, ut physica vel morali certitudine sit perpetuum, vel plures annos sine certo fine duraturum, privari posse electum. *d. c.* 2. *de ætate & qualit.* in casu tamen necessitatis, quo aliquis æquè idoneus haberi non posset, dispensativè admitti valeret in Abbatem etiam non sacerdos, *c. tuam* 19. *h. t.* & quia hoc ita Jure communi decretum est, ideò in tali casu dispensationem competere Episcopo cum Hostien. tenet Panor *in d. c. tuam. in fin.* extra casum necessitatis autem solùm S. Pontifex, qui supra Canones est, dispensare deberet. Si verò impedimentum sit Physica vel morali certitudine tantùm temporale, licet ultra annum extendatur, dummodo non ad multos annos, non erit electus dignitate privandus. *arg. d. c. commissa & Clem.* 2. *de ætate & qualit.* Alia autem distinctione utitur Gl. *in d. c.* 1. *de ætate & qualit. in V. amittant.* & ibidem Fagn. *n.* 34. cum Innoc. Hostien. & aliis. an nimirum post electionem aliquis propriâ culpâ inciderit in impedimentum,

tum, ut quia fortassis pugnando manum amisit, vel an sine culpa sua, ita ut priori casu privandus sit dignitate, non autem posteriore, ne afflicto, addatur afflictio, *arg. c. 2. de Cler. agrot.* hæc distinctio rectè teneri potest, si ponamus, quòd aliquis non solùm electus, sed etiam confirmatus sit, & ita jus plenum in beneficio acquisierit: si verò electus tantùm esset, non videtur ob impedimentum sacerdotii perpetuum, tametsi sine culpa contractum Ecclesiæ expedire, ut confirmatio impendatur. beneficium enim datur propter officium, officium autem Prælati consistit non tantùm in œconomica administratione, sed etiam divinorum officiorum digna celebratione. quòd si impedimentum tantùm temporale, & brevi duraturum esset, non putarem distinguendum suâ vel alienâ culpâ electus in id incidisset, quia non agitur de notabili damno Ecclesiæ, & non est absolutum officii ergo nec beneficii impedimentum, sicut etiam docet & priorem distinctionem nostram veram asserit Laym. *de Prælatis Ecclesiasticis. q.* 186.

III. In Ecclesiis Regularibus ad Abbatias 19
eligi non possunt, qui Ordinem professi non sunt, *cùm in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit*, ut dicitur in *c. cùm in Magistrum.* 49. *hoc tit* neque sufficit *tacita* professio, sed *expressa* requiritur in *c. nullus.* 28. *& ibi. Gloss. in V. expressè. hoc tit. in 6. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 21, nisi Ecclesia illa Regularis esset

simul Cahedralis, ita ut eligendus quis foret ad Episcopatum, tum enim ad talem Ecclesiam etiam novitius eligi valeret. *d. c. nullus in fin.* Cæterùm non sufficit simul profiteri, & in Abbatem eligi, eò quòd talis potiùs amore dignitatis, quàm Religionis & vitæ conversionis professionem facere censeatur, cùm nullam spem, vel promissionem habens, ut Abbas fiat, monachari debeat, ait Pontifex *in c. ad nostram. 37. hoc t.* imò etiam plerùmque requiritur, ut notabile aliquod tempus post Professionem in Religione transactum sit, *arg. d. c. cùm in Magistrum.* quia teste D Hyeron. multo tempore discendum est, quòd postmodùm doceatur. *c. sic vive. 16. q. 1.* quâ tamen in re plarimùm superioris confirmantis arbitrio tribuendum est; qui admittere poterit electum non ita pridem professum, si utilitas, aut necessitas Ecclesiæ id exigere videatur.

20 IV. Eligi non possunt, qui ex gremio Ecclesiæ, de cujus Capitis electione agitur, non sunt. *c. nullus invitis. 12. dist 61.* sed hoc potiùs in favorem Capitularium, & de decentia, ne invitis extraneus obtrudatur, quàm de absoluta necessitate constitutum est. Quare non prohibentur Capitulares huic favori renuntiare, & aliquem extraneum eligere. *c. cùm nobis. 19. c. cùm inter 21. hoc tit.*

Consuetudine quoque & præscriptione introduci posse, ut una Ecclesia teneatur sibi eligere Abbatem, vel Prælatum de gremio alterius Ecclesiæ: tex. sunt *in c. cùm dilectus. de Consuet. t.*

Abbate.

Digitized by Google

Abbate. de V. S. quâ tamen in re attendenda sunt ea, quæ circa præscriptionem in actibus *meræ facultatis* in tit. *de præscript.* traduntur. Licet verò quidam cum Innoc. *in eodem. c. cùm. dilectus, n.* 21
2. existiment, etiam Episcopum cum consensu Capituli posse statuere, ut Religiosi unius Monasterii teneantur eligere Abbatem de alio Monasterio, eò quòd hoc ipsum præscribi possit, & non sit contra, sed præter jus; nihilominus id rectius cum Gloss. *in d. c. cùm dilectus. in V. constitutum.* negatur, quia ex sacris Canonibus Religiosis est jus quæsitum, ut de suo gremio possint aliquem eligere, ergo ne quidem ex causa potest ipsis hoc jus ab alio auferri, quàm ab eo qui supra jus est. Non obstat, quod præscriptione auferri possit, quia præscriptio authoritate juris communis, & S. Pontificis concessa est. certè si mihi à S. Pontifice Privilegium concessum, vel quidpiam donatum sit. id præscriptione amittere possum, non tamen propterea Episcopus etiam ex causâ aufferre valet, non enim sola causa sufficit, sed & potestas disponendi contra jus superioris requiritur, & si in *d. c.* 13. *diss.* 61. generaliter statuitur, ne invitis Capitularibus Prælatus ex aliena Ecclesia obtrudatur, non video, quomodo non sit contra jus, si Episcopus per statutum Religiosis necessitatem imponat extraneum eligendi.

Quòd si Religiosi ex alio monasterio sponte Abbatem elegerint, necesse est, ut sit ejusdem Ordinis, & Religionis, non enim convenit, ut 22

homines disparis professionis vel habitûs in iisdem monasteriis socientur, ut dicitur *in Clem. 1. hoc t.* S. Pontifex qui supra Canones est, potest quidem de absoluta sua potentia etiam alicui Clerico sæculari monasterium in commendam dare, sed id inprimis adversatur Trid. *sess 25. de Regul. cap. 21.* & insuper Concordatis Germaniæ; ex quibus ut in tit. *de præbendis.* dicetur, monasteriis liberum jus eligendi in Germania relictum est; nec dictis concordatis sine consensu Nationis Germanicæ & extra generale Concilium derogatur, ut in Bulla Concordatorum Nicol. V. habetur.

32 V. Eligi nequeunt, qui sunt irretiti censuris Ecclesiasticis, scilicet *excommunicatione* sive majore sive minore: *c. 7 & c. ult. de Cler. excom.* Item *suspensione* sive ab officio; *d. c. ult.* sive â beneficio: *Gl. in c. cupientes. §. caterum. in V. beneficiis, hoc t. in 6.* ne suspensio reddatur elusoria, si privatus officio aut beneficio id per electionẽ denuò consequeretur. *Interdicto personali* qualiter interdicti similes sunt suspensis ab officio. Nec interest circa electionem passivam (quamvis aliud sit circa activam, ut dictum.) an prædicti censurati *denuntiati* sint, quia electio passiva tendit in electi magnum favorem, constitutio autem Concilii Constantiensis, & Extravag. Martini 5. *ad evitanda scandala.* non vult censuratis aliquem favorem præstare.

Censuratis etiam quoad hunc effectum annumerandi sunt *irregulares*, beneficium enim datur propter

propter officium, irregularis autem cùm inhabilis sit ad officium, à beneficio quoq; excluditur, *Covar. in c. alma mater. p.* 1. § 7. *n.* 1 prout in specie de irregularitate contracta ob violationem interdicti localis, aut personalis. *in c. is qui.* §. *is verò de sent. excom. in* 6.

Quæri posset hoc loco, an monialis bigama sit eligibilis in Abbatissam, si aut *veram bigamiam* contraxit nubendo pluribus maritis, aut *interpretativam* nubendo viduo, aut *similitudinariam*, post Professionem nuptias attentando? Respondetur, ratione bigamiæ præcisè non prohiberi, quia in fœminas non cadit irregularitas, quæ tantùm respicit Ordines clericales, quorum incapaces sunt.

Verùm an Monialis intra vel extra Matrimonium corrupta adeóque etiam vidua monogama possit in Abbatissam eligi, saltem ubi Abbatissæ non datut specialis benedictio virginum, major est inter DD. concertatio? id quidem aliquod graves DD. affirmant, eò quòd in jure non habeatur expressa prohibitio, nisi *in c. iuvenculas.* 20. *q.* 1. cujus intentio videtur fuisse solùm juvenculas prohibere, non viduas honestas. *arg. c. fin eod. q.* 1. Attamen plures numero DD suffulti Declarationibus Card. negativam sequuntur, cum ob honorem Virginitatis & prærogativam, præter alias etiam considerationes, non deceat, ut Virginibus corrupta præponatur. Limitant verò non pauci, ut procedat in ea, quæ est notoriè corrupta.

vel saltem pro tali habetur, non verò in ea, quæ est corrupta occultè, & publicè creditur virgo, præsertim si citra periculum diffamationis Abbatiam recusare nequeat, cum hoc impedimentum non sit de jure divino, & sanctitas vitæ, ac prudentia in regendo supplere possit virginitatis defectum nullúmque adsit scandalum in foro externo. vid. Pasq. *ad Laur. de Franch. p.* 1. *n.* 690. *& seqq.* Passer. *in Tract de elect. cap.* 40. *n.* 49. *& seqq.* adde hic, quæ tradit Paul. Laym. *in Theol. mor lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 9 ubi tractat, quando occultè corrupta possit ut virgo consecrari. Sed & *infames* irregularib⁹ accensentur, idquè non solum de infamibus *infamia juris*, sed etiam *infamiâ facti* accipiendum est. neque enim famosis& notatis, *& quos scelus & vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt*, ait Imperator *in L.* 2. *C. de dignit.* cui per similia verba consentit Pontifex *in c. inter dilectos de excess. Prælat. & in Reg.* 87. *juris in* 6. quænam autem dicatur infamia *juris* & *facti*, tractant *ad tit. ff. de his qui notantur infamia.* & alibi etiam in Tit. *de testibus*, dicemus.

24 VI. Electionem nullam reddit natalium defectus. *c. cùm in cunctis, juncto c. innotuit. hoc tit.* licet verò illegitimitas tollatur per ingressum in Religionem ad sacros Ordines suscipiendos, non tamen ad Prælaturas & dignitates *c.* 1. *& ibi. DD. de filiis presbyt.* Item licet Episcopus ad minores Ordines, & simplex beneficium cum illegitimo dispensare valeat, ad majores

tamen

tamen Ordines, & beneficia curata, ac dignitates tantùm S. Pontifex dispensat, *c. 1. jam d. tit. in 6. & d. c. innotuit.*

Præterea *legitimati per rescriptum Principis* sæcularis ex communiori sententia ad dignitates Ecclesiasticas promoveri nequeunt citra Pontificis dispensationem, teste Covar. *in tract de sponsal. & Matrim. q 2 cap. 8. §. 8. cum Gl. in c. 1. in V. divisio dist. 10. & in c. si officia. dist. 59.* Legitimati autem per subsequens matrimonium quoad omnia etiam honores & dignitates (exceptà Cardinalitia dignitate ex constitutone Sixti V. quæ incipit: *postquam &c.*) legitimè natis æquiparantur. *c. tanta & ibi Barb. n. 24. qui filij sint legitimi.*

VII. Dignitatis Ecclesiasticæ, sicut & cujus- 25
vis beneficii incapaces sunt, qui ex genere maculato sunt circa fidē, hoc est non tantùm hæretici, sed etiam *ex hæreticis*, eorumque *receptatoribus, defensoribus & fautoribus* descendentes, qui usque *ad secundam generationem ex linea paterna* & usque *ad primam ex linea materna* ad nullum beneficium Ecclesiasticum promoveri possunt, nisi parentes eorum ante mortem pœnituerint, & Ecclesiæ Catholicæ reincorporati fuerint, *c statutum. de hæretic. in 6.* in Germania tamen ac aliis partibus, ubi hæresis liberiùs grassatur, hæc constitutio circa hæreticorum liberos, si ipsi boni Catholici sint, & nihil aliud eis obsistat, non videtur recepta. *Schismatici* quoque eligi prohibentur, postquam tamen ad Eccle-

siæ unitatem redierunt, electio dispensativè confirmari permittitur in *c. quia. 5. h. tit.* sed propter illud verbum *dispensativè in c.* 5. positum plures censent, quòd dispensatio S. Pontificis requiratur, magis autem placet doctrina Abbatis *in eodem c. 5.* & Garc. *de benefic. p. 11. cap. 1. §. 1. n.* 164. quæ in aliis quoque materiis communiter â DD. recipitur, quòd ubi dispensatio in aliquo Canone permittitur, cùm ea non possit rationabiliter intelligi data S. Pontifici, cui aliàs competit, censeatur data & permissa etiam inferioribus Episcopalem jurisdictionem habentibus.

Ordinatus à Schismàtico denuntiato cùm hoc ipso suspensus sit, *c. 1. d. 2. de schismat.* eligi non potest.

26 VIII. Eligi non debent *Neophyti*, qui primùm ad fidem Christianam & Catholicam conversi sunt. Ratio sumitur tum ex S. Paulo 1. *ad Tim. 3. oportet*, inquit, *Episcopum non esse Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli:* tum ex eo, quòd non expediat fieri Doctorem vitæ Christianæ, qui primùm discipulus esse cœpit. *arg. c. cùm in magistrum. h. tit* quantum autem tempus sufficiat exegisse in fide Catholica, ut conversus eligi possit, superioris arbitrio consideratis personæ qualitatibus meritis & circumstantiis relinquendum erit.

27 IX. Invalidâ est electio ejus, qui mediante pecuniâ aut aliâ re temporali *simoniacè* vota consecutus est, licet eo ignorante ab amicis ejus pecu-

pecunia data sit, adeò quidem ut nec per novam electionem immediatè sequentem possit assumi, nisi persona media intervenerit, quæ electa renunciaverit, aut mortua sit: item nisi ab aliis pro eligendo in fraudem ejus data sit pecunia tantùm ut electio annulletur, vel certè si ab amicis quidem, sed electo expressè in contrarium protestante. *c. penul. h. tit. c. nobis.* 27. *c. sicut.* 33. *de simonia.* Circa hoc punctum autem videri debent ea, quæ in tit. *de simonia* traduntur.

X. Eligi non possunt, qui requisitam *ætatem* 28
non habent. In Episcopo requiritur; quòd *trigesimum annum* exegerit; in inferioribus dignitatibus *viginti quinque anni saltem inchoati* ex communiori sententia sufficiunt. *c. cùm in cunctis.* 7. *& ibi Gl. & DD. h. tit.*

Circa Abbatissas constitutum habetur in Trid. *sess.* 25 *de Regul cap.* 7. ut nulla eligatur, quæ sit minor *quadraginta annis*, & non saltem post expressam professionem *octo annis* in monasterio laudabiliter vixerit. Si nulla sit in eodem monasterio illis qualitatibus prædita, alia ejusdem Ordinis accipienda erit, si & hoc incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, concedit Concilium, ut ex eodem monasterio eligatur una, quæ *annum trigesimum* excesserit, & *quinque* saltem *annis* in monasterio laudabiliter vixerit.

XI. Ineligibiles sunt, qui requisitam *scientiam* 29
non habent. *c. cùm in cunctis. h. tit.* requiritur autem in Trid. *sess.* 22. *de reform. cap.* 2. ut eligen-

Digitized by Google

dus ad Cathedralem Ecclesiam ante in Universitate Studiorum Magister sive Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico meritò sit promotus, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Hæc verò constitutio cùm tantùm de eligendis ad Episcopatus loquatur, non est extendenda ad Abbatias, & inferiores Prælaturas, in quibus propter minorem gubernationē non requiritur tam eminens doctrina, sed magis prudentia & industria, quâ electus suis præesse possit, consideratur.

XII. Demùm impedit electionem *vinculum alterius Ecclesiæ.* Nam Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi in Episcopum alterius Ecclesiæ, sed postulari debet, & prius per dispensationem S. Pontificis obtinere absolutionem à vinculo, quo priori Ecclesiæ tanquam spirituali sponsæ suæ adstrictus erat. Quo sensu etiamrà quibusdam accipi solet dictum Apostoli 1. *ad Timoth.* 3. quòd Episcopum oporteat esse *unius uxoris virum*, sicut inferius in speciali tit. *de translatione Episcopi* trademus.

Inter Abbates verò, aliósque inferiores Prælatos ac monasteria & Ecclesias suas non est propriè spirituale, ac indissolubile conjugium, quod per consecrationem imprimentem Characterem Ordinis Episcopalis propriè contrahitur, & consummatur; ideóque Abbas unius monasterii rectè ad aliud ejusdem Ordinis eligi poterit, licentiam tamen transeundi petere debet,

Digitized by Google

bet, non quidem à S. Pontifice per viam dispensationis, sed ab immediato suo superiore, Episcopo scilicet, nisi exemptus sit, qui tamen hanc licentiam sine urgenti & gravi causa denegare non potest. *Gl. communiter recep. in c. si Abbatem. hoc tit. in 6.*

§. III.

De Ordine & Forma Electionis.

SUMMARIA.

31. *Electio non instituenda ante tertium depositionis diem & exequias defuncti Prælati, valet tamen instituta.*
32. *Quænam alia præmittenda ante actum electionis.*
33. Inspiratio vel quasi, *quomodo fiat.*
34. Scrutinii *forma.*
35. *Vota qualiter ab eligentibus exquirenda.*
36. *De publicatione electionis, & mutatione voti, & collatione votorum.*
37. *Pluralitas votorum debet esse absoluta, non respectiva.*
38. *Consuetudo qualiter probanda.*
39. *Electionis communis decretũ qualiter formandũ.*
40. *Vota debent esse majora & saniora copulativè, & ibi de pluralitate votorum in elect. Abbatissarum. Item de accessu post publicatum scrutinium.*
41. Compromissi *forma*; *& an valeat in electionibus Regularium.*
42. *Compromissarij possunt unum ex se ipsis eligere, & hic acceptando potest facere majora.*
43. *Compromissum quibus modis finiatur.*

POstquam vidimus de eligentibus, & eligendis, nunc ad ipsum electionis processum de- 31

veniendum est. Ante actualem igitur electionem quædam præmitti solent. I. Exequiæ defuncti Prælati. Neque enim ante tertium depositionis diem electio instituenda est. *c. nullus. 7. dist. 19. c. bonæ memoriæ. 36. V. electionem h. tit.* Communiter tamen DD. sentiunt, valere electionem etiam ante sepulturam defuncti Prælati institutam, præsertim justâ aliquâ culpâ accelerationis accedente, & quòd Pontifex *in d. c. 36.* pro causa irritatæ electionis adduxerit, præproperam electionem ante sepulturam institutam, non fuisse causam principalem, ut ex contextu liquet, sed fuisse contemptum alicujus, qui electioni interesse debuisset, nec tamen citatus fuit. *Gl. ibid. in V. tractatum. & Barb. n. 2.*

32 II. In ipso die electionis (qui ab Ordinario Superiore cum consensu Principis terræ assignari solet) celebratur Missa de Spiritu Sancto, sub qua omnes eligentes, etsi presbyteri sint, sacram Communionem accipiunt, eâque finitâ ad locum electionis hymnum de Sancto Spiritu clarâ voce recitant.

III. Qui præest electioni nomine totius Capituli protestatur nolle se quemquam ad electionem admittere, qui de Jure eligere non possit, an autem aliquando Capitulares possint absque Præside eligere vide Passerinum. *in Tract. de elect. cap. 11. n. 69.*

IV. Si Legatus Apostolicus, vel Ordinarius Episcopus interfit electioni, solet præmittere absolutionem Capitularium à censuris Ecclesiasticis,

Digitized by Google

sticis, quatenus illæ possent Canonicam electionem impedire.

V. Vel tunc, vel prius Capitulariter deliberatur, quam eligendi formam & modum eligentes observare velint. Forma autem electionis triplex traditur *in c. quia propter. 24. h. tit.* scil. *Inspiratio vel quasi, Scrutinium, & Compromissum.*

De Inspiratione; vel quasi sciendum est, quòd 33
electio aliquando fiat per *veram inspirationem*, aut veram revelationem Spiritûs Sancti, quâ certa persona à Deo electa designatur, ut fuit electio S. Matthiæ in Apostolatum, S. Nicolai in Episcopatum &c. & hæc legi humanæ non subjacet, nec confirmationem requirit. Alia est autem quæ dicitur *quasi inspiratio*; quando nimirum *nullo præcedente tractatu vel nominatione super speciali persona eligenda* omnes Capitulares nullo excepto in unum conclamant, & consentiunt, ob quam singularem concordiam talis quasi per inspirationem Sancti Spiritûs electus creditur, Requiritur tamen superioris cognitio, an sine fraude vel simonia & libere omnibus ac singulis consentientibus talis electio facta sit. Item & confirmatio requiritur, quia hæc forma non est simpliciter à Deo, sed *quasi*, id est, creditur & præsumitur esse à Deo. *Panorm. in d. c. quia propter. vers. nisi. n. 1. & seqq. Hostien. ibidem. n. 31.* ait quoque Prosper Fagn. *in eodem c. quia propter. n. 25.* in electionibus Regularium in quibus juxta constitutionem Trid. *sess. 25 de Regul. cap. 6.* electio debet fieri *per vota secreta* & eligentium nomina-

nomina nunquam publicari, non habere amplius locum hanc eligendi formam per quasi inspirationem, & consentit Barb. *in Collect ad d. cap. 6. Trid. n.* 15. *cum ibidem alijs cit.* ubi referunt ita à Cong. Cardinalium declaratum fuisse. dissentit tamen Layman. in *qq. Canon. de Prælat. Eccles. Dilingæ disp. q.* 230. cujus sententia (abstrahendo à declaratione Card.) facilè defendi posset, tum quòd abrogatio juris veteris non præsumatur, nisi quatenus exprimitur, & Concilium Trid. statuens vota secreta & omissionem publicatiõis explicari possit de forma scrutinii, tum quod in electione per quasi inspirationem videatur cessare ratio occultandorum votorũ, quia vix potest esse ansa inimicitiarum, quando omnes unanimi consensu in unum conclamârunt. Si verò dicta declaratio Card. in forma authentica appareat, eidem acquiescendum est.

DE SCRUTINIO.

34 AD electionem per scrutinium requiritur, ut *præsentibus omnibus, qui volunt, debent, & possunt interesse, eligantur tres de Capitulo fide digni qui secretò, sigillatim, ordinatè ac diligenter exquirant vota cunctorum, & in scriptis redacta mox publicent incommuni, nullo prorsùs appellationis obstaculo interjecto, ut is collatione habitâ eligatur, in quem major & sanior pars Capituli consenserit.* ita *d. c. quia propter h. tit.*

Dicitur I. *Præsentibus omnibus &c.* quia vel unus etiam non vocatus, qui de jure aut consuetudine vocari debuisset, potest agere de contemptu,

temptu, & irritare electionem, nisi malit pro bono pacis eam ratam habere. *c. bonæ memoriæ. 36. h. tit.* & dictum est superiùs in §. 1.

Dicitur 2. *eligantur tres de Capitulo*, invaluit tamen consuetudo, quòd vel ex communi consensu Capituli, vel ordinatione Superioris alii viri idonei, ut in electione Regularium alii Prælati, vel Consiliarii Episcopi scrutatores deputentur, quam consuetudinem etiam probat Panorm. *in d. c. quia propter. n. 13.* in quibusdam etiam locis & Ecclesiis usu receptum est, ut scrutatores ante omnia juramentum præstent, quòd fideliter agere & secretum ubi opus fuerit servare velint.

Dicitur 3. *Secretò esse exquirenda vota cunctorum*, ut quisque liberiùs dicat, quod in conscientia sentit. idque dupliciter fieri potest, vel ut eligens accedat & vivâ voce scrutatoribus eligendum nominet, vel ut nomen ejus in scheda descriptum offerat. 35

Additur *quoque ordinatè ac diligenter*; ita nimirum, ut scrutatores de Capitulo assumpti omnium primò à se invicem vota exquirant, & duo suscipiant votum tertii, ne si post omnium aliorum Capitularium excepta vota ipsi scrutatores sua addant, alicujus electionem pro arbitrio, per additionem aut denegationem votorum suorum confirmare, vel infirmare possint. *Diligenter* etiam exquirenda sunt vota, quia non sufficit purum nomen electi accipere, sed insuper rationem indagare necesse est, quare

eligens

eligens hunc potiùs quàm alium electum velit, ex quo deinde collatio *Zeli ad Zelum, meriti ad meritum* habeatur, & non tantùm *major*, ſed & *ſanior* pars appareat.

Attamen in electionibus Regularium, in quibus *ex d. cap. 6. Trid. ſeſſ. 25.* vota omnia ſecreta eſſe, & eligentium nomina nunquam publicari debent (quia hæc publicatio in Congregationibus propter neceſſitatem ſimul vivendi nonnunquam periculoſa foret) iſta forma non ita rigidè obſervatur, ſicut docet Fagn. *in eodem. c. quia propter. n. 22.* & Laym: *de Prælatis Eccleſiaſticis. q. 73.* ſed potiùs receptum eſt; ut electores ſinguli nomen eligendi in ſcheda ſcribant, eámque clauſam in urnam vel calicem conjiciant, ita quidem, ut nec ſcrutatoribus innoteſcat, cui ſingula ſua vota dederint. Collatio verò *Zeli ad Zelum* ſuppletur tum ex præſumptione, quòd Regulares propter incapacitatem proprietatis non facilè obnoxii ſimoniæ aliquem bono Zelo elegerint, tum ex prævia viſitatione monaſterii, vel inquiſitione ſuper perſona electi, ejúsque ſcientia & meritis poſtmodum inſtituenda.

36 Dicitur 4. *Vota ſingulorum in ſcripturam redigenda* (quod per ſcrutatores, aut Tabellionem faciendum eſt,) & ſic redacta mox *in communi publicanda eſſe*, hoc eſt, ut ſcrutatores palàm coram Capitulo electum, vel ſi plures fuerint electos, antequam ad alium actum procedant, nominent & pronuntient. Hujus publicationi

iſte

iſte eſt effectus primarius, quòd eligentes cenſeantur functi ſuo officio, & votum datum ampliùs mutare non poſſint, priùs verò antequam publicatio fiat, locus eſt pœnitentiæ & mutationi, *c. publicato. §8. h tit.* De *acceſſu* autem minoris partis ad majorem, vel æqualis ad alteram mox inferius *ſub n. 40. verſ. illud etiam.* dicetur. In poſtulatione verò etiam publicato ſcrutinio variare licet, uſque dum ſuperiori poſtulatio præſentetur, quia in poſtulatione nullum Jus acquiritur poſtulato, ſicut ex receptiori ſententia tradit Barb. *in Collect. ad d. c. publicato. n. 3.*

Dicitur 5. Ut *collatione habitâ is eligatur, in quem major & ſanior pars conſenſerit.* Igitur poſt publicationem, ſi plures electi ſint, & vota eligentium in plures diviſa, collatio eſt inſtituenda à ſcrutatoribus, & hæc eſt triplex, *numeri ad numerum,* 37 *Zeli ad Zelum, & meriti ad meritum.* Numeri ad numerum ut inde reſultet majoritas votorum, ubi de Jure non ſufficit habere majora vota comparatione partis minoris, & collectorum, ſed requiruntur majora vota reſpectu totius Capituli, ut ſi v. g. ſint 20. eligentes, electus debeat habere ad minùs 11. vota, aliàs non poteſt dici major pars Capituli, quia Capitulum ex ſuppoſito conſiſtit in 20. & ſi v. g. tres eſſent electi, & unus haberet 8. alius 7. alius 5. vota, nullius electio valeret. *c. Cumana c. Eccleſia. c. in Geneſi. h. tit. c. ſicut Eod. in 6.* aſſerit quidem Zypæus. *in Analitica jur. Pont. lib. 3. in tit. de his quæ fiunt à majori parte Capit.* quòd

passim in Ecclesiis seu Capitulis non servetur iste rigor Juris Canonici, sed sufficiat habere majora vota comparatione partium minorum; at consuetudo contra Jus, licet cæteris paribus
38 valere possit, non tamen ita facilè probatur, cùm *in facto* consistat, & secundùm veriorem sententiam per Doctorem etiam eximium de consuetudine attestantem non censetur satis probata consuetudo, quæ cùm sit facti, unàcum suis qualitatibus probanda est, an habuerit actuum frequentiam, an tempus legitimum, an causam rationabilem, an nunquàm per contrarios actus interrupta sit. Sicut docet Jason. *in L. de quibus. ff. de LL* & Minsi. *Cent. 6. observ. 66.* de quibus conditionibus superiùs in tit. *de consuetudine* dictum.

Istud etiam adnotandum est, quòd vota alternativa, v. g. *eligo Petrum vel Paulum mihi perinde est*: conditionata, *eligo Petrum, si illum Paulus, vel potior pars Capituli elegerit*: incerta, *illum eligo quem Paulus eligit*; pro non datis habeantur, & si post factam electionem instituatur collatio numeri ad numerum, talia vota non computentur. c. 2. h. tit. in 6.

Zeli ad Zelum collatio facienda, quòd *in d. c. quia propter & passim alibi* copulativè requiratur, ut *major & sanior pars*, consenserit, ut scilicet electus aliquis sit ab illis, qui sunt prudentiâ & pietate magis conspicui &c. *meriti ad meritum* collatio ipsos electos concernit, uter nimirùm majoribus meritis, scientiâ, aliisque virtutibus præ, oleat.

Col-

Collatione ita peractâ debet formari communis electio nomine totius Capituli, & per unum ex scrutatoribus, vel alium ad hoc deputatum pronunciari, qui solus pro electo exclusis aliis habendus sit. *c. sicut.* 21. *h. t. in 6.* formam hujus communis electionis brevem & usitatam ponit Laym. *de Prælat. Eccles. q.* 27. videlicet *Ego nomine meo, & eligentium, mihique consentientium invocatâ gratiâ Sancti Spiritus in Episcopum vel Abbatem hujus Ecclesiæ eligo & electum coram vobis pronuntio N. in nomine Patris, &c.* 39

Quòd si collatione habitâ vota reperiantur ita dispersa, ut nullus majora respectu totius Capituli habeat, aut duo sint in votis æquales decretum electionis, sive communis electio formari non potest, sed nova electio instituenda erit, quia prior in effectu non fuit electio Capituli, cùm nullus ex supposito à majore parte Capituli electus fuerit, quare quod *in c. publicato. h tit.* dicitur, post publicationem non licere vota mutare, intelligendum est, si ex priori scrutinio cum effectu secuta sit electio, nisi tamen jam trimestre elapsum esset, tunc enim devolutio ad superiorem fieret. Cautos ergò oportet esse Capitulares, ne electionem ad finem trimestris differant, ne fortassis ob emergentes electionis discordias tempus deficiat.

Demùm licet *in sæpe d. c. quia propter.* copulativè requiratur, ut aliquis electus sit à *majori* & *saniori* parte Capituli, ac si unus majora alter saniora habeat, neutrius electio valeat. *c. Ecclesia.* 40

57. *h. tit.* Si tamen majora in duplum superent, alia collatio Zeli ad Zelum non constituitur, sed hoc modo per majora electus simpliciter confirmatur: *c. si quando. h. tit. in 6.*

Specialis dubitatio est circa electionem Abbatissæ ex *c. indemnitatibus* 43. §. *sanè h. tit. in 6.* An ad ejus valorem præcisè requiratur, ut duæ partes Monialium consentiant vel sufficiat habere majora vota? sed si textus rectè expendatur, id solùm dicit, quòd electa à duabus partibus debeat statim confirmari nulla admissa contradictione ante confirmationem, ita tamen ut post confirmationem, & benedictionem adhuc salva maneat accusatio, & denunciatio, si qua sit, contra eandem; at verò si aliqua tantùm habuerit majora vota, & sint opponentes contra illam, debebunt audiri summariter sine strepitu judicii ante confirmationem. *Pasqual. ad Laur de Franch. p. 1. n. 685. Passerin. Tract. de elect. c. 40. n. 35.*

Illud etiam admodùm notabile est, quòd licet in electionibus virorum non haberet locum *accessus* post publicatum scrutinium, quia tunc vota mutare non licet, ut putat Passer. *d. c. 40. n. 38.* arg. *c. publicato. 58. h. tit.* locum tamen habere in electione Abbatissæ seu Monialium, & per eum constitui posse duas partes ad effectum de quo supra, statuitur *in d. c. indemnitatibus. §. sanè h. tit. in 6.* Imò Panorm. *in d. c. publicato. n. 7.* generaliter docet in electionibus post publicatum scrutinium posse fieri *accessum* à minori

parte

parte ad majorem, vel si vota sint æqualia, ab una ad alteram, ideóque tex. *in d. c. public.* 10 intelligi tantùm de variatione in præjudicium electi Jus ex datis votis habentis.

Quid autem speciale sit in electione S. Pontificis vide infra in tit. *De major, & obed.* §. 2.

DE COMPROMISSO.

ELectio per *compromissum* fit, quando Capitulares facultatem eligendi in unum v.g. Epi- 41
scopum, vel plures idoneos viros conferunt, nec interest, an compromissarii de Capitulo sint nec ne, *c. causam.* 8. *h. tit.* dummodò Clerici & Viri prudentes sint, qui possint utiliter Ecclesiæ prospicere, quòd si Capitulum in eligendis compromissariis difficulter conveniat, potest aliquos eligere, per quos ipsi compromissarii eligantur. *Passerin. Tract. de elect. cap.* 22. *n.* 3. In Laicos verò quibus negotium electionis tractare non convenit, haud rectè compromitteretur. *arg. c.* 2. *de judic.* Debet autem hæc potestas eligendi committi de unanimi totius Capituli consensu nemine prorsùs discrepante, unius enim contradictio potest impedire compromissum, cùm hìc de Jure singulorum agatur, ne quis invitus sua voce Capitulari in electione privetur. *Panorm. in c. scriptum.* 40. *n.* 3. *& in c. quia propter.* 42. §. *vel saltem n.* 2. *h. tit. Joan. Honor. h. tit. n.* 7. *Passerin. in Tract. de elect. cap* 22. *n.* 19. ubi tamen apud eum aliqui exceptionem statuunt in compromisso *limitato*, de quo mox, cum in isto non fiat singulis tantum præjudicium,

ideóque sufficiat in hoc compromissum à majori parte consentiri.

Compromissum duplex est, absolutum & limitatum: absolutum est, quando generaliter omnis eligendi potestas compromissariis conceditur, sive eligendus de gremio sit, sive non. Limitatum verò communiter DD. asserunt, si sub hac forma compromittatur, ut Compromissarius exquisitis secretò singulorum votis illum eligere debeat, quem invenerit à majore parte Capituli nominatum. *c. cùm dilectus. 23. x. h. tit. & c. cùm expediat. 29. Eod. in 6* non valeret autem compromissum istud, ut is eligeretur, quem pars major non respectu totius Capituli sed comparatione partium minorum nominâsset, *c. si cui. 23. h. tit in 6.* Unde hanc formam esse mixtam ex scrutinio & Compromisso, in eóque formam scrutinii à Compromissario observandam esse cum Gloss. *in d. c. cùm expediat* & aliis tradit Passer. *d. tract. de elect. c. 22. n. 6* ita ut parùm vel nihil à scrutinio differat. Sed Layman *in quæstionibus Canonic. de Pralat. Eccles. quæst. 58.* alias etiam conditiones in compromisso limitato admittit, v. g. ut unus ex Capitularibus eligatur, aut unus eligatur, qui non sit ex compromissariis.

Utrùm autem vigore Concilii Trid. *sess. 25. de Regul. c. 6.* in electionibus Regularium forma *compromissi* sublata sit, dubitatur? & pro affirmativa allegantur declarationes Cardinaliũ à Passer. *d. tract. cap. 1. n. 159.* quæ si appareant

in

in forma authentica cæteris paribus, utique iis parendum est juxta dicta in proœmio *n.* 15. aliàs verò negativa non improbabiliter teneri potest cum Miranda. *in Man. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 3. *concl.* 2. Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. p.* 1. *n.* 33. & pluribus aliis, quos etiam refert Passer. *d. c.* 1. *n.* 55. abrogatio enim Juris non censetur nisi expressa; & mens Concilii tantùm videtur fuisse, ut in casu quo Capitulares dant vota, illa nunquam publicentur propter occasionem inimicitiarum inter confratres, quæ occasio hoc ipso cessat per compromissum ab omnibus approbatum saltem in extraneos compromissarios factum.

Compromissarii, quibus simpliciter Jus eligendi concessum est, etiam *postulationem* facere possunt, si ita videatur Ecclesiæ expedire; cui enim datur Jus eligendi, eidem etiam Jus postulandi concessum intelligitur, *c. in causis.* 30. *ubi Gl. Innoc. h. t.*

Sed & juxta probabiliorem sententiam relatam à P. norm. *in c cùm in jure.* 37. *h. tit.* ex se, ipsis cpmpromissarii aliquem eligere possunt, ne eis officium suum damnosum sit.

Quòd si disparia fuerint vota compromissa- 42
riorum, potest nonnunquam accidere, ut ille ex compromissariis, in quem aliqua vota directa sunt, acceptando talem electionem hoc ipso majora efficiat. v. g. si tres sint compromissarii, unus nominet suum coelectorem, & alter extraneum, ille coelecto ab uno nominatus ac-

ceptando hanc nominationem in effectu censetur habere duo vota, & prævalebit extraneo unicum tantum votum habenti, *d. c. cùm in jure. h. tit.* Non obest, quòd eligentes se ipsos reputentur ambitiosi, & vel ideò ineligibiles. *c. in scripturis 8. q. 1.* R. enim quòd talis acceptatio non sit directa sui electio, sed consensus in electionem aliorum, jam priùs de se factam, qualem consensum etiam alii electi præstare possunt. Ante electionem autem aliorum nullus Compromissarius citra notam ambitionis seipsum nominare valet, aut si unus solus sit compromissarius sub quacunque forma, ut quemlibet idoneum eligere possit constitutus, sibi tamen votum directè non rectè attribuit, sicut nemo à se ipso oriri potest, & nemo sibi ipsi sumit honorem, nisi qui vocatur à DEO, sicut Aaron, teste Apostolo *ad Hebr.* In forma quoque *Scrutinij* hæc res locum habere vix potest, licet fortè unus ex coelectis medietatem votorum Capitularium pro se habeat, & unum tantùm deficiat ad majorem Capituli partem constituendam: neque enim propterea talis acceptando hanc electionem majora efficere potest, cùm ante publicationem Scrutinii incognitus sit numerus votorum, & electio de ipsius persona, post publicationem autem non admittatur sine novo Scrutinio votorum commutatio, ut supra dictum. Nisi forsan unus ex scrutatoribus fuisset coelectus, qui ante publicationem scire posset sui electionem,

& mu-

Digitized by Google

& mutando votum suum acceptaret, quem casum relinquo considerandum, quia non habeo in terminis alium ejus authorem, ducor tamen argumento à simili, quod docet Passerin. *d. tract. c. 22. n. 42.* posse dari casum etiam in *scrutinio*, si forma *d. c. quia propter.* non exactè observanda foret, & vota darentur vel publicè, vel etiam secretò, sed post publicationem liceret mutare votum per accessum, tunc enim electus à mediete posset mutando votum acceptare.

Expirat compromissum non tantùm per electionem factam, sed etiam alijs modis, ut 1. si tempus ad finiendam electionem à Capitulo Compromissarijs præfixum elapsum sit. *c. cùm in veteri. §. 1. h tit.* II. Possunt Capitulares mandatum eligendi compromissarijs datum re integrâ antequàm substantialia, scilicet tractatus & nominatio de aliqua persona eligenda, intervenerint, revocare, dummodò revocetur à majore parte Capituli. quia licet unus possit ab initio impedire compromissum, revocare tamen non potest, consensum enim semel præstitum, aliquis tam facilè mutare non potest in præjudicium majoris partis Capituli. *c. in causis. & ibi Gl. h. tit.* III. Expirat compromissum, si electio compromissariorum non habuerit effectum, ut si electus noluerit acceptare, vel mortuus sit, aut à Compromissarijs postulatio instituta, eáq; ante præsentationem superiori factam revocata. his enim casibus censentur Compromissarij functi suo officio, ut illud sine nova commissione saltem ta- 43

cita, quæ resultat ex tolerantia Capituli reassumere non possint. IV. Si tempus juris videlicet trimestre Compromissarij sine electione elabi permiserint, expirat compromissum, & jus eligendi ad superiorem devolvitur, quia sibi imputare debent Capitulares, quòd in negligentes compromiserint, aut citiùs mandatum non ursserint, aut revocaverint, *c. si Compromissarius. 37. h. tit. in 6* V. Si compromissarij elegerint indignum sive scienter sive ignoranter functi sunt suo officio, & finitur compromissum, sed jus eligendi redit ad Capitulum, nisi ipsum quoque electionem de indigno ratam habuerit, *d. c. si compromissarius.*

§. IV.

De Consensu, Confirmatione, & Consecratione Electi.

SUMMARIA.

44. *Electus debet electioni consentire intra mensem. & quid de Religioso electo ad aliud Monasterium.*
45. *Electus habens occultum impedimentum canonicum an possit consentire electioni.*
46. *Recusare electionem quilibet potest.*
47. *Electio digni præ digniore an valeat.*
48. *Electio renuntiante aut moriente vel electione ob occultum vitium irritata datur novum electionis tempus.*
49. *Confirmatio electionis quando, & qualiter petenda.*
50. *Confirmatio ad quem spectet. { administrare.*
51. *Ante confirmationem an & quando possit electus*
52. *Ante confirmationem quæ præmittenda.*

53. Si

Digitized by Google

53. *Si ſcrutatores aſſerant maiora vota prælecto, eligentes verò negent, quibus credendum.*
54. *Confirmatus indignum pœna, confirmatione autem irritata non ideo etiam irritatur electio.*
55. *Confirmatus ante conſecrationem non poteſtea quæ ſunt Ordinis, poteſt tamen delegare.*
56. *Conſecratio quando & à quo petenda, & qualiter peragenda.*
57. *Beneficia electi vel translati quando vacent, & quis conferat.*
58. *Benedictio Abbatum quid, & in quo conveniat & differat à conſecratione.*
59. *Benedictio Abbatum quo die fieri poſſit.*
60. *Abbates Benedictini qualiter Pontificalia exercere, ordinare, paramenta benedicere &c. poſſint, remiſſivè.*

POſt electionem factam incumbit eligentibus, ut quàm citius commodè poterunt electionem electo præſentent, & conſenſum ejus deſuper requirant, quem electus *intra menſem* præſtare tenetur, alias jure ex electione quæſito hoc ipſo privatus erit, niſi fortè ea ſit electi conditio, ut ſine ſuperioris licentia conſentire nequeat, quo caſu idem electus, ſeu eligentes loco ipſius conſentiendi licentiam ab ejus ſuperiore cum illa celeritate, quam ſuperioris præſentia vel abſentia permiſerit, impetrare debebunt. *c. quam ſit. 6. h. tit. in 6.* 44

Et quidē ſi Religioſus electioni in alio monaſterio de ſe factæ conſensū ante Abbatis ſui impetratā licentiā (quam Abbas etiā irrequiſito cōventu dare poteſt) præſtiterit, in pœnam electio

ctio eo ipso viribus evacuatur, *c. si Religiosus. 27. h. tit. n 5.* Licentiam quoque generalem à superiore concessam Religioso, ut electioni vel provisioni cuilibet de se faciendæ suum possit impendere assensum, cum ambitionis vitio viam paret, reprobat, & invalidam declarat Pontifex, *in Clem. ult. h. tit.*

Porrò quia *in d. c. 6. h. tit. in 6.* cuilibet electo mensis deliberatorius concessus est, quo citra ambitionis notam uti non possunt, quorum consensus à superioris licentia dependet, ideò istis prædictus mensis tunc primum currere incipit, quandò superioris licentiam impetrârunt, *Joan. Honor. h. tit. n. 15.*

45 Quid autem si electus occultum aliquod impedimentum habeat, v.g. irregularis, vel illegitimus sit, &c. potestne salvâ conscientiâ dignitatem oblatam accoptare, absque eo quòd tale impedimentum manifestet? Ratio dubitandi est, quòd regulariter nemo ad sui diffamationem & honoris in communi hominum æstimatione habiti jacturam faciendam obligetur, ut per Gl. *in c. 2. de confessis in 6.* Item quòd constitutio Ecclesiastica ad occulta non porrigatur, nec Ecclesia de occultis judicet. R. Ordinariè non posse acceptari dignitatem, antequam super occulto impedimento dispensatio impetrata sit, ut probatur *ex c. innotuit. 20. h. tit.* ubi ponitur casus de quodam occultè illegitimo electo, & dicit ibidem Pontifex, quòd sponte ac humiliter suum malucrit confiteri reatum, &

impe-

impetrare dispensationem, *quàm læsâ conscientiâ thronum conscendere pastoralem.* Canones enim constituentes impedimenta electionis justi sunt in foro externo, consequenter etiam in interno: & licet subindè pœnales sint, tamen pœna ipso Jure illata, quæ aliam exteriorem executionem non requirit, ut censura, inhabilitas, etiam in conscientia locum habet, ut superiùs in tit. *de constitutionibus.* explicavimus. Non obest allatæ dubitandi ratio, quia infamia evitari potest dignitatem recusando sine expressione occulti impedimenti. si tamen poneretur casus, in quo vel propter instantem metum vel propter publicam Ecclesiæ utilitatem non posset facilè recusari dignitas, excusaretur à culpa, qui dissimulato impedimento acceptaret dignitatẽ, & clam impetraret dispensationem, & reconvalidaret titulũ. *Innoc. in d. c. innotuit. n.* 1 Lex enim humana constituens impedimentum non obligat in casu tam extraordinario, & cum sui gravi detrimento. Ad alteram rationem dicitur, quòd Ecclesiastica constitutio non porrigatur ad occulta per se, quæ sunt merè interna in cogitatione persistentia, benè autem ad occulta per accidens ex defectu probationis, de quibus quidem Ecclesia non judicat in foro externo, quamdiu occulta sunt, valet tamen constitutio, aut pœna desuper lata, quatenus in actum externum prodierunt. quæ responsio declarati potest ex illis quæ in eodem tit. *de Constit.* de *materia legum*, diximus.

46. Cæ-

Cæterùm ſicut beneficium invito non datur,
46 & quilibet Juri ſuo renuntiare, ita quilibet electionem oblatam recuſare poteſt, adeò ut ne quidem Religioſus à Superiore ad ei aſſentiendum cogi valeat, cùm Jure ſuo, quod in Monaſterio per profeſſionem quæſitum habet, privari non debeat. niſi quòd ſubinde lex charitatis obliget ad acceptandam electionem, ſi ita exigat Eccleſiæ utilitas, & alius æquè idoneus non adſit, juxta illud Chriſti: *Petre ſi diligis me, paſce oves meas &c.* imò licet alius æquè idoneus adſit, rectè tamen faciet electus aſſentiendo, quòd præ altero vocationem divam habere cenſeatur.

47 Sed quid, ſi *dignus* electus ſit omiſſo *digniore*, valebitne, & acceptari poterit electio? Licet Sacri Canones deſierēt, ut digniſſimus eligatur, nō tamen irritant electionem de *digno* factam, ideóque & talis electio acceptari poterit. *arg. c. cum nobis. 19. verſ. illius. h. tit.* plerúmque tamen eligentes peccant, præſertim ſi odio aut favore perſonam dignioris prætereant. *dignitatem* autem non præcisè ex doctrina, nec probitate, ſed etiam ex prudentia & aptitudine ad regendū æſtimare debemus. videatur Zoëſ. *h. tit. n. 45. & ſeqq.* prolixè Paſſerinus. *in tract. de elect. cap. 30.* Tambur. *De Iure Abb. tom. 1. diſp. 5. q. 13.*

48 Demùm adnotandum, quòd ſi electus recuſet, vel poſt conſenſum præſtitum Juri ſuo renuntiet, aut moriatur, vel electio propter ejus occultum vitium irritetur, eligentes habeant à

diſ-

dissensu, renunciatione, morte, aut irritatione, tempus trimestre integrum ad aliam electionem faciendam. *c. si elect. h. tit. in 6.*

DE CONFIRMATIONE.

Post consensum electioni præstitum debet 49
electus confirmationem *intra tres Menses* à die consensus numerandos petere, quòd si justo impedimento cessante intra hoc tempus petere omiserit, tacitè renuntiasse censetur, & electio eo ipso viribus evacuatur, *c. quàm sit 6. in fin. & ibi Glos. h. tit.*

Speciale est circa electos in Cathedrali, vel Regulari Ecclesia, quorum confirmatio spectat ad Sedem Apostolicam, ut intra unum mensem à præstito consensu ad ipsam sedem (etiam cum vacat. *Clem. ne Rom. §. fin. h. tit.*) iter arripiant, & ad conficiendum tantum temporis sumant, quantum necesse erit pro locorum distantia, aut certè si ex justa causa personaliter compare nequeant, procuratorem de omnibus sufficienter instructum mittant. *c. cupientes 16. & c. ſ post-quam 33. h. tit. in 6.* usu receptum est, ut super electione facta conficiatur instrumentum publicum à Capitularibus, vel scrutatoribus subscriptum vel subsignatum, ex quo S. Pontifex de valore electionis informetur.

Debet autem confirmatio peti à superiore & 50
quidem de Jure communi gradatim per modum appellationis à proximo superiore, ut confirmatio Abbatis ab Episcopo, vel sede vacante à Capitulo,

pitulo, Episcipi ab Archiepiscopo. *c. non antiquis, dist. 65. c. scripsum. c. cum dilectus. h. tit. cum clim. 17. de major & obed. Barb. de offic. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 4. n. 5* hodie verò per Reg. 3. Cancell. & Concordata Germaniæ confirmatio Episcoporum, indistinctè S. Pontifici reservatur, utrũ autem per ista Concordata sublatam sit privilegium legatorum *de latere*, quòd habetur *in c. si Abbatem. 36. h. t. in 6.* ubi ijsdem conceditur omnium Episcoporum & exemptorum electiones confirmare, stylus & usus Curiæ Romanæ consulendus est.

51 Antequam confirmatio impetretur, electus se nullatenus immiscere debet administrationi, quod si fecerit, sub quocunque prætextu, etiam nomine œconomi, ipso Jure est privatus Jure ex electione quæsito, redditurque imposterum ineligibilis. *c. super eo, h. tit. c. avaritiæ, eodem in 6. Extravag. 1. h. tit. inter com.*

Dicitur autem electus se immiscere administrationi, recipiendo à Clericis & Laicis Juramenta, & homagia, census & debita, excommunicando, absolvendo, judicando &c. non autem si tantùm præparatoria fecit ad futuram administrationem, quia verba maximè legum pœnalium accipienda sunt cum effectu. *Gl. in d. c. avaritiæ. h. tit. in 6.* Aliquandò tamen licita est administratio ante confirmationem, ut I. Si fiat de licentia confirmatoris. *Glos. in d. c. avaritiæ.* II. Si ex privilegio vel consuetudine competat. III. Omnibus

nibus electis in concordia extra Italiam, quorum confirmatio ad Sedem Apostolicam spectat conceditur, interim administratio in spiritualibus & temporalibus, ita tamen ut nihil de rebus Ecclesiasticis alienent. *c. nihil. 44. & ibi Joan. And. b. t. Syl. v. confirmatio. n. 2. Joan. Hon. h. t. n. 19. Layman. in qq. Can. de Prælat. Eccles. q. 112.* quod tamen ad postulatos, quibus per postulationem ante superioris admissionem nullum jus acquiritur, non videtur extendendum. *Joan. And. & Panor in c. quanto de translatione Episcopi.* imò etiam circa electos an *d. c. 44.* adhuc in vigore sit, dubium mihi movet, quòd audierim Episcopos Germaniæ etiam in concordia electos ab administratione abstinuisse, antequàm cum *Placet* (ut vocant) licentiam administrandi Româ acceperint. Imò Passerinus *in Tract. de elect. cap. 33. n. 35.* docet, per Extrav. *injunctæ h. t. inter com.* hodie sublatum esse illud indultum *ex d. c. nihil.* ut electi sine licentia S. Pontificis, vel *absque litteris eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem* (si hæc ad Sedem Apost. pertineant) *ad Ecclesias* ad quas promoti sunt *accedere* vel *administrationem recipere* non possint. quam constitutionem ait Passer. *d. l.* etiam de remotissimis Prælatis intelligendam. quòd tamen ibidem non satis exprimi videtur, & aliàs de jure veteri non censetur plus correctum, quàm expressum. *l. præcipimus. in fine C. de appell.* neque illa *Extravag.* est valde nova constitutio, sed Bonifacii VIII. qui est Author Sexti Decret.

ideoque contrariis DD. non incognita. Defendit verò Passer. *d. L. n.* 36. valere consuetudinem administrandi ante confirmationem. vid. etiam Panorm. *in d. c. nihil. n.* 10 ubi defendit, valere posse consuetudinem, ut electio sine omni confirmatione plenum jus tribuat: sed loquitur de inferioribus dignitatibus & beneficiis. nam in majoribus Prælaturis, ubi majus est periculum, ne indignus, vel simoniacus cum damno & scandalo Ecclesiæ eligatur, non putarem talem consuetudinem fore rationabilem.

52 Confirmanti porrò incumbit, ut personam, qualitates, & mores electi, actúmque sive processum electionis diligenter exploret, quòd si electus coelectum, aut alium electionis suæ adversarium habeat, is ante confirmationem in specie citandus erit, aliàs generale & peremptorium edictum in Ecclesia, in qua electio celebrata est, proponendum, quo contradictores, siqui sint moneantur, & evocentur, cáque observatione omissâ, confirmatio irrita censeri debet. *c. ult. h. tit. in 6.*

53 Sed quid dicendum si major pars Capitularium contradicat, se in electum minimè consensisse, sed in alium sua vota direxisse, scrutatoribus contrarium affirmantibus, ánne Capitularibus, vel scrutatoribus magis credendum? R. Scrutatoribus, si duo saltem ex illis juratò deposuerint pro præsente electo, eo quod scrutatores sint contestes, Capitulares verò, à quibus vota secretò exquiruntur, & alter alterius votum ignorat,

rat, sint testes singulares, quorum etiam 100. regulariter non faciunt plenam probationem, nec admittuntur si ex adverso probatio magis juridica per contestes haberi possit. *c. cùm dilectus. 32. & ibi Glossa in v. Etsi tres. & in v. Probatio Et Panorm. v. 12. h. t. Innoc. ibidem, n. 7.* ubi notat, quod isti scrutatores, non sint testes in causa propria, sed in facto coram se acto in causa aliena, cui testi creditur. Censet tamen Panorm. *d. n. 12.* in rigore non esse omni exceptione majores, cùm ob contradictionem eligentium & suspicionem falsi agatur de honore & infamia scrutatorum, non autem sit testis idoneus, ad quem ex testimonio laus aut vituperium redundat, ideoque potissimum ob difficultatem probationum admitti. consentit quoque Glossa & Innoc. *d. l.*

Præterea confirmatio contradictore non apparente est voluntariæ jurisdictionis, & extra diœcesim quoque ac territorium confirmantis fieri potest. *arg. L. 2 ff. de offic. Proconſ. Joan. Honor. h. tit. n. 25.* tempus autem ad dandam confirmationem in jure determinatum non reperitur teste Panor. *in c. 3. h. tit. n. 8.* sed si nimis diu protrahatur, vel injustè denegetur, ad superiorem confirmantis appellatio dabitur.

Pæna Confirmantis indignum est, ut confir- 54
matione cassata ipso jure privatus sit potestate confirmandi proximum successorem, & à beneficio per sententiam suspendatur, pænâ graviori arbitrio superioris mulctandus, si non ex negligentia, sed malitia id fecerit. *d. c. nihil. 44.*

& ibi Glos. h. tit. quòd si contingat, confirmationem cassari ob non servatum juris ordinem, non propterea cassabitur electio, nisi & in hac, vel ob personam electi, vel processum electionis vitium appareat. *c. si confirmationem. h. tit. in 6.*

DE CONSECRATIONE ET BENEDICTIONE.

55 COnfirmatio quamvis tribuat jus in beneficio, ita ut confirmatus administrare, & ea quæ jurisdictionis sunt exercere valeat, quæ tamen ad potestatem Ordines spectant, exercere non potest, antequam Ordinem Episcopalem & consecrationem acceperit. *c. transmissum. 15. c. quod ficut. §. super eo. h. tit.* Interim ante consecrationem similia delegare, & alteri Episcopo licentiam dare in sua Ecclesia Pontificalia exercendi non prohibetur, quia delegare est actus jurisdictionis.

56 Electi igitur ad Cathedrales Ecclesias sive Episcopatus necesse habent suscipere consecrationem, & si *intra tres menses* non susceperint, tenentur ad restitutionem fructuum, & intra 6. (numerandos à die confirmationis) sunt ipso jure privati dignitate, nisi justo & rationabili impedimento excusentur, *Trid. sess. 23. de reform. cap. 2.*

Episcopus de Jure communi ab Archiepiscopo, vel cui Archiepiscopus commiserit, consecrandus est, Archiepiscopus verò ab omnibus suis Suffraganeis, *c. si Archiepiscopus. 6. & c. seq. de temp. Ordin.* hodie verò confirmatio & Consecratio

cratio Episcoporum S. Pontifici est reservata, quæ in partibus solet delegari. Ante consecrationem fit certa quædam inquisitio & examen super persona consecranda, & exiguntur ab eo articulatæ promissiones de bona administratione, & pastoralis officii executione, de quibus videri potest Barb. *de offic. & potest. Episc. p. 1. tit. cap. 5.*

Debet autem fieri consecratio de Jure in die Dominica, & quando cantatur Hora Tertia in choro. *c. ult. dist. 15. & c. 1. in princ. dist 75.* & à tribus saltem Episcopis. *c. porrò dist. 66. d. c. si Archiepiscopus*, adeò ut consecratio à minore numero Episcoporum facta invalida censeatur. *c. Archiepiscopus. dist. 66. Barb. d. l. sub n. 5.* apud quem tamen tradunt DD. quòd hic numerus Episcoporum non sit à Christo, sed ab Apostolis determinatus, ideóque ex causa dispensare possit S. Pontifex, ut consecratio vel ab uno Episcopo solo, vel cum assistentia Abbatum, aut aliorum in dignitate Ecclesiastica constitutorum peragatur. ordinariè quoque consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, in illa Ecclesia, ad quam aliquis promovetur, instituenda est, si commodè fieri possit, aut saltem in provincia. *Trid. sess. 23. cap. 2.* Cætera quæ ad ritum consecrationis pertinent, ex Pontificali Romano legi possunt.

Post consecrationem, vel tempus consecra- 57
tionis præfixum elapsum (quod etiam in translato jam consecrato procedit. *Barb. de offic. Episc.*

alleg. 57. *n.* 67.) beneficia priùs obtenta vacant ipso jure, ut collator ea liberè conferre possit. *c. cùm in cunctis* 7. §. *cùm verò. & ibi Glos. & DD. h. tit.* de stylo autem Curiæ ajunt beneficia statim vacare tempore promotionis seu translationis, si tamen Papa in promotione vel translatione Consistorialiter decernat beneficia statim tunc vacare, aliàs inhærendum Juri communi. vid. Garc. *de benefic. part.* 11. c. 6. *n.* 5. 7. & 14. Barb. *in Collect. ad. d.* §. *cùm verò. n.* 29. Paris. *de resign benef. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 76. sunt autem beneficia, quæ promoti per S. Pontificem ad Episcopatus tempore promotionis obtinent reservata in Extravag. *ad Regimen. de Præb.* innovata in Reg. Cancell. & Concord. ut in lib. 3. *De præbendis.* dicemus.

58 Ad similitudinem *consecrationis* instituta est *Benedictio* Abbatum, quæ etiam aliquando sed minùs propriè consecratio dicitur, ut *in c. alienationes.* 12. *q.* 2. hæc propterea Abbatibus impenditur, quod in honore proximè ad Episcopos accedant, & quædam etiam de Episcopalibus insignibus, & officiis participent.

Differt tamen *Benedictio* à *Consecratione*, quod *Benedictio* non imprimat characterem ordinis, sed sit tantùm deprecatoria manuum impositio, c. 1. *dist.* 69. *c. manus*, 1. *q.* 1. quare etiam Abbatissæ dari potest, *c. meminimus* 13. & *c. de accusat. clem. attendentes.* §. *statuimus. de statu Monach.* nec fiat Benedictio cum assistentia duorum Episcoporum, sed duorum Abbatum, nec ad executionem officii Abbatialis sit substantialis, sed tantùm

tùm accidentalis. unde si Episcopus tertiò cum humilitate rogatus benedictionem sine rationabili causa dare recuset, vel si absens & brevi tempore rediturus non sit, Abbas interim ritè electus & confirmatus omnia ad suum officium pertinentia exercere potest. *c. cùm contingat & ibi Glos. de ætat. & qualit. c. 1. de suppl. negl. Prælat.* Neq; omnes Abbates vel Abbatissæ benedicuntur, sed ubi moris est. colligitur *ex d. c. alienationes. & ex Clem. cit.* In eo tamen convenit Benedictio cum Consecratione, quod reiterari non debeat, si Abbas de uno Monasterio ad aliud eligatur ad instar benedictionum nuptialium, quæ non repetuntur in secundis nuptiis. *c. 1. & 2. de secund. nupt. Barb. de offic. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 51.*

An autem sicut Consecratio ita etiam Benedictio tantùm die Dominica facienda sit, non habetur ita in jure declaratum, ideò communius sentiunt DD. apud Barb. *d. l.* quòd etiam alio die festo rectè instituatur. & Glos. *in d. Clem. attendentes. in V. benedici.* asserit, illis quoque diebus fieri posse, in quibus Ordines conferuntur. & Benedictionem Abbatissæ, cùm nullam specialem potestatem tribuat, & ideò potiùs rationem simplicis benedictionis habeat, quolibet die rectè dari. *vid. Tambur. de jure Abb. 1. tom. disp. 11.* 59

Porrrò de exercitio Pontificialium, benedictionibus & consecrationibus paramentorum & vasorum ad Sacrificium Missę pertinentium, collatione item minorum Ordinum, an & quatenus Abbates presbyteri & benedicti facere possint 60

Quia *Electio* principaliter solet intendi & instituì à Capitulis, *Postulatio* verò tantùm per accidens & extra ordinariè, si dignior persona nullo defectu Canonico laborans non appareat, ideo præsens Titulus priori, ex quo etiã multa supponit, subiiciendus videbatur.

Est igitur postulatio alicujus personæ ad Prælaturam sive dignitatem erga superiorem destinata petitio, ut eam dispensativè admittere velit. per quæ ultima verba principalis differentia inter electionem & postulationem denotatur. nam electio est personæ habilis ad dignitatem: postulatio verò est personæ aliquo impedimento laborantis, & propterea dispensatione opus habentis. Ex quo mox altera differentia consequitur, quod electus electionem de cætero Canonicam simpliciter acceptare valeat, atque indè jus acquirat, ut ei confirmatio à superiore ex justitia debita sit, postulatus verò non nisi sub conditione dispensationis obtinendæ in postulationem consentire possit. *Passerin. Tract. de elect. cap. 24. q. 8. n. 13. & q. 14. n. 50.* & ipsam quoq; postulationem à superiore admitti, res gratiæ potius, quàm justitiæ sit, nec injuria fiat postulato, si etiam non vocatus reiiciatur, cùm denegare gratiam in potestate superioris sit. *c. 3. & c. penult. h. t.* unde & in terminis juris postulatio *admitti*, electio *confirmari* dicitur; quod enim *confirmatur*, jus aliquod præexistens supponit. habet tamen ea admissio vim electionis & confirmationis, *Passer. d. l. q. 3.*

1

2

3

Digitized by Google

Aliquando tamen ſicut ob juſtam & præſertim publicam cauſam diſpenſatio in votis, irregularitatibus & ſimilibus nonnunquam ex officio debita eſſe poteſt, ut in hoc Libro inferius in Tit. *ne ſede vacante.* dicemus, ita etiam admiſſio poſtulationis, ſi ea ſecundum formam juris concorditer facta ſit, vel neceſſitas & utilitas Eccleſiæ exigat. quamvis etiam hoc caſu poſtulantibus, vel poſtulato non tam propria actio contra denegantem admiſſionem, quàm imploratio officii apud ſuperiorem judicem competere videatur. *Panorm. in c. bonæ 3. hoc. t. n. 14. Laym. in qq. Can. de Præl. Eccleſ. Dil. diſp. q. 8. Gloſſa in d. l. bonæ. v gratia.*

4 Eſt & tertia differentia inter poſtulationem & electionē, quòd electio poſt publicatum ſcrutinium ab eligentibus revocari, vel mutari non poſſit. *c. publicato. 58. de elect.* & dictum in Tit. præced. poſtulatio autem utcunque fuerit publicata vel etiam ad ſuperiorem deſtinata, dummodo actualiter ſuperiori præſentata non ſit, revocari poſſit, quia, ut dictum per eam nullum jus acquiritur poſtulato, & gratiā petere nemo cogitur. ſi verò actu ſuperiori præſentata foret poſtulatio, non aliter quàm cum conſenſu ejus revocari poſſet. *Hoſt. h. t. n. 12. Joan. And. & Pan. in c. bonæ 4. h. t. Paſſerin. d. c. 24. q. 19.* ubi *n. 17.* quærit, an revocari poſſit, ſi poſtulatio ſaltem ipſi poſtulato præſentata, ab eoque conſenſus illi conditionatus deſuper præſtitus fuit? Ratio dubitandi eſt, quòd illa præſentatio, & conſen-

consensus videatur habere naturam pacti irrevocabilis. Sed quia DD. generaliter admittentes revocationem hanc exceptionem non statuunt, nullum se legisse testatur Passer. *d. l.* qui hoc dubium tractaret, ideò videntur hic affirmativam supponere. neque consensus postulati requiritur per modum pacti, sed tanquam conditio sine qua non potest postulatio superiori præsentari. planè idem sensisse Panorm. *in d. c. 4. h. t. n.* 11. satis colligitur, dum ibidem docet cùm Innoc, & aliis, quòd si postulatus feciſſet aliquas expensas intuitu postulationis, licet cum consensu & præscitu postulantium, non possit eas à postulantibus, vel Ecclesia propter revocationem & variationem postulationis repetere, tum quòd suum non Ecclesiæ negotium & quidem satis ambitiosum contendendo ad dignitatem sibi non debitam gesserit, tum quòd sibi imputare debeat expensas factas, cùm nullum jus ex postulatione se habere, ac postulantes variare posse sciverit aut scire debuerit. ergo supponit Panorm. quòd etiam post consensum postulati detur variatio, quis enim faciat expensas ad prosequendam postulationem, nisi prius imò hoc ipso facto in eam consenserit? quàmvis circa hoc punctum expensarum cum consensu postulantium factarum æquius censeat Passer. *d. q. 9. n. 20. cum Sylv. & alijs* earum refusionem Postulantib⁹ incumbere: tum quod earum causa fuerint, tum quod postulatus cum consensu postulantium faciens sumpt⁹ in prosecutione postulationis, ipsorum

rum quoque postulantium negotium gesserit, nec propterea de ambitione notandus sit. Quandonam autem universim prosequentes, vel impugnantes electionem aut postulationem valeant expensas repetere, videatur Gloss. fin. *in c. cupientes. 16. in V. judicabit. de elect. in 6.* Breviter dicendum, quòd illi tantùm ordinariè consequantur expensas qui obtinent contra electionem minùs Canonicam vel damnosam Ecclesiæ, quia isti censentur utile negotium Ecclesiæ gerere. Cæterùm verò qui succumbunt in impugnatione, vel electionem aut postulationē propriam prosequuntur, regulariter non repetunt, quia vel negotium Ecclesiæ non utiliter, vel suum tantùm negotium gessisse censentur, nisi Regularis sit, cui, cùm bona propria non habeat, ne jura sua aut Ecclesiæ pereant, ex bonis Ecclesiæ succurendum est, *arg. c. ex parte. de accusat.* item si electio & postulatio in concordia facta sit, possunt ipsi eligentes & postulantes sumptibus Ecclesiæ petere confirmationem electionis, & amissionem postulationis.

6 Quarta quoque differentia est circa numerum suffragiorum, etenim in electione semper sufficit, ut major pars Capitularium in electum consentiat. *c. quia propter. de elect.* postulatio verò si concurrat cùm electione, & aliqui ex Capitularibus postulent, aliqui eligant, hoc habet speciale, ut non sufficiat, quòd major pars postulaverit, sed requiritur, ut postulantium numerus sit duplo major, quàm eligentium, & ita duæ ter-

tiæ

tiæ Capitularium v. g. ex 30.20. ſtent pro poſtulato, aliàs rejecto poſtulato electio etiam à minori parte Capituli (dummodo illa ſuperet unã tertiam) confirmabitur, *c. ſcriptum. 40. & ibi Gl. & Panorm. de elect.* ſentiunt tamen DD. quòd *d. c. ſcriptum.* admittens electionem minoris partis, quandò pars major non eligit nec poſtulavit indignum, ſit quædam ſpecialis deciſio contra communes juris in materia electionis regulas, fundeturque potiſſimùm in conſenſu Capitularium, qui ſimul poſtulationem & electionem ſuperiori præſentârunt, atque eo ipſo conſentire cenſentur, ut vel poſtulatio ipſorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur. ut proinde in arbitrio Confirmatoris poſitum videatur, ut conſideratis circumſtantiis & qualitatib⁹ perſonarum vel poſtulationem admittat, vel electionem confirmet, vel utramque reiiciat, adeò ut ne electo quidem in caſu iſto jus aliquod ante acquiratur, quàm confirmationis aſſenſus acceſſerit. ita Laym. *in qq. Can. de præl. Eccleſ. Diſ. diſp. q. 7.* & notat Gloſ. *in d. c. ſcriptum. V. confirmes.* Paſſer. *d. c. 24. q. 15. n. 61. & ſeqq.* arg. tex. *in d. c. ſcriptum.* ibi *& ſi partes conſenſerint procedas hoc modo.* ſi verò poſtulatio cum electione non concurrat (quòd tunc evenire poteſt, ſi omnes Capitulares poſtulationẽ ſed circa diverſas perſonas inſtituant) prævalebit pars major Capituli, quamvis ex duabus tertiis non conſtet; quia regula eſt generalis, quòd major pars Capituli totum Capitulum repræſentet, à qua regula tantùm

cùm excipitur hic casus specialis, si postulatio cum electione coucurrat, proinde in aliis regula firma manet.

7 Potest hic adnotari, quòd *in c. 1. h. t. in 6.* reprobentur tales eligendi aut postulandi formæ, & actus indè secuti annullentur, *eligo postulando, & postulo eligendo*: aut *eligo postulandum, sive postulo eligendum*; eò quòd contineant verborum contrarietatem. sicut & aliàs si postulandus eligatur, electio Canonica non est, utpote facta de persona ob defectum Canonicum indigna. *c. cùm Vintoniensis. c. congregato de elect.* Item *in eodem c. 1.* etiam hæc forma reiicitur, *eligo & postulo, prout de jure melius fieri potest*: nisi quando probabiliter dubitaretur, utrum quis sit eligendus, vel postulandus, cùm forsan de defectu ejus aliquæ conjecturæ, sed non veritas habetur. quo casu sic postulatus vel electus antequã consensum suum præstet, alterutram viam postulationis vel electionis amplecti debet, neque unâ viâ electâ ad aliam redeundi potestatem habet. Utrum autem ècontra quando certò eligibilis postulatur, actus sit nullus, non secùs ac si postulandus eligatur? pro utraque sententia allegat Passer. *d. c. 24. q. 12. n. 24.* & ipse arbitrio confirmatoris remittit. posset addi ratio differentiæ, quòd si postulandus eligatur, injuria fiat Ecclesiæ. dum eligentes volunt inhabili jus ad Prælaturam tribuere: in altero autem casu injuria, siqua est, potius personam postulati, quàm Ecclesiam respiciat.

Postu-

Digitized by Google

Postulatio solet à DD. dividi in *solennem* & *non solennem*, solennis est, quæ dirigitur ad eum, qui potest in impedimento postulati dispensare hinc est, quod licet Confirmatio electionis de Jure ad proximum superiorem pertineat (nisi quod hodiè in Concordatis Germaniæ confirmationes Episcoporum sint S. Pontifici reservatæ) admissio tamen postulationis etiam ipso Jure plerumque ad S. Pontificem spectet, cùm ipsi regulariter soli (nisi inferior speciali privilegio vel consuetudine munitus sit) dispensandi potestas competat. 8

Et huic *solenni* postulationi propriè conveniunt ea, quæ hactenus dicta sunt. cumque ejus admissio pendeat merè ex gratia superioris, ut sæpius repetitum, ideò neque formam cap. *quia propter. de elect.* accuratè per omnia observare esse de necessitate, quamvis tutius fateatur, docet Passer. *d. c.* 24. *q.* 5. nisi ut in postulationibus Regularium vota secreta dentur : quia Concilium Trid. *sess.* 25. *de Reg. c.* 6 ex identitate rationis etiam de postulatione S. Congregatio interpretata est. 9

Postulatio *non solennis* est, in qua non petitur dispensatio contra jus, & relaxatio legis, sed licentia solùm & consensus superioris, veluti si Abbas vel præpositus aut privatus Religiosus in Episcopum, vel in alterius quàm sui proprii monasterii Prælatum assumatur cum licentia illius superioris, cui immediatè subest, & propterea talis postulatio non est tam postulatio quàm electio,

cùm excipitur hic casus specialis, si postulatio cum electione coucurrat, proinde in aliis regula firma manet.

7 Potest hic adnotari, quòd *in c. 1. h. t. in* 6. reprobentur tales eligendi aut postulandi formæ, & actus indè secuti annullentur, *eligo postulando, & postulo eligendo*: aut *eligo postulandum, sive postulo eligendum*; eò quòd contineant verborum contrarietatem. sicut & aliàs si postulandus eligatur, electio Canonica non est, utpote facta de persona ob defectum Canonicum indigna. *c. cùm Vintonienſis. c. congregato de elect.* Item *in eodem c. 1.* etiam hæc forma reiicitur, *eligo & postulo, prout de jure melius fieri potest*: nisi quando probabiliter dubitaretur, utrum quis sit eligendus, vel postulandus, cùm forsan de defectu ejus aliquæ conjecturæ, sed non veritas habetur. quo casu sic postulatus vel electus antequã consensum suum præstet, alterutram viam postulationis vel electionis amplecti debet, neque unâ viâ electâ ad aliam redeundi potestatem habet. Utrum autem ècontra quando certò eligibilis postulatur, actus sit nullus, non secùs ac si postulandus eligatur? pro utraque sententia allegat Passer. *d. c.* 24. *q.* 12. *n.* 24. & ipse arbitrio confirmatoris remittit. posset addi ratio differentiæ, quòd si postulandus eligatur, injuria fiat Ecclesiæ. dum eligentes volunt inhabili jus ad Prælaturam tribuere: in altero autem casu injuria, siqua est, potius personam postulati, quàm Ecclesiam respiciat.

Postu-

Postulatio solet à DD. dividi in *solennem* & *non solennem*, solennis est, quæ dirigitur ad eum, qui potest in impedimento postulati dispensare hinc est, quod licet Confirmatio electionis de Jure ad proximum superiorem pertineat (nisi quod hodiè in Concordatis Germaniæ confirmationes Episcoporum sint S. Pontifici reservatæ) admissio tamen postulationis etiam ipso Jure plerumque ad S. Pontificem spectet, cùm ipsi regulariter soli (nisi inferior speciali privilegio vel consuetudine munitus sit) dispensandi potestas competat. 8

Et huic *solenni* postulationi propriè conveniunt ea, quæ hactenus dicta sunt. cumque ejus admissio pendeat merè ex gratia superioris, ut sæpius repetitum, ideò neque formam cap. *quia propter. de elect.* accuratè per omnia observare esse de necessitate, quamvis tutius fateatur, docet Passer. *d. c.* 24. *q.* 5. nisi ut in postulationibus Regularium vota secreta dentur : quia Concilium Trid. *sess.* 25. *de Reg. c.* 6 ex identitate rationis etiam de postulatione S. Congregatio interpretata est. 9

Postulatio *non solennis* est, in qua non petitur dispensatio contra jus, & relaxatio legis, sed licentia solùm & consensus superioris, veluti si Abbas vel præpositus aut privatus Religiosus in Episcopum, vel in alterius quàm sui proprii monasterii Prælatum assumatur cum licentia illius superioris, cui immediatè subest, & propterea talis postulatio non est tam postulatio quàm electio,

ctio, & nihil interest an Capitulares electionis vel postulationis vocabulo utantur, nã sacri Canones omnib⁹ Regularib⁹ concedunt, ut non tantùm ad alia monasteria quám propria, sed etiam ad Episcopatus Ecclesiarũ Cathedralium, quamvis sæcularium, eligi vel assumi liberè & licitè possint, dummodò ex post facto consensus superioris accedat. & quidem si privatus Religiosus sit, qui eligitur, consensus sui Abbatis (sine quo Religioso consentiente irritatur electio, non tamen requiritur consensus Capituli) si Abbas, consensus Episcopi, vel si exemptus fuerit, consensus S. Pontificis, vel Legati ejus de latere requiritur, *c. Religiosus. 27. c. si Abbatem 36. de elect. in 6. Clem. 1. eodem tit.* aliud est, si Episcopus unius diœcesis eligatur in alteri⁹ diœcesis Episcopum, vel Archiepiscopum, talis enim à vinculo spiritualis conjugii, quo adstrictus est suæ Ecclesiæ Cathedrali (quod vinculum non est propriè inter Abbatẽ & monasterium) tantùm à S. Pontifice absolvi, & proindè solenniter postulari debet. *c. ult. h.t.c. inter corporalia vers. sicut autem. de translatione Episc.*

10 Demum quia postulantes indignum privantur pro ea vice potestate postulandi & eligendi, ut cum Innoc. *in c. 1.* & Pan. *in c. ult. h. t.* notant communiter DD. omnis autem postulatus defectu Canonico laborans videatur indignus, ideò hae in re tres regulæ traduntur: Prima est, quod si postulatus sit indignus indignitate indispensabili, ut quia Criminosus, impœnitens, hæreticus,

gitized by Google

cus, infamis omnino illiteratus, &c. tunc privatio electionis & postulationis pro ea vice ipso Jure inducatur. Secunda est, si indignitas sit quidem dispensabilis, attamen non soleat dispensari, (quòd ex stylo Curiæ desumendum est) tunc postulatio non ipso Jure nulla, sed per sententiam annullanda, neque pœna privationis ipso Jure incurritur, nisi quòd in Extrav. *ad Regimen. de præb. inter com.* & Concord. Germ. §. 2: dignitates illæ, in quibus postulationes, vel electiones factæ tanquam minus Canonicæ authoritate Papæ, ad quem spectat earum admissio vel confirmatio, reiiciuntur, Sedi Apost. reserventur. Tertia denique regula ex præcedentibus infertur, quòd illi proinde postulabiles censeantur, qui tali defectu Canonico laborant, in quo possit & soleat dispensari. uti est vinculum alterius Ecclesiæ, Ordinum vel ætatis defectus, &c. *Panorm. in d. c. fin. n.* 8. *Barb. Jur. Eccles. univ. cap.* 19. *n.* 6. *Laym. d. L. q.* 2. *Passer. d. c.* 24. *q.* 12. *n.* 28. *& seqq.*

Titulus XXVI.

Est 7. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Translatione Episcopi.

Summaria.

1. *Translatio quid, & quis possit transferre.*
2. *Indulta transeundi ad alium Episcopatum, vel etiam retinendi priorem simul cum altero quid operentur.*

3. *Transferri an possit invitus.*
4. *Translationis causæ.*
5. *Translati prior Ecclesia, & alia beneficia à quo tempore vacare incipiant.*

1 TRanslatio hoc loco est, *de sede in sedem Authoritate superioris facta commutatio ex causa justa & legitima*, si nimirum Episcopus de uno Episcopatu ad alium postuletur, & transeundi licentiam obtineat. Dico 1. ad hanc translationem requiri *Superioris Authoritatem*, quòd ita accipiendum est, ut in Episcopis transferendis ipsius Papæ consensus requiratur, qui eos à vinculo spiritualis matrimonii, quo priori Ecclesiæ adstricti erant, absolvat. Imo etsi aliquo casu confirmatio Episcopi ad Archiepiscopum pertineat, tamen is à vinculo absolvere talem Episcopum non valeret. *c. 1. hoc tit.* sicut nec Legatus *de latere*, quamvis aliàs in multis Sedis Apostolicæ potestate utatur, quia hoc specialiter summo Pontifici reservatum est. *c. 3. & 4. de officio Legati.*

Et hoc non tantùm procedit, si Episcopus in priori Ecclesia consecratus sit, sed etiam si electus tantùm, & confirmatus. *c. inter corporalia hoc tit.* quòd si quis propria authoritate ad aliam Ecclesiam transierit, utrâque privandus erit. *c. quando 2. hoc tit.*

2 Sed quid operatur Indultum, quod aliqui Episcopi, quia in aliis Ecclesiis simul sunt Canonici, impetrant à summo Pontifice, ut si ad alium vocentur Episcopatum, aut dignitatem, eandem

Digitized by Google

dem valeant assumere, vel ad illam transire, vel cum priori retinere ? R. plerosque Doctores cùm Innoc. *in c. ult. hoc. tit. per textum. ibidem*, velle, quòd talis nihilominus saltem pro tutiori *Postulandus, & non eligendus* sit ; tum quod post tale indultum adhuc remaneat Episcopus indigens absolutione à vinculo Ecclesiæ, tum quòd examinatio postulationis ejusmodi ad Sedem Apostolicam pertineat, *Joann. Honorius hoc tit. n.* 5. In eo tamen melioris conditionis est, qui simile indultum habet quàm alii postulati, quòd postulationem de se factam simpliciter acceptare possit, atque inde ei jus ad confirmationem quæratur, cùm tamen alii postulati ante superioris dispensationem nullum jus habeant, & sine injuria reiici possint, imò prius simpliciter in postulationem consentientes hoc ipso tanquam ambitiosos in Curia repelli, cum Hostien. & Joan. Andrea attestatur Fagnanus in *c. ult. de postulatione Prælatorum*, imò si indultum ipsum utatur verbo *electionis*, ut nimirum Episcopus liberè possit *eligi* ad aliam Ecclesiam, non sunt reprehendendi Capitulares si in scrutinio etiam verbum electionis assumant.

Est autem tale Indultum utpote contra jus strictæ interpretationis, ideóque dispensatus ut possit transire ad majorem dignitatem, non potest transire ad parem, quia ad parem, sive æqualem dignitatem transitus non ita facilè conceditur. *d. c. ult. & ibi Gloss h. t.*

Invitus autem Episcopus regulariter transferri

ferri non debet, nisi id exigeret ingens Ecclesiæ utilitas, vel necessitas, cùm jus suum nemini sine culpa, aut causa publica auferendum sit. privatos tamen Clericos, qui tantam cum suis præbendis conjunctionē non habent, nec inter eos aliquod spirituale matrimonium contrahitur, ex faciliori causa possunt per Episcopum etiam inviti de uno loco in alium transferri, ut qui uni loco minus sunt utiles alibi se valeant utilius exercere. *c. quæsitum & ibi Panorm de retum permut* Abbates quoque & inferiores Prælati si de una dignitate ad aliam eligantur cum consensu solius Episcopi vel immediati sui superioris transire possunt, ut in præcedente tit. dictum.

4 Dico Secundò, translationem debere fieri *ex justa causa*. sicut enim matrimonium carnale absque causa dissolvi nequit, ita neque inter Episcopum, & Ecclesiam. *c sicut vir. 7. quæst. 1 d. c. inter corporalia. hoc tit.* Referuntur autem justæ causæ ad duo capita, scilicet *utilitatis*, si ex translatione vel universali vel particulari Ecclesiæ major fructus eveniat. Et *necessitatis*, si v. g. ex persecutione hostili vel alia simili causa aliquis in propria Ecclesia commorari tutò non possit. Quando autem vacet prior Episcopatus à quo quis transfertur videatur Barb. *in Collect. ad c. 1. h. t. n. 5.* ubi dicit, quòd licet olim dubia fuerit quæstio, hodie tamen extet declaratio Card. quod vacet ab eo tempore, quo Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apost.

Digitized by Google

Apost. vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ: & posteaquam hujus absolutionis notitiam Episcopus habuerit etiam ex testimonio seu documento Secretarii Collegii Cardinalium, illico teneri eum abstinere ab exercitio Ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum tanquam sede vacante, &c. nisi forsan S. Pontifex aliter disposuerit. De aliis beneficiis translati quando vacent, dictum est superius in tit. *De elect. n. 57.*

Titulus XXVII.

Est 8. in Lib. 1. Decretal.

De Authoritate & Usu Pallij.

Summaria.

1. *Pallium quid.*
2. *Cur dicatur de Corpore D. Petri.*
3. *Quibus competat.* 4. *Quid denotet.*
5. *Archiepiscopus quæ possit vel non sine pallio.*
6. *Pallio quando uti liceat.*
7. *Pallii usus ubi concedatur.*
8. *An etiam in loco exempto.*
9. *Archiepiscopus & Episcopus qualiter possint Pontificalia exercere in Loco exempto, & quid, si exempti resistant.*
10. *Pallium cohæret personæ, & loco.*

PAllium est *singulare ornamentum desumptum ex Corpore Divi Petri, & à summo Pontifice Archiepiscopis datum, designans plenitudinem pastoralis, & Archiepiscopalis officii, quo Archiepiscopus certis solum diebus, & intra Ecclesiam suam uti potest.* Dici- 1

2 Dicitur primò, pallium esse *de Corpore Divi Petri, c. significasti. 4. de elect.* vel quòd consecratum deferatur ad altare Divi Petri in memoriam Corporis ejus, & inde tradatur Archiepiscopis, aut procuratoribus eorum, ut existimat Gloss. & Barb. *in d. c. significasti.* vel quòd indicet veluti partem Ecclesiasticæ potestatis, quæ de Corpore divi Petri, hoc est, de universali regimine Ecclesiæ Archiepiscopis conceditur, sicut putat Hostiensis *in c. ad honorem. h. t. n. 3.*

3 Dicitur 2. *Pallium dari Archiepiscopis:* & inprimis quidem summo Pontifici competit, quia ipse Archiepiscopus Romanus, id est, Princeps & Episcopus Episcoporum omnium habetur; deinde Patriarchis & Archiepiscopis inferioribus, aliquando etiam ex speciali gratia & Privilegio quibusdam Episcopis datur.

Hæc porrò concessio Pallii impediri non potest per criminis aut defectus objectionem, nisi obiiciens intra bimestre tempus probationes paratas exhibeat. *Extravag. un. h. t. inter com.*

4 Dicitur 3. per Pallium *plenitudinem pastoralis* (qua de causa ex *ovium lana* conficitur) & *Archiepiscopalis officij designari*, etenim electus ad Archiepiscopatum tametsi confirmatus vel consecratus sit, Archiepiscopum tamen se nominare non potest ante acceptum Pallium, nec ea quæ Archiepiscopalis officii sunt exercere. *c. 3. hoc tit.* licet verò per consecrationem acceperit potestatem & Characterem Ordinis Episcopalis, nihilominus hanc Ordinis potestatem, quæ in-

te-

ter Missarum solennia, vel in Pontificialibus ornamentis peragitur, ut conficere chrisma, consecrare Ecclesias, ordinare Clericos, ante acceptum Pallium exercere non debet, cum id non tantùm simplex Episcopus facere videatur. *c. quòd sicut. 28. vers. praterea. de Electione.* Actus verò jurisdictionis, ut audire causas, delegare, censurare, &c. exceptis illis, qui Archiepiscopo sunt proprii, ut visitare Provinciam, vel Concilium provinciale congregare, post obtentam confirmationem facere non prohibetur. Extra provinciam quoque suam, ab alieno Episcopo invitatus ibidem actus Ordinis exercere potest, quia cum extra provinciam Pallio uti nequeat, ut mox dicemus censebitur tales actus facere, ut quilibet alius simplex Episcopus. Ea etiam quæ sine missa, & in Stola tantùm ab Episcopis fieri solent, ut sacra vasa, aut paramenta, vel cæmiteria benedicere, Baptizatos confirmare, &c, ante acceptum Pallium exerceri posse, præsertim consuetudine accedente putat Hostiensis. *hoc loco. sub n.* 1. & quòd generaliter Archiepiscopus actus Ordinis, quos ante acceptum *pallium* ipse facere nequit, alteri Episcopo delegare & committere valeat, cum delegatio sit actus jurisdictionis, non Ordinis, satis colligitur ex *c. suffraganeis.* 11. *De electione.* 5

Dicitur 4. usum *Pallii* tantùm *certis diebus licitum esse.* quamvis enim solus Papa inter missarum solennia semper, & ubique utatur *Pallio*, cùm 6

ipse solus vocatus sit in plenitudinem pastoralis officii respectu universalis Ecclesiæ, inferiores autem Episcopi, qui in *partem tantùm sollicitudinis* respectu particularium Ecclesiarum vocati sunt, statutis solùm diebus juxta tenorem privilegiorum suorum, & consuetudinis locorum in festis principalioribus Ecclesiæ universalis, vel suæ particularis, quæ in Calendario Ecclesiastico specialiter annotari solent, item & in Anniversario Consecrationis suæ, ac in Ordinationibus Clericorum, Consecrationibus Ecclesiarum *Pallio* utuntur, *c.* 4. *& ult. cum Gloss. ibi. hoc. t.*

7 Dicitur 5. gestationem *Pallij* tantùm *intra Ecclesiam suam* Archiepiscopo permissam esse, nomine autem Ecclesiæ tota ipsius proviucia intelligitur. *c.* 1. *hoc tu.* Privilegio tamen Apostolico etiam acquiri potest jus extra provinciam *Pallio* utendi, dummodo licentia Episcopi, cujus est diœcesis aliena in ordine ad pontificialia exercenda, & consensus Archiepiscopi, cujus est Provincia in Ordine ad usum *Pallij* accedat. Consuetudo verò utendi *Pallio* extra Provinciam invalida & corruptela declaratur, *in c. extuarum* 5. *h. t.* nisi forte justo titulo, aut famâ saltem privilegii adjuvetur.

8 An autem si Archiepiscopus in loco exempto suæ Provinciæ divina officia in pontificalib⁹ celebret, sicut ei permittitur *in Clem.* 2. *de privilegijs* licitè utatur Pallio quæri posset. R. cum Gloss. ibidem affirmativè, tum quòd in dicta *Clem.* generaliter concedatur celebratio in Pontificalibus

ficalibus sine exceptiooe *Pallij*, tum quòd locus exemptus (qui speciale Territorium non habet, & *nullius diœcesis* non est) reputetur *in diœcesi, & Provincia*, quamvis non *de diœcesi & Provincia*, ut in Prolegom. in Tit. de Privilegiis §. ult. explicatum.

Hoc loco obiter adnotandum est, quòd Archiepiscopus vel Episcopus possit quidem propriâ authoritate in loco exempto Missam solenniter celebrare, vel coram se ab alio, sine Pontificalibus tamen, facere celebrari, qui actus honoris censetur, non tamen possit sine licentia exemptorum ea quæ sunt officii, & jurisdictionis, ut ordinare, judicare &c. Item si exempti indebitè resistant Episcopo volenti celebrare in eorum Ecclesiis, non poterunt propterea ab eodem Episcopo puniri, sed à legitimo suo superiore, *Fagnan in c. 1 h.t n.* 18. & 19. ubi in fine dicit, sic omnes DD. tenere. 9

Cæterùm pallium ita cohæret personæ, ut alteri cedi vel commodari nequeat, sed cum eo quisque sepeliendus sit, *c. 2. h. tit.* Quòd si contingat, aliquem de uno Archiepiscopatu ad alium transferri, novum pallium impetrare debet retento etiam veteri, quo quidem amplius non utitur, cùm sit specialiter pro priori tantùm Ecclesia datum, in sepultura tamen ipsi adjungitur. *c. bonæ. 4. in fin. & ibi Gl. in v Pallium. De postulat. Prælat. Innoc. & Panorm. in d. c. 2. h. t.* 10 1

TITULUS XXVIII.

Est 30. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Majoritate & Obedientia.

§. I.

SUMMARIA.

1. *In Ecclesia triumphante & militante est certa Hyerarchia.*
2. *Papatum esse de jure Divino institutum probatur.*
3. *Papa quis & quantus.*
4. *Papa quatenus major Imperatore.*
5. *Papa an in temporalibus habeat jurisdictionem super omnes Mundi Principes.*
6. *Papa à nemine judicatur.* (*solutus.*
7. *Papa tanquam summus Princeps est jure positivo*
8. *Papa an dispenset in jure Divino.*
9. *Papæ potestas alia ordinaria, alia absoluta seu plenitudo potestatis.*
10. *Papa etiam in arduis non adstringitur consensu vel consilio Cardinalium.*
11. *De Constantini donatione facta Sylvestro.*
12. *Probatur donasse.* 13. *Potuisse donare.*
14. *Recte donasse.*

Alia Summaria post §. 2.

1 MAjoritas hoc loco dicitur prærogativa, qua præstat major minori, ex qua etiam nascitur *obedientia*, quæ majoribus debetur. Etenim sicut in illa felici Ecclesia cœlesti *triumphante* est certa Angelorum Hyerarchia. Principes, Potestates &c. Ita isthæc *militans* tan-

tanquam *acies ordinata* ſuam habet Prælatorum Hyerarchiam, ſive ſubordinationem, ut juxta dictum Apoſtoli *ad Rom.* 13. *omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit; & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Poſtquam igitur de Prælatorum electione & creatione egimus, nunc de eorum in Eccleſia Maioritate officio & jurisdictione dicemus.

Licet verò huc ſpectent omnes Tituli ſequentes hujus libri, quia tamen ſpeciales Rubricas habent, ut illæ Studioſis Canonum magis innoteſcant, placuit ſeparatim ſubjungere, & in præſenti de illis præipuè Prælatis tractare de quibus alii ſpeciales Tituli & Rubricæ non extant. Incipiamus ergò à Capite.

§. I.

DE SUMMO PONTIFICE.

DE fide Catholica credimus, Papatum Jure divino in D. Petrum & ſucceſſores ejus à Chriſto fuiſſe inſtitutum, quàmvis enim quoad ordinariam baptizandi, prædicandi, ſolvendi, ligandique poteſtatem Epiſcopi, & Sacerdotes in Apoſtolorum locum ſucceſſerint. *c. in novo. diſt.* 21. *c. quorum vices. diſt.* 68. & omnium Apoſtolorum quo ad hoc par fuerit poteſtas, quo ad poteſtatem tamen extraordinariam, & majoritatem, ac primatum Petrus cæteris Apoſtolis fuit ſemper prælatus ſecundùm aperiſſimos Evangelii textus *Joan.* 21. ubi ter geminata vice curam ſuarum ovium ſpecialiter Petro Chriſtus commendavit, & *Matth.* 16. *ſuper hanc* 1.1

petram

petram ædificavit Ecclesiam suam. Enimverò caput visibile in Ecclesia esse debere constanter hactenus obtinuit, ita enim fuit in Synagoga Judaica (quæ erat Figura Ecclesiæ) summus Sacerdos, ita ante ascensionem Christi ipse Christus, postea Petrus & successores ejus, ut quidquid in contrarium pugnârint hæretici, tamen revera *nec portæ inferi* juxta Christi promissionem *d c. 16 Matth. potuerint prævalere.* Quis namque doceat oves errantes, quis interpretetur genuinum Scripturæ sensum ab hæreticis toties disceptum, & perversè expositum, quis reparet lapsos, si Pastor visibilis non est, hinc fit quòd hæretici potestati Ecclesiæ, & Dei ordinationi resistentes in infinitas sectas, & errores abeant, & quisque sibi fingat fidem, & doctrinam secundùm pessimam proprii cordis concupiscentiam, sed hæc ad controversias fidei remittimus.

3 Ad nostrum propositum nullum est dubium, quin Papa (sic dictus à græca voce, *papos*, id est: *pater patrum. Gloss. in proœmio Clem. v. Papa*) tanquam caput omnes dignitates & Ordines Hierarchiæ Ecclesiasticæ præcedat, unde & Ordinarius Ordinariorum dicitur, ac cum quolibet Ordinario aut Prælato inferiori concurrentem jurisdictionem habet, ita ut quilibet omisso suo Ordinario possit immediatè Romæ apud summum Pontificem agere, *c. cuncta per mundum. c. per principalem. 9. quæst. 3. Gonzalez. ad Regulam. 8. Cancellariæ in proœmio. §. 1. n. 8.*

Sed

Digitized by Google

Sed hic ingens disputatio inter politicos & 4
Ecclesiasticos movetur, numquid Papa etiam major sit Imperatore tam dignitate, quàm jurisdictione? Si de sola præeminentia dignitatis loquamur, satis declaratum est, *in c duo sunt. dist. 96. & in c. solitæ. h. tit.* dignitatem pontificiam præstare Imperatoriæ sicut Solem Lunæ. *Nosse debueras*, rescripsit Innocentius III. Imperatori Constantinopolitano *in d. c. solita. quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum sed alterum majus, ad firmamentum igitur cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificialis Authoritas, & Regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus major est, quæ verò carnalibus minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Et quid mirum si in Christianitate caput & Christum repræsentans ejus Vicarius in majore præ reliquis omnibus dignitate censeatur.

Verùm nodus est intricatior, utrùm majori- 5
tas Pontificis eo usque protendatur, ut ipsius jurisdictioni Imperator non tantùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus subjectus sit? Tres sunt in hac materia diversæ Doctorum opiniones: *Prima* est absolutè negantium, & fundatur *in c. susc ipitis. c. quoniam. dist.* 10. *c. cùm ad verum. dist.* 96. *c. convenire.* 23. *q.* 8. in quibus locis videtur Imperatori propria, & Papæ non subjecta

Digitized by Google

cta potestas assignari, ita in *d. c. cùm ad verum.* ait Nicolaus: *cùm ad verum Christum ventum est, nec Imperatores jura Pontificis arripuisse, nec Pontifices jura Imperatorum usurpasse*, quamvis prius Romani Imperatores, & Imperatores & Pontifices maximos sese intitularent.

Altera sententia affirmat, Papam habere etiam temporalem, & laicam superioritatem in toto mundo majorem quàm habeat Imperator, & etiam in ipsum Imperatorem saltem *habitu*, quamvis *actu* non semper exerceat, pro qua opinione allegant *Clem. unam Sanctam h. tit.* ubi dicitur, *omnem humanam creaturam summo Pontifici subesse, & Petro utrumque gladium spirituale & temporalem concessum, & oportere gladium sub gladio esse, & temporalem authoritatem spirituali subjici potestati.* Atque hinc factum ajunt, quòd authoritate Papæ Imperium à Græcis ad Germanos in personam Caroli magni circa annum salutis 776. translatum sit secundùm textum & Gloss. *in c. venerabilem. 34. de Electione.* Item hinc fieri, quòd Papa Imperatorem electum confirmet, confirmatum coronet, & coronatum rursus ex justa causa deponat, sicut *in c. ad Apostolicæ. de sententia & re judicata, in 6.* habetur sententia, quâ Innocentius III. Fridericum II. Imperatorem deposuit. Pluribus argumentis hanc sententiam propugnat Azorius. *Institut. Moral. parte. 2. lib. 10. cap. 6.*

Tertia sententia utramque præcedentem nonnihil conciliat, ex qua conceditur summo Pontifici

Digitized by Google

tifici gladius & jurisdictio etiam *temporalis* ſuper omnes mundi Principes, non tamen abſolutè, ſed in ſuffragium ſolummodò *ſpiritualis*, quatenus ſcilicet ea jurisdictio eſt neceſſaria, vel ſaltem utilis ad rectam Eccleſiæ & animarum gubernationem. Proinde quia plurimum Eccleſiæ intereſt habere bonos Imperatores, non tyrannos, non hæreticos, non aliis flagitiis immerſos, ne ad exemplum Regis totus orbis corrumpatur, ideò ajunt, rectè convenit, Papam habere poteſtatem approbandi Imperatorem, confirmandi, imò & ex juſtâ cauſa deponendi. Cæterùm autem ſi prædictus finis de Eccleſiaſtica indemnitate ſervanda non ſubſit, Papam nec poſſe, nec velle Jura Imperatoria extra ſuum Romanenſe Territorium ſibi arrogare, (niſi fortè tantùm caſualiter, quando aliquis Princeps abſolutus ſe ipſius jurisdictioni ſe ultrò ſubiicere vellet) colligitur *ex c. per venerabilem. Qui filij ſint legitimi. ex c. Novit de Iudicijs.* & notanter *ex c. ſi duobus. 7. de appell.* in quo dicitur appellationem de rigore Juris non valere, quæ à Judice ſæculari ad Papam interponitur, cùm tamen valere deberet, ſi Papa etiam abſolutam laicalem ſuperioritatem obtineret. Videatur latè Martinus Navar. *in Relectione. d. c. Novit, in tertio notabili.* Martha *de jurisdict. parte* 1. *c.* 16. & Covar. *in Relectione. c. peccatum. de Reg. juris. in* 6 *parte.* 2. §. 9. *n.* 7. humilius agnoſco judicium meum, quàm ut ſummorum principum pote-

poteſtati limites ponere auſim, ſufficiat proinde ad præſens inſtitutum meis Studioſis aliorum DD. opiniones & ſententias prælegiſſe.

6 Præterea ſummus Pontifex à nemine judicatur, ſed tota ipſius cauſa Dei judicio reſervatur. Unde in Judiciis, nec ut ſuſpectus recuſari, nec ab eo appellari poteſt, quia Papa Vicarius Chriſti in terris idem cum Chriſto in terris tribunal habere creditur, ideóque ab eo ad Chriſtum appellari non poteſt, ſicut nec à Vicario Epiſcopi ad Epiſcopum. *c ſi Papa. diſt.* 40. *c. aliorum* 9. *quæſt.* 3. *Barboſa Juris Eccleſ lib* 1. *c.* 2. *n.* 86. & 92. Item à ſententia Papæ ad Concilium generale appellantes incidunt in *Bullam cœnæ*. & excommunicationem ibidem Papæ reſervatam incurrunt, eſt enim authoritas ſummi Pontificis ſupra Concilium, & in omnibus Conciliis excepta intelligitur. *c ſignificavit.* 4. *de elect.* opponitur autem hoc loco textus in *c. nos ſi incompetenter.* 2. *quæſt* 7. ubi Leo Papa in querelis contra ſe propoſitis ſubjecit ſe judicio Imperatoris Ludovici, & Legatorum ejus, ſed reſpondendum eſt, quód illa ſubjectio non fuerit ex neceſſitate Juris, ſed virtute humilitatis, nec tam Imperatori fuerit data jurisdictio in Pontificem, quàm potiùs Pontifex ad tollendum ſcandalum diffamationis ſuam coram eo innocentiam demonſtrare voluerit, ut propterea ille terminus *judicium in d. c.* poſitus, non ſit accipiendus de propriè dicto.

7 Eſt quoque ſummus Pontifex in ſtatu Eccleſiaſti-

ſiaſtico ſummus Princeps, & Jure poſitivo ſolutus. *Leg. Princeps. ff. de Legibus.* ita ut vi *coactivâ* non teneatur, cùm nullum habeat ſuperiorem humanum Legislatorem, cui obedientiam debeat, & cum quo non eâdem vel majori poteſtate fungatur. *c. innotuit.* 20. *de electione.* quamvis interim quo ad vim *directivam* & ſecundùm dictamen naturalis rationis, ut *quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem utatur*, etiam ſummus Pontifex legibus poſitivis morem gerere debeat, quatenus cauſa legis in ipſo eſt ? hinc ſummus Pontifex poteſt in omnibus canonibus Juris poſitivi diſpenſare, licet illi canones à Concilio generali conditi eſſent, quia eſt ſupra Concilium. *d. c. 4. & c. innotuit, De electione. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. c. ult.*

8 Quid autem dicendum de *Jure divino* anne etiam in iſto diſpenſare poteſt Pontifex ? diſtinguendum inprimis inter Jus divinum abſolutè, & de ſe omnes obligans, & inter Jus divinum, quod obligat tantùm ex præſuppoſita voluntate humana ut in voto, & juramento. quando igitur Papa in voto aut juramento diſpenſat non eſt propriè diſpenſatio in Jure divino, ſed tantùm relaxatio ipſius voti & juramenti, quo ſublato hoc ipſo ceſſat obligatio Juris divini ; Jus enim divinum in hoc caſu tam diu obligat voventem, quam diu votum durat, ceſſante ergo vel ſublato voto ceſſat etiam Juris divini obligatio. quod autem ſummus Pontifex ex rationabili cauſa poſſit votum tollere, non eſt aliquid exorbitans,

aut insolitum, quia etiam sine authoritate Pontificis aliis pluribus casibus voti obligatio cessare potest, puta si votum uxoris, filiifamilias, aut Religiosi, à marito patre vel Abbate irritetur, aut si materia voti ex postfacto deficiat, majus bonum impediat &c. Verùm circa Jus divinum absolutè, & per se omnes obligans, diversæ sunt Doctorum opiniones. nam aliqui quos refert, & sequitur Sanchez, *de Matrim. lib. 8. disput. 6. n 5.* affirmant, posse summum Pontificem Jus divinum non tantùm declarare, sed etiam ex gravi causa in eo dispensare; quam dispensandi potestatem ex commissione Dei eidem datam existimant, quemadmodum, inquiunt, recta Ecclesiæ gubernatio petit, ut Prælatis inferioribus commissa sit facultas verè ac propriè dispensandi in legibus Pontificiis in casu aliquo particulari, quando necessitas occurrit, nec potest commodè adiri S. Pontifex, ita eadem recta gubernatio desiderat, commissum esse Pontifici, ut in lege aliqua divina verè dispensare possit ob necessitatem occurentem, idque eo magis, quod in priori casu possit adiri Papa quàmvis non ita commodè, at in posteriori non possit adiri Deus pro dispensatione.

Alii econtra communiùs docent, summum Pontificem in Jure divino proprie dispensare non posse, nam dispensatio cùm sit actus jurisdictionis, requirit, ut dispensans sit superior lege, in qua dispensat. *clem. ne Romani. in prin. de electione.* Papa autem non est supra legem divinam.

Item

Item ille tantùm poteſt tollere legem, qui tulit, ſed Papa legem divinam non tulit, ergo &c. videatur Barboſa Juris Eccleſ. *lib.* 1. *c.* 2. *n.* 120. ſi Sanchez, & ejus aſſeclæ admittant, ſicut admittere debent, eſſe quædam præcepta Juris divini ita univerſaliter & rigorosè obligantia, ut nulla poſſit dari ſufficiens cauſa quæ tollat turpitudinem orientem ex transgreſſione illorum præceptorum, cujusmodi præceptum eſt, *honorare parentes* &c. in aliis autem præceptis divinis non niſi diſpenſationem ex gravi cauſa concedant, ſanè mihi videtur hæc quæſtio ut plurimum eſſe de nomine, ſufficit, ſi Pontifex me poſſit eximere ob juſtam cauſam ab obligatione legis divinæ (v. g. à reſidentia in beneficio curato, quæ in Trid. *ſeſſ.* 28. *c.* 1. dicitur Jure divino præcepta) ſive deinde per iſtam exemptionem dicatur diſpenſaſſe, ſive declaraſſe, Jus divinum in tali circumſtantia locum non habere. & ideò ne etiam poteſtatem ſummi Pontificis in tam accuratam quæſtionem vocem, cuilibet liberum relinquo, quid hac in parte ſentire velit, ſi cui verò placuerit ulterius diſputare contra Sanchez, legat Barb. *d. c.* ubi fundamento adverſariorum reſpondet, quod propterea in Jure poſitivo aliquando liceat inferiori diſpenſare in Lege ſuperioris, quia Legislator humanus non poteſt omnes caſus prævidere. *Leg.* 10. *cum ſeqq. ff. de Legibus.* quod de Deo non videtur congruè dici poſſe, tanquam de [illegible]imo rerum omnium proviſore, & præ[illegible]e-

aut insolitum, quia etiam sine authoritate Pontificis aliis pluribus casibus voti obligatio cessare potest, puta si votum uxoris, filiifamilias, aut Religiosi, à marito patre vel Abbate irritetur, aut si materia voti ex postfacto deficiat, majus bonum impediat &c. Verùm circa Jus divinum absolutè, & per se omnes obligans, diversæ sunt Doctorum opiniones. nam aliqui quos refert, & sequitur Sanchez, *de Matrim. lib. 8. disput. 6. n 5.* affirmant, posse summum Pontificem Jus divinum non tantùm declarare, sed etiam ex gravi causa in eo dispensare; quam dispensandi potestatem ex commissione Dei eidem datam existimant, quemadmodum, inquiunt, recta Ecclesiæ gubernatio petit, ut Prælatis inferioribus commissa sit facultas verè ac propriè dispensandi in legibus Pontificiis in casu aliquo particulari, quando necessitas occurrit, nec potest commodè adiri S. Pontifex, ita eadem recta gubernatio desiderat, commissum esse Pontifici, ut in lege aliqua divina verè dispensare possit ob necessitatem occurentem, idque eo magis, quod in priori casu possit adiri Papa quàmvis non ita commodè, at in posteriori non possit adiri Deus pro dispensatione.

Alii econtra communiùs docent, summum Pontificem in Jure divino proprie dispensare non posse, nam dispensatio cùm sit actus jurisdictionis, requirit, ut dispensans sit superior lege, in qua dispensat. *clem. ne Romani. in prin. de electione.* Papa autem non est supra legem divinam.

Item

Item ille tantùm poteſt tollere legem, qui tulit, ſed Papa legem divinam non tulit, ergo &c. videatur Barboſa Juris Eccleſ. *lib.* 1. *c.* 2. *n.* 120. ſi Sanchez, & ejus aſſeclæ admittant, ſicut admittere debent, eſſe quædam præcepta Juris divini ita univerſaliter & rigorosè obligantia, ut nulla poſſit dari ſufficiens cauſa quæ tollat turpitudinem orientem ex transgreſſione illorum præceptorum, cujusmodi præceptum eſt, *honorare parentes* &c. in aliis autem præceptis divinis nonniſi diſpenſationem ex gravi cauſa concedant, ſanè mihi videtur hæc quæſtio ut plurimum eſſe de nomine, ſufficit, ſi Pontifex me poſſit eximere ob juſtam cauſam ab obligatione legis divinæ (v. g. à reſidentia in beneficio curato, quæ in Trid. *ſeſſ.* 28. *c.* 1. dicitur Jure divino præcepta) ſive deinde per iſtam exemptionem dicatur diſpenſaſſe, ſive declaraſſe, Jus divinum in tali circumſtantia locum non habere. & ideò ne etiam poteſtatem ſummi Pontificis in tam accuratam quæſtionem vocem, cuilibet liberum relinquo, quid hac in parte ſentire velit. ſi cui verò placuerit ulterius diſputare contra Sanchez, legat Barb. *d. c.* ubi fundamento adverſariorum reſpondet, quod propterea in Jure poſitivo aliquando liceat inferiori diſpenſare in Lege ſuperioris, quia Legislator humanus non poteſt omnes caſus prævidere. *Leg.* 10. *cum ſeqq. ff. de Legibus.* quod de Deo non videtur congruè dici poſſe, tanquam de [redacted]mo rerum omnium proviſore, & præ[redacted]

zed by Google

9 Cæterum potestas summi Pontificis communiter distinguitur in *ordinariam* & *absolutam*. *Ordinaria* dicitur, quando Papa juxta vim *directivam* incedens statutis canonicis morem gerit, & vel secundum ea disponit, vel contra ea quidem, sed non nisi ex urgente causa dispensat. *Absoluta* verò potestas, quæ & alio nomine *plenitudo potestatis* appellatur, est, quando Papa juxta summam authoritatem, quam supra canones habet contra eos pro suo arbitrio disponit, aut dispensat. Porrò si summus Pontifex absoluta potestate utatur, & nulla prorsus subsit justa ratio. valet quidem actus ita factus, quia Papa absolutè supra canones est, sed tamen ita indifferenter uti plenitudine potestatis non licet, imò non desunt qui ipsum tali casu peccati mortalis reum arguunt, quamvis alii benignius sentiant, & secluso scandalo, ac gravi alterius damno tantùm venialiter peccare judicent. *Laym. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 13.* Illa præterea dicitur *plenitudo potestatis* & clausula, ex *plenitudine potestatis* uti solet summus Pontifex, quando ex justa causa dispensat, sed in casibus extraordinariis, in quibus aliàs non solet facile dispensatio concedi, ut in secundo gradu consanguinitatis, ad plures Cathedrales Ecclesias &c. Ulterius licet Papa so-
10 leat ardua expedire cum consilio Cardinalium, in alienatione bonorum adhibere subscriptionem, & consensum eorum, tamen absolutè non obl[illegible]ò nec consuetudine introduci pos-
se[illegible] solus nequeat ardua facere, te-

nent

nent Allegati apud Tuſcum *littera S. Concluſ. 5. n. 12.* non enim eſſet rationabile, ut Papa ſubjaceret inferiori, & hoc ipſo ſubjectus legi foret quo ad vim *coactivam* quia ſub pæna nullitatis cogeretur adhibere ſolemnitates &c.

Pro coronide hujus §. breviter aliquid dicendum de illa quæſtione, quam quidam Doctores præſertim hæretici movent Romano Pontifici, utrum donatio Territorii Romani Sylveſtro Papæ à Conſtantino Imperatore facta, ut refertur *in c. Conſtantinus. 13. diſt 96.* ſit vera, & valida? Ratio negantium eſt, quòd cùm Hiſtorici qui res geſtas Conſtantini Imp. accuratè ſcripſerunt, hujus donationis minimè faciant mentionem, ſed potius, quòd idem Imperator teſtamento facto hanc partem Italiæ, quam Pontifices poſſident, inter filios diſtribuerit, ideò dictum *cap. 13* præſertim cum ſit [illegible] & incerti authoris de falſitate ſuſpectum videatur. deinde non potuiſſe, exiſtimant, Conſtantinum Imperatorem tantam Imperii partem abalienare. addunt Hæretici Chriſtum non elegiſſe ſibi Vicarium potentem Dominum, ſed Piſcatorem pauperem, &c. 11

Verùm hæc tanti non ſunt, ut valeant Jus Romani Pontificis evertere; tria ergò probabimus contra Adverſarios. I. Quod *Imperator Conſtantinus territorium Romanum donaverit Papæ.* II. Quòd *potuerit donare*; & III. Quòd *rectè donaverit.*

Quod attinet ad primum punctum probatur hæc donatio non tantùm ex *d. c. 13.* Gratiani, ſed etiam ex Decreto Conſtantini, quòd integrè 12

traditur primo Conciliorum Tomo ab Ivone Carnotensi *lib. 4 tit. de dignitate Romanæ Ecclesiæ*; ab Isydoro *in Tractatu de Synodo, tit. de Nicæna synodo*. Castald. *in Tract. de imperio, quæst.* 51. ubi testatur, quòd hoc Decretum græcè & latinè fuerit repertum in Bibliotheca Constantinopolitana, Platina, & Vaticana Romana, & plures alii ex antiquis scriptoribus hujus decreti testes sunt apud Covar. Variar. Resol. *lib. 4. c. 16. sub. n. 8.* & Barb. in Collect. *ad dict. capit. 13. n. 5* & qualiter Carolus Magnus aliique ejus successores hanc donationem expressè & solenniter confirmârint, habetur *in Clem. 1. circa fin. de jurejur.* & *in c. Ego Ludovicus, 30. dist. 63.* videant Acatholici Chronico hoc nostro sæculo à Joanne Lud. Gottfrid. cum figuris Mathæi Merian. Francofurti Germanico idiomate à suismet fautoribus editum, ubi in secunda parte Monarchiæ Romanæ inter gesta Pipini & Caroli Magni disertè refertur, qualiter iidem Principes S. Pontificem defenderint, & ditiones ac territoria Romanæ Ecclesiæ à Longobardis violenter occupata militari manu recuperârint, ac eidem Ecclesiæ restituerint. quare præfata testimonia de donatione Constantini etiam confirmat antiquissima & inconcussa Romanorum Pontificum possessio; quod autem pro possessore sit Juris præsumptio, rem quam possidet, esse ipsius usque dum adversarius contrarium ostendat, notorii Juris est, & possessio relevat ab onere probandi, transfertq; in Adversarium. Imo tot sæculorum possessio non

non tantùm *præsumptionem*, sed plenissimam *præscriptionem* & securitatem meritò operata fuisset, non obstat, quod Historici dicti non meminerint hujus donationis, (quod fortassis exinde provenit, quòd hæc donatio longius in effectum deducta non fuerit, neque commodè deduci potuerit ob potentia adhuc gentilium, & hæreticorum, Gothorum item & Barbarorum in Italia grassationem) eam etiam non negant, & ex sola omissione non infertur, quòd facta non fuerit. Licèt verò aliqua conjectura ex hac omissione oriatur, testimonium tamen tot aliorum Scriptorum accedente tanti temporis possessione, istam conjecturam prorsus enervat, prout alias præsumptiones præsumptionibus eliduntur. *Leg. Divus. ff. de in integrum restit.* & in antiquis ob difficultatem probandi etiam imperfectas probationes admitti sæpius alibi traditum est. De testamento Constantini æquè non constat authenticè, imo potius & magis specificè de donatione, cujus verba formalia apud Authores habentur. posito etiam quod tale testamentum factum esset, adhuc incertum fuisset an per id Imperator donationem semel legitimè factam revocare potuisset.

Alterum membrum, quod Imperator *potuerit* 13
donare territorium Romanum Pontifici exinde probatur, quòd Imperium Orientale fuerit vera Monarchia ubi populus omnem suam potestatem in principem transtulit. *Leg.* 1. *ff. de Constitutionibus Principum.* & Imperator fuerit supremus

Digitized by Google

terrarum ſui imperii Dominus, adeóque potuerit etiam de re ſua pro arbitrio diſponere: prout adverſarii concedere debent, qui teſtamentum Conſtantini aſſerunt, & propugnant. neque tunc fuerunt tales Imperii Principes, quorum conſilio & conſenſui Imperator fuiſſet alligatus, ſed tantum adminiſtratores, & Præſides Provinciarum. Imò ut nihil deeſſe videretur, Conſtantinus hanc donationem fecit cum omnibus Satrapis, & univerſo Senatu, Optimatibuſque ſuis, & cuncto populo Romano, qui omnes eam donationem utilem judicârunt, ſicut *in d. c. 13.* ubi verba Conſtantini referuntur, expreſsè habetur. Deinde hodierni Imperatores Germani non tantùm hactenus, ſaltem plerique, de hac donatione conqueſti non ſunt, ſed inſuper eandem verbis & factis abundè confirmârunt, ut etiam ſuperius allegatum, utique conſiderantes, quòd & ipſi imperium ſuum Occidentale mediante Pontifice Romano acceperint, juxta textum & Interpretes in *c. venerabilem. de electione.* & ſicut ipſi potuerunt Epiſcopis, & Archiepiſcopis territoria donare, aut ſaltem in feudum concedere, ita etiam Conſtantinus Papæ. Præterea per donationem Eccleſiæ factam non eſt conſiderandum imperii temporalis præjudicium, ſed potius utilitas, cùm quæ Eccleſiæ donantur Deo donari cenſentur, ex quo gratia major ad reportandos triumphos de devictis hoſtibus Imperatori accreſcit, videatur textus elegans *in d. c. Conſtantinus.*

Quòd

Quòd autem III. Imperator *rectè donarit* Sylvestro Papæ territorium Romanum, monstratur 14
tum ex hac laudabili in Deum pietate, juxta illud 1. *Paralipom. c. ult. Tua sunt omnia Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* tum quia id factũ est pro exaltatione Ecclesiæ Catholicæ, munitione cõtra hæreticorũ invalescentiã, & libertate in consulendo ac prospiciendo cõmunibus Ecclesiæ necessitatibus remoto sæcularis potestatis metu & impedimento melius tuenda. *c. fundamenta. 17. de elect. in 6.* tum denique quod ita merebatur ingens beneficium Constantino Imperatori à Sylvestro Papa in curanda ejus lepra, conversione ad fidem Catholicam, & sacro Baptismo præstitũ, de quo videatur Cov. *d. loco.*

Nihil verò movere debet inane hæreticorum argumentum, quòd Petrus fuerit pauper piscator &c. quia id Christus fecit, ut ostenderet suam divinam virtutem non inniti humanæ sapientiæ, juxta illud Psalm. *ex ore infantium perfecisti laudem tuam* & illud Pauli. 1. *ad Corinth. 1. stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes*, postea verò ex hoc ipso enituit divina virtus quod Ecclesia tam tenuibus initiis cœpta, tanta & tam crebra tyrannide impugnata, in tantum excreverit, ut quasi medullam humanæ potestatis scil. Romanum Imperium possideret, etiam *portis inferi non prævalentibus*, & verè impletum sit illud Isaiæ c. 61. *Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicatur vobis, fortitudinem gentium comedetis* (fuit autem omnibus historicis testi-

bus Urbs Romana verè *fortitudo gentium*) & *in gloria earum superbietis*; quod ultimum verbum, non de *superbia* peccaminosa, sed exaltatione glorioſa intelligendum. prolixius de hac quæſtione & materia etiam videri poterit Martha *de Iurisd. p.* 1. *cap.* 30. & *seq.* de poteſtate autem S. Pontificis congregandi Concilium Generale & authoritate ejus vid. infer. *in* §. 4. *n.* 43.

§. II.

De Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ.

SUMMARIA.

15. *Cardinales unde dicti, & quando inceperint.*
16. *Cardinales creat ſolus Papa, aliquando tamen ad nominationem Regum, ex omni Natione.*
17. *Cardinales cur utantur colore rubro.*
18. *Cardinales præcedunt omnes alias dignitates Eccleſiaſticas.*
19. *Cardinalium poteſtas enumeratur.*
20. *Cardinales ſoli hodie eligunt Papam. & ibi reſeruntur* c. Hadrianus. diſt. 63.
21. *Papalis Electionis ſpecialia.*

Alia Summaria poſt. §. 4.

15 CArdinales dicti ſunt, quaſi Romanæ Eccleſiæ, in quibus volvatur & regatur, *Cardines*: ſeu quia Sedi Apoſtolicæ, quæ axis eſt, & cardo aliarum Eccleſiarum inſerviunt. *Gloſſ. in Extravag. execrabilis. in v. Cardinalibus. de præbendis*, Originem videntur habere Cardinales *figuraliter* quidem à Sacerdotibus Levitici generis, qui in veteri Teſtamento Summo ſacerdoti miniſtrabant, *exemplariter* verò ab Apoſtolis; qui Chriſto Domino

mino ſummo novi teſtamenti ſacerdoti ſemper adfuerunt. quamvis autem credibile ſit ſemper ab exordio Eccleſiæ penes ſummos Pontifices fuiſſe quoſdam de Clero, qui ipſi ope & conſilio in rebus arduis ſuccurrerant, Cardinalis tamen nomen ante tempora Sylveſtri Papæ extitiſſe non conſtat, unde & ab ipſo creditur inventum qui in ſexta Synodo Romana, quam poſt Conſtantini Imperatoris converſionem celebravit, ita legitur ſtatuiſſe: *à Subdiacono uſque ad lectorem omnes ſubditi ſint Diacono Cardinali.*

Cardinales creare ad ſolum Romanum Fon- 16
tificem pertinet, ita tamen, ut & Imperatori, & alijs Regibus jus nominandi certas qualificatas perſonas ipſi Pontifici competat, quibus deinde Pontifex ſi dignas compererit, Cardinalitiam dignitatem conferat, ad ſimilitudinem Juris nominandi, præſentandi, inſtituendi, quod in inferioribus beneficijs locum habet.

Sunt autem Cardinales ex omni natione viri ſelectiſſimi aſſumendi, ut unaquæque natio ſuum habeat in curia Romana Patrem tutelarem & Patronum.

Utuntur Cardinales galero & veſtitu rubro, 17
quo deſignatur, quod uſque ad mortem & ſanguinis effuſionem pro exaltatione ſanctæ fidei, & ſtatu Eccleſiæ Romanæ ſe intrepidos exhibere debeant, uti habetur ex formula illius Cæremoniæ, cum qua Cardinali galerus rubeus datur.

Præterea licet Cardinales non ſint omnes E- 18
piſcopi, ſed quidam in *ſuis titulis* tantùm Cardinales

males Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi, nihilominus sunt Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis propter officium digniores, quia isti unius privatæ patriæ, illi totius populi Christiani utilitatii præsunt, prout declaravit Eugenius IV. in sua *Bulla*, quæ incipit *Non mediocri*. Neque inconveniens est, quòd Cardinales quantum ad officium præponantur Episcopis, quamvis ordine sint inferiores, nam & Archidiaconus ratione sui officij præponitur Archipresbytero, licet ille tantum Diaconus, hic Presbyter sit. *c. 1. De offic. Archipresb.*

Cæterum circa potestatem, & prærogativam Cardinalium multa scripsit Barbosa *Iuris Eccles. Universi. lib. 1. c. 3. & 4.* inter quæ hæc sunt præcipua. I. Quod Cardinales in Ecclesiis, quarum sunt titulares, & aliis eorum titulis subjectis habeant jurisdictionem Episcopalem. *c. his qui. 11. De majoritate & obedientia.* II. Ex Communi opinione Cardinales, etsi non sint Episcopi, possunt conferre minores Ordines in propriis titulis suis subditis, ac familiaribus. *Tamburin. de Jure Abbatum. tomo 1. disput. 11. quæst. 4. n. 4.* III. Privilegium ex consuetudine introductum habere dicuntur, quod ad supplicium ductum possint veste, aut pileo tegendo liberare. *plures cit. apud. Barb. d. c. 4. n. 61.* IV. A sententia ex voto Cardinalium & consensu lata non datur appellatio. V. Cardinales orto schismate Concilium congregare possunt, ut ita Ecclesiæ pax restituatur, quamvis aliàs sine Authoritate Papæ Concilia

lia generalia convocare non liceat. ut inferius in §. 4. dicemus. non tamen potest Collegium Cardinalium sede Apostolica vacante quidquã potestatis vel Jurisdictionis ad Papam pertinentis exercere, nisi aliquod tam grande vel tam evidens immineret periculum, ut omnibus & singulis Cardinalibus præsentibus videretur leviter occurrendum. *Clem. ne Romani de electione. & Bulla Pij. IV. quæ. incipit. in eligendo.* VI. Cardinalibus data est potestas interpretandi Tridentinũ Conc. de quibus Declarationibus in Proœmio.

VII. Jus eligendi Romanum Pontificem hodie penes solum Collegium Cardinalium est, quamvis olim pro diversitate temporum ad electionem Pontificis quandoque totus Clerus, & populus Romanus adhibitus fuerit. *c. 5. 7 quæst. 1.* id tamen postea immutatum est ut dicemus. Imperatori quoque Carolo Magno ob insignia ejus in Ecclesiam merita datum esse Privilegium, ut posset eligere Romanum Pontificem traditum *in c. Adrianus. 122. dist. 63.* neque enim excedit vires Pontificis Laicum ad Jus Spirituale per Privilegium habilitare, prout ad Jus patronatus omnes Laici habilitati sunt. non desunt tamen Doctores qui cum *Azor. Inst. Moral. parte 2. lib. 4. c. 2. quæst. 3.* & Baronio *in Annalibus Ecclesiasticis an. Christi 774 n. 10.* censeant, hoc privilegium vel commentitium, vel eo Imperatores non usos fuisse; sed ferme probabilius est, quòd Pontifices non toleraſſent in Decreto Gratiani præsertim jam jussu Greg. XIII. emendato & correcto illud

lud *Cap. Adrianus*. nisi dictum privilegium Imperatori revera datum fuisset. Demùm autem cum experientia doceret, ex tanta multitudine eligentium, item & Imperatorum nimia potestate turbatam sæpe potiùs quàm expeditam summi Pontificis electionem, ea per posteriores Pontifices, & Concilia generalia solis Cardinalibus concessa est, privilegium enim propter abusum & publicam utilitattm revocari posse traditur *in titulo de privilegiis*.

21 Porro electio summi Pontificis habet ista specialia, I. quòd non vocentur absentes Cardinales sed tantùm expectentur per decē dies cōputatos à morte Pontificis. II. quòd Cardinales eligentes, & præsentes à dictis decem diebus includantur *in conclave*, singuli per singulas cellas, & cubilia. III. nisi intra tres dies, postquam *Conclavi* ingressi sunt, elegerint Pontificem, tunc per spatium quinque dierum sequentium tam in prandio, quàm in cæna vno solo ferculo, & post hos dies sine electione etiam elapsos, solo pane, vino & aqua debeant esse contenti. IV. licèt in aliis electionibus sufficiat, ut *major & sanior pars Capituli* in electum consentiat, in electione tamē Pontificis *duæ tertiæ* Cardinaliū, seu duæ partes, si totum Collegium in partes tres dividatur, requiruntur. V. ut ista fideliter à Cardinalibus observentur, executores, & compulsores à Jure, & authoritate pontificia constituti sunt præcipui Magistratus, & Domini loci illius, sivē Romæ sive alibi, ubi electio Pontificis celebratur,

tur, prout ista habentur *in c. licet. 6. de Electione. c. 3. eodem tit. in 6.* tradit etiam Barb. Juris Eccles. *lib. 1. c. 1. n. 39.* ubi *n. 58.* exemplis, & ratione comprobat, quòd non requiratur, ut eligendus in Pontificem sit de numero Cardinalium, sed possit esse quicunque extraneus idoneus. quia *in d. c. licet.* dicitur, quòd nulla exceptio opponi possit ei, qui à duabus partibus Cardinalium electus est.

Solennitatem autem, quæ fit Romæ cum noviter electo S. Pontifice, ex Authore SS. Ceremoniarum prolixè refert Majolus *in diebus Canic. tom. 2. colloq. 6.*

§. III.

QUia de Legatis Sedis Apost. speciali titulo *de officio Legati.* in Decretalibus agitur, ideò eandem Rubricam & Titulum mox præsenti Titulo subjunxi, ubi legi poterit.

§. IV.

De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis.

SUMMARIA.

22. *Patriarchæ qui, & quot.* 23. *Primates qui.*
24. *Patriarcharum potestas.*
25. *Archiepiscopus quis.*
26. *Archiepiscopi superioritas & potestas.*
27. *Archiepiscopi jurisdictio in suffraganeos an sit tantùm in casibus specialiter à Jure permissis.*
28. *Archiepiscopus post Concilium Trid. qualem habeat Iurisdictionem in criminalibus & civilibus Suffraganeorum causis.*

29. Ar-

29. *Archiepiſcopus poteſt cenſuras ferre in Suffraganeos per ſe, non per Vicarium.*

30. *Archiepiſcopus in ſubditos Suffraganeorum Regulariter jurisdictionem non habet.*

31. *Fallit in caſibus hic expreſſis*

32. *Iudex poteſt punire iniuriam ſibi tanquam Iudic. illatam.*

QUuamvis olim poſt Summum Pontificem ante Cardinales primum locum obtinuerint *Patriarchæ*, hodie tamen Cardinales de conſuetudine, & Juris ratione præſunt Patriarchis tanquam unum Corpus conſtituentes cum ſummo Pontifice, & primariij Eccleſiæ Catholicæ Directores.

22 Patriarcha græce *ſummus*, ſeu *Princeps patrum* appellatur teſte Iſydoro *in c. cleros. verſ. Patriarchæ diſt.* 21. ſunt autem Patriarchæ alij principales, alij minus principales, principales in Eccleſia ſunt quatuor nimirum Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hyroſolimitanus, quorum tres poſteriores tempore quidem priores ſunt, ſed Conſtantinopolitanus primus nominatur propter reſidentiam Imperatorum Græcorum in urbe Conſtantinopolitana. Minus principales Patriarchæ dicuntur qui inter Latinos Romani Pontificis indulgentia, vel ex inveterata conſuetudine patriarchale nomen ſibi vendicant, cujuſmodi ſunt Patriarchia Aquilejenſis, Venetus, Æthiopiæ, & Indiarum.

23 *Primates*, qui etiã à nonnullis Patriarchæ ſub-

inde

inde dicuntur, sunt quidem Archiepiscopi potentiores, & majores Metropoles regentes ut in Hispania Toletanus, in Germania olim Magdeburgensis, hodie vero Celsissimus noster Salisburgensis. Sed quòd aliquis *Patriarcha minor* vel *Primas* appelletur, nihil in effectu tribuere, sed tantum augere titulum, quæ verò aliàs in Jure de Patriarchis leguntur, de quatuor principalibus intelligi debere, notavit Barb. *d. Tract. c. 6. n. 10. & 49.*

Porrò potestas Patriarcharum maximè in eo 24
consistit, quòd Ordinarii habeantur omnium Archiepiscoporum & Episcoporum sui districtus, atque ab his appellationes Jure recipiant, & crucem non tantùm in suo Patriarchatu (sicut Archiepiscopi in sua Provincia) sed ubique extra præsentiam Summi Pontificis, vel Legati ejusdem *de latere* præferre possint. *c. antiqua. & Clem. Archiepiscopo. de Privilegijs Barb. d. cap. 6.* Verùm quia hodie juxta Prophetiam *Psal. 78. venerunt gentes in hereditatem Domini*, & primi quatuor Patriarchatus Græci non amplius in potestate Christianorum sunt, ideò qualem jurisdictionem, & authoritatem nostri Patriarchæ Latini habeant, ex specialibus eorum privilegiis, & consuetudine singulorum locorum petendum erit.

Archiepiscopus Princeps Episcoporum dici- 25
tur, *Archos* enim græcè Primum vel Principem sonat. *Metropolitanus* quoque à mensura sive multitudine civitatum (dicitur autem *civitas*

frequenter in Canonibus *diœcesis Episcopalis* sumendo partem pro toto, sive residentiam Episcopi pro toto ejus districtu) suæ provinciæ nuncupatur. *c.* 1. *dist.* 21 & quamvis textus *in d. c.* 1. videatur aliquam differentiam habere inter Archiepiscopum & Metropolitanum, tamen communis est opinio, nullam esse, nisi fortè alicubi reperiatur Archiepiscopus, qui nullum sub se Episcopum suffraganeum habeat, hic enim Archiepiscopus, 'non verò Metropolitanus, & Archiepiscopus potiùs titularis, quàm verus dicendus esset.

26. Obtinet autem Archiepiscopus duplicem superioritatem, primo respectu suæ immediatæ diœcesis, in qua habet illa Jura quæ cuivis alteri Episcopo competunt. II. respectu sui Archiepiscopatus, sive *Provinciæ*; & dicitur *Provincia* collectio omnium diœcesium inferiorum Episcoporum Archiepiscopo subjectorum, qui & Episcopi suffraganei dicuntur, quòd suffragentur Archiepiscopo in officio Episcopali, in consecrationibus, Conciliis, aliisque negotiis ipsum adjuvent.

Circa istam superioritatem Archiepiscopi respectu provinciæ notanda sunt sequentia. Primò quòd præstantia Archiepiscopi non sit in sacro Ordine, seu in charactere spirituali, sed in dignitate majoris officii; hoc tamen officium quatenus complectitur Jura præcisè Archiepiscopalia exercere non potest ante susceptū pallium, sicut supra in tit. *de Authoritate, & usu Pal.* diximus. II. Ar-

II. Archiepiſcopus eſt Ordinarius omnium Epiſcoporum ſuæ provinciæ, non deſunt autem qui doceant, Archiepiſcopum in Epiſcopos nullam habere poteſtatem, niſi in caſibus à Jure nominatim expreſſis, per textum in *c. 2. §. ſed neque. De Translatione Epiſcopi.* ibi: *quia nonnunquam intelligitur prohibitum, quod non invenitur conceſſum.* ita Hoſtienſ. & alii citati à Quaranta *in Summa Bullarij. Verbo. Archiepiſcopi Authoritas. n.* 10. Sed non video quomodo hoc Jure defendatur, ſi enim Archiepiſcopus Ordinarius dicitur ſuffraganeorum, teſte ipſo Quaranta *d. loco argum. cap. quia cognovimus. 10. quæſt. 3. c. paſtoralis, in princ. ubi Abbas. n. 2. & Barboſa in Collect. n. 4. de offic. Ordinarij. c. 1. eodem in 6.* quomodo non habet fundatam intentionem in Jure, ſicut quilibet ordinarius Judex qui regulariter poteſt omnia quæ ad jurisdictionem ordinariam pertinent, niſi ſpecialiter reperiantur excepta, quòd ſi tantùm poſſet ſpecialiter permiſſa, potiùs delegatus à Jure, quàm Ordinarius dicendus eſſet. textus verò *in d. c. 2* nihil probat, quia ibidem Pontifex non facit enuntiationem univerſalem, ſed dicit *nonnunquam* id eſt, aliquando, & in materiis ſpecialiter ſummo Pontifici reſervatis, ſicut ibi de translatione Epiſcoporum ſermo eſt, intelligi prohibitum, quod non invenitur conceſſum. 27

Hodie tamen noviter conſtitutum eſt per Trid. *ſeſſ 24. de reform. c 5* quòd cauſæ criminales Epiſcoporum graviores tantùm à ſummo

Digitized by Google

Pontifice, minores verò tantùm à Concilio provinciali, vel ab illo deputandis terminentur.

28 Hanc Trid. Conſtitutionem à S. Congr. Card. etiam ad cauſas *civiles* extenſam refert Barb. *d. lib. 1. c. 7. ſubn. 46. & in Collect. ad Trid. d c. 5. n. 7.* Sed antequam dicta Card. declaratio in forma authentica exhibeatur non poſſum adduci, ut credam, Concilii Congregationem hoc ſtatuiſſe, idque ex ſequentibus. Enimverò ante Concilium indubitatum & apud DD. receptum fuit, Archiepiſcopum tanquam Judicem Ordinarium poſſe cognoſcere de cauſis civilibus ſuffraganeorum. *Abb. & Barb. in d. c. paſtoralis. de officio Ordinarij. Scaccia de appell quæſt. 8. n. 98.* Concilium autem Trid. nec verbo cauſarum civilium exceptionem fecit, cùm ergò tantùm cauſarum criminalium meminerit, potiùs infertur, quòd exceptio de cauſis criminalibus firmet regulam in cauſis civilibus non exceptis, neque enim plus de Jure veteri cenſetur correctum, quàm expreſſum. *Leg. præcipimus. in fine. Cod. de appellat* & quòd Cardinales poſſint quidem Concilium declarare, non verò ultra proprietatem verborum extendere in proœmio Decretalium dictum eſt. Præſertim verò hæc Cardinalium declaratio in iſtis locis, ubi rariſſima ſunt Concilia provincialia practicari non poſſet, & perquam difficile foret in quacunque cauſa Romanum Pontificem accedere, partes ſumptibus gravare, & Jus Metropolitani intervertere.

III. In

Digitized by Google

III. In casibus ad jurisdictionem Archiepi- 29
scopi pertinentibus cùm rationabilis causa fuerit in suos suffraganeos censuras ferre potest, ita tamen, ut non statim ad excommunicationem deveniat, sed priùs ingressum in Ecclesiam interdicat. ne per excommunicationem Episcopi mox suâ jurisdictione cum Ecclesiæ dispendio priventur. Item ut per se Archiepiscopus censuras ferat, non per Vicarium, quia Vicarius in Episcopos suffraganeos censuras ferre prohibetur propter reverentiam pontificialis officii, nisi Archiepiscopus in remotis existat. *c.* 1. *de officio Ordinarij. in 6*

IV. In subditos suffraganeorum Archiepi- 30
scopus regulariter nullam jurisdictionem habet. *c. pastoralis. de officio Ordinarij. c. venerabilibus.* 7. *de sententia excom. in* 6. Quare nec eos in prima instantia judicare ptest. *c. duo simul. de officio Ordinarij*; & censet Panorm. *in d. c. pastoralis. n.* 2. Si Episcopus contra suum subditum litem habeat, non debeat eum convenire coram Archiepiscopo, qui non est Judex immediatus illius subditi, neque tamen etiam ipse Episcopus debeat esse Judex in causa propria, sed coram arbitris electis res expedienda sit. A quibus tanquam arbitris Juris & necessariis dabitur ad Archiepiscopum appellatio. arg. *c. ab arbitris.* 11. *de Offic. deleg. in* 6. Insuper non potest Archiepiscopus compellere subditum sui suffraganei, ut testimonium coram se dicat, sed debet id facere per litteras requisitorias, seu *mutui compas-*

sus, quia testis non potest compelli, nisi à suo immediato Judice. *c* 1. § *neque de foro competenti. in 6.* Quaranta *d. l. n.* 12. Verùm hæc regula hujus notandi quarti habet aliquas exceptiones.

31 Nam V. In appellatione propter effectum notorium devolutivum & in visitatione Provinciæ Archiepiscopus acquirit jurisdictionem in subditos suffraganeorum. *c. Romana. de appellat. in 6. c fin. de Censibus. in 6.* ubi dicitur, quòd Archiepiscopus dum visitat Provinciam, possit Confessiones subditorum suffraganeorum audire, & absolvere à casibus suo Episcopo reservatis, & à censuris

VI. In Vicarium Episcopi suffraganei Archiepiscopus etiam jurisdictionem habet, si delinquat in officio sibi commisso, si impediat causam appellationis delatam ad Archiepiscopum, si utatur jurisdictione sui Episcopi excommunicati, si non servet privilegia Sedis Apostolicæ. *c.* 1. *& ibi Gloss. in v. rationabili. de officio Vicarij. in 6.*

VII. Crimina notoria, quæ commiserunt subditi suffraganeorum, Archiepiscopus punire potest etiam extra visitationem, & appellationem. *c.* 1. *§. sane. de censibus. in 6.* quod tamen Sylvester *V. Archiepiscopus.* rectè putat procedere, si suffraganeus in puniendis illis criminibus fuerit negligens; videtur proinde monitio Archiepiscopi præcedere debere.

32 VIII. Potest punire subditos suffraganeorũ qui sibi, Nuntiis aut familiæ suæ in exercitio juris-

jurisdictionis injuriam intulerunt. *c. 1. de pœnis. in 6. Quaranta d loco. n.* 23. sicut Judex quilibet potest punire injuriam sibi illatam propter reverentiam Judicis, ne cogatur coram alio Judice litigare. *Leg. nullum. Cod. de testibus. Gail. lib. 1. Observ.* 39.

IX. Archiepiscopus potest præcipere suffraganeis, ut per suas diœceses servent ea, quæ ipse servat in sua, modo sint fundata in Jure communi, vel statuta in Concilio provinciali, unde & potest pravam consuetudinem tollere, & contravenientes suo mandato punire, quia ad ipsum sollicitudo totius Provinciæ pertinet. *c. dilectus.* 30. *de simonia. & Quaranta d n.* 23.

X. Potest alicui prædicationis officium in tota sua provincia, adeóque etiam in diœcesibus suffraganeorum interdicere, & malefactórem promeritum extra totam suam provinciam relegare. *c. Tuarum. de Privileg. c.* 2. *& ibi Barb. n.* 4. *de arbitris.*

XI. Supplet negligentiam, vel Jurisdictionem, si Episcopus suffraganeus subdito denegat absolutionem, dispensationem juxta circumstantias rei, & personæ de æquitate debitã, executionem ultimæ voluntatis, institutionem ad præsentationem Patroni.

XII. Potest concedere indulgentias, nimirùm in dedicatione Ecclesiæ cujuslibet annum unum, in anniversario dedicationis 40. dies, quæ prosint etiam subditis suffraganeorum ad eas lucrandas advenientibus, *juxta c. cum ex eo.* 14. *& c. seq. de pœnit. & remiss.*

De-

Demùm ratione rei sitæ contractus aut delicti non est dubitandum, quin subditus suffraganei coram Archiepiscopo rectè conveniatur, si in ejus diœcesi contraxerit, deliquerit, &c. *c. fin. de foro competenti.* quàndo verò Archiepiscopus Concilium provinciale convocare, aut provinciam visitare debeat. §. seq. dicemus.

§. V.

De Episcopis eorum Officio, & Potestate.

SUMMARIA.

33. *Episcopus unde dictus.* (*à Papa.*
34. *Episcopi potestas diverso respectu est à Christo &*
35. *Episcopus potest in sua diœcesi, quod Papa in Ecclesia, qualiter intelligendum.*
36. *Episcopi potestas alia Ordinis alia jurisdictionis.*
37. *Lex jurisdictionis, & lex diœcesana.*
38. *Episcopus non consecratus potest ea, quæ sunt Ordinis delegare.*
39. *Episcopus circa jura Episcopalia habet fundatam intentionem in jure.*
40. *Diœcesium limites determinare tantùm potest Papa, & ibi casus notabilis.*
41. *Episcopus qualiter teneatur visitare diœceses.*
42. *Appellatio à visitatione & correctiõe quando detur.*
43. *Concilia generalia convocat Papa & qualiter.*
44. *Concilium non est supra Papam, nec à Concilio dependet.* (*mentione.*
45. *Constitutioni Conciliari non derogatur sine speciali*
46. *Concilia Provincialia convocat Archiepiscopus, quando & qualiter.*

47. Epis-

47. *Concilium diœcesanum quando & qualiter convocet Episcopus.*
48. *Dispensare contra Canones regulariter non competit Episcopo.*
49. *Dispensare quando possit Episcopus.*
50. Trid. sess. 24. de ref. cap. 6. *explicatur contra communẽ aliorum, quo ad verba,* ex delicto.
51. *Irregularitas vel delictum quatenus debeat esse occultum, ut vigore Trid. dispensari possit.*
52. *Delictum quando dicatur deductum ad forum contentiosum.*
53. *Episcopus aliquando dispensat Epikiam in re levi, & ubi periculum est in Mora.*
54. *Dispensatio an competat Episcopo, quando est dubium, an res egeat dispensatione.*
55. *Dispensare an possit Episcopus secum ipso.*
56. *Episcopus præcedit omnes seculares dignitates.*

33 QUamvis nomen *Episcopi* antiquissimum sit, non solum in veteri Testamento (juxta illud, *Psalm.* 106. *Episcopatum ejus accipiat alter.*) sed etiam apud Ethnicos Juris-Consultos usitatum, *Leg. munerum. ff.* 18. §. 7 *de muneribus & honorib.* hodie tamẽ proprium factum est Christianæ Religionis, veteri nihilominus sensu servato, ut adhuc significet præcedentiam & præfecturam, qua Episcopus Clero ac populo præest. unde Episcopi alio nomine etiam speculatores, 34 *in c.* 1. *dist.* 21. & superintendentes, in *c. qui Episcopatum.* 8. *quæst.* 1. appellantur. *Episc.* enim Græcè *super*, & *Scopos* idem quòd *intento* significat.

Credit porrò Ecclesia Catholica juxta superius dicta ad principium hujus tituli, esse quandam

Hyerachiam Ecclesiasticam, in eaque Episcopos suo loco divinitus à Christo institutos, & majores tum Ordine, tum Jurisdictione esse Presbyteris, & sicut in Evangelio legitur, Christum alios Apostolos, alios discipulos elegisse. *Luc.* 6. & 10. ita in locum Apostolorum Episcopos, & discipulorum Presbyteros, aliosque Ecclesiæ Ministros successisse, *c. in novo. dist.* 21. *c. quorum vices dist* 68. licet interim in primitiva Ecclesia, ubi fides Christiana nec dum erat in multas orbis partes diffusa, Episcopalis dignitas non ita enituerit, & Episcopi tunc Presbyterorum officio functi, Presbyteris è contra potestas Episcopalis communicata, & propterea frequenter Presbyteri Episcoporum nomine appellati fuerint.

34 Quare ulterius si potestatem Episcopi in se considéremus ea à Christo data est, si verò spectemus quo ad certas Diœceses, & districtus ac populos Episcopis subjectos, à summo Pontifice descendit, ad quem pertinet limites diœcesium assignare; & populo de idoneis pastoribus providere, quia ipse est Pastor universalis vocatus in plenitudinem potestatis, Episcopi verò tantùm in partem sollicitudinis. *c. quia se.* 12. 2. *quæst.* 6. *c. ad honorem. de usu & Authoritate Pallij.*

35 Unde quod communiter Doctores solent dicere cum Abbate *in c. at si Clerici. §. de adulterijs. de judicijs.* quod Episcopus possit in sua diœcesi quæ S. Pontifex in tota Ecclesia, nisi reperiantur specialiter excepta, intelligendum est cum debita subordinatione ad summum Pontificem, & salvis

ſalvis legibus, ac conſtitutionibus Papalibus, quibus Epiſcopus ſubeſſe debet. *d. c. qui ſe. & ſeq. & Clem. ne Romani de elect.*

Dividitur autem *poteſtas* Epiſcopi in poteſta- 36
tem *Ordinis*, & poteſtatem *jurisdictionis*; poteſtas *Ordinis* dependet ab Ordine & characterе Epiſcopali, hic verò à Sacerdotio, & conſecratione, & hæc poteſtas conſiſtit potiſſimùm in tribus, ſcil. in Confirmando, Ordinando & Conſecrando, ſolétque exerceri in veſtibus & ornamentis pontificalibus.

Poteſtas *jurisdictionis* eſt, per quam Epiſcopus conſtituitur Judex, & Paſtor Eccleſiæ ſuæ ut poſſit decidere lites, conferre beneficia, viſitare, corrigere, &c. & datur hæc Poteſtas per Canonicam electionem ſecutâ confirmatione.

Aliquando tamen hoc vocabulum *jurisdictionis* latius accipitur, ut etiam ea quæ Ordinis ſunt comprehendat, quatenus nimirum Epiſcopus non alienis, ſed ſuis tantùm ſubditis, regulariter actus Ordinis impertiri valet. *hinc in c. dilectus. 18. de Officio Ordinarii* poteſtas Epiſcopi di- 37
viditur in *legem jurisdictionis*, & *legem Diœceſanam*, & teſte Gloſſ. ibidem per legem *jurisdictionis* intelliguntur omnia ea, quæ *in dando* conſiſtunt, ſive deinde ex *Ordine*, ſive ex *juriſdictione* Epiſcopi procedant, ut dare Ordines, confirmationem, conſecrationem, beneficia, ſententias & ſimilia, *Ad legem Diœceſanam* autem referuntur, quæ conſiſtunt *in recipiendo*, id eſt quæ Epiſcopus à ſuis ſubditis exigere & recipere poteſt, ut

Cathe-

Cathedraticum, charitativum subsidium & portionem Canonicam, &c. ita etiam intelligendum est, quòd dici solet, omnia Monasteria regulariter esse exempta *à lege Diœcesana Episcopi*, excepta procuratione visitationis. *c. venerabili. de censibus.* & portione Canonica, *c. requisivisti. vers. secus autẽ de testamentis.* non verò à *lege jurisdictionis*, nisi speciali Privilegio vel præscriptione munita sint, qua de re dixi de Privilegiis Monasteriorum. Privilegio 3.

38 Licet porrò Episcopus non consecratus ea, quæ sunt *Ordinis* per se exercere nequeat, potest tamen alteri Episcopo delegare, seu licentiam concedere, ut loco sui ordinationes, consecrationes aliaque quæ Ordinis Episcopalis sunt peragat, *textus & interpretes in c. suffraganeis* 11 *de electione.* est enim delegatio actus jurisdictionis, quam Episcopus per Canonicam electionem, institutionem, & confirmationem citra etiam consecrationem consequitur. Non obstant regulæ juris, quod quis per se non potest id etiam non potest per alium; Item nemo potest plus juris in alium transferre, quam ipse habeat. *Leg. nemo potest. ff. de Reg. Juris*, nam R. cum Panorm. *in c. 1. de translatione Episcopi. n.* 10. has Regulas procedere, si delegatus id, quod facit, ex mero jure delegantis facere debeat, ut si alicui de cætero nullam Jurisdictionem habenti Episcopus causam judicialem cõmittat, secus verò, si delegatus habeat prius propriam potestatem & habilitatem ad actum exercendum, & tantum desit ipsi licentia respectu loci.

Quod

Digitized by Google

Quod si Episcopo ab alio æquali vel inferiori 39
Prælato intra fines suæ Diæcesis super illis quæ ad Ordinem vel Jurisdictionem Episcopalem pertinent, lis moveatur prætendendo aliqua Episcopalia jura, vel exemptionem à Jurisdictione Episcopi, onus probandi non incumbet Episcopo quamvis actor sit, sed alteri adversario suo, quia Episcopus habet fnndatam præsumptionem in jure pro se, quod omnia ista ad ipsũ pertineant, nisi contrarium ostendatur. *c. Conquerente. de Officio Ordinarij. c. cum non liceat. c. cum olim. de præscript. c. cum personæ. de Privilegiis in 6.*

Limites autem & fines Diæcesium assignare, 40
restringere, vel extendere nec ad Episcopum, nec Archiepiscopum, sed ad summnm Pontificem pertinet. Ideo notabilem decisionem ponit Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici. dec. 542. in veteri editione.* quod Archiepiscopus Neapolitanus non potuerit concedere domum Episcopo Aversano in Civitate Neapolitana, eamque efficere Diæcesis Aversanæ, ut Episcopus Aversanus in tali domo Neapoli ob majorem suam commoditatem habitando diceretur residere in loco suæ Diæcesis ad evitandas pænas juris præsertim Concilii Trid. *sess. 23 c. 1.* contra non residentes Episcopos latas.

Præterea cum Episcopi & Ecclesiarum Præla- 41
ti per sanctum Spiritum constituti sint, ut evellant & dissipent vitia subditorum, ècontra ædificent, & plantent virtutem, & Religionem Christianam, ideò de Jure incnmbit Episcopo,

ut

Digitized by Google

ut propriam Diæceſin per ſe ipſum, aut ſi legitimè impeditus fuerit per ſuum generalem Vicarium ſingulis annis viſitet, & ſi quot annis totam propter ejus latitudinem viſitare nequeat, ſaltem majorem ejus partem viſitare non prætermittat, ut tota viſitatio biennio compleatur. *Trid. ſeſſ. 24. de refor. c.* :. ſed quia hoc decretum licet ſaluberrimum Ordinariis ſatis moleſtum, & Eccleſiis ob procurationem, ſeu ſumptus viſitantibus præſtandos nonnihil grave videtur, propterea hæc Diæceſis in plurimos Archidiaconatus & Decanatus diſtributa eſt, in quibus Archidiaconi, & Decani certis temporibus debent ſynodos & viſitationes peragere, ac omnia acta, & qualiter cura animarum ubique adminiſtretur ad Conſiſtorium tranſmittere, quo remedio adhibito poſſunt Ordinarii excuſari rarius generales viſitationes inſtituendo, dummodo non prorſus tollantur.

A Metropolitanis verò etiam poſt plenam, & totaliter viſitatam propriam Diæceſin non debent viſitari Cathedrales Eccleſiæ, neque Diæceſes ſuorum Suffraganeorum, ſeu Comprovincialium, niſi ex cauſa, quæ in Concilio Provinciali pri⁹ cognita & approbata fuerit. Trid. *d c. 3.*

42 Cæterum quia ſæpe fit, ut rei criminum ad evitandas pœnas & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia querelas & gravamina ſimulent, ac per appellationem ad ſuperiorem Epiſcopi proceſſum impedire nitantur, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto ad iniquitatis defen

ſionem

sionem abutantur, constituit idem Conc. Trid. *sess.* 13. *de reform. c.* 1. ut causas visitationum, correctionum morum, aliásque criminales ante definitivam sententiá nulla appellatio impediat, vel suspendat, nisi tale gravamen alicui inferatur, quod per definitivā nequeat reparari.

Item etiam si Episcopus procedat contra exemptos, aliosque Privilegiatos in casibus à Jure non permissis dari, & amitti debere appellationem refert Barb. *in Collect. ad d Caput.* 1. *n.* 1. videatur quoque elegans textus & adhortatio ad Episcopos in *eodem c.* 1 qualiter in correctione juxta monitum Apostoli debeant potius esse pastores, quàm percussores, arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, & patientia, nisi quatenus delicti gravitas, vel delinquentis contumacia ad aliorum terrorem acriorem subinde castigationem requirit. alia de visitationum materia in tit. de censibus. traduntur.

Ulterius ad Officium Episcopi pertinet Synodum, seu Concilium convocare. sunt autem Concilia alia *generalia*, sive *Oecumenica* totius Ecclesiæ, alia *Provincialia*, & alia *Diœcesana*, Concilia *generalia* tantùm Authoritate summi Pontificis legitimè congregantur, quibus extra urbem non solet per se, sed per Legatos suos interesse, aliter verò congregata Concilia illegitima & nullius authoritatis habenda sunt. Legitur quidem aliquando ab Imperatoribus congregata fuisse Concilia, id tamen vel de facto attentatum fuit, vel Ecclesiâ præcipiente, rogante, 43

gante, vel approbante, ut patet *ex dist.* 17. *per totam*, ut nimirum Imperatores suâ potentiâ, & brachio sæculari Concilii libertatem & authoritatem manutenerent ac defenderent, si contingeret, quod absit, Papam de hæresi diffamatum vel suspectum esse, nolleque Concilium generale convocare, vel schisma in Ecclesia oriri, tunc Concilium per Cardinales, vel saltem duas eorum partes, illisque negligentibus vel recusantibus per Patriarchas, & his etiam nolentibus per Imperatorē & alios Prælatos Ecclesiasticos convocari posse tradit Sylvest. *V. Concilium. n.* 6. *&* 7. ubi etiam dicit, videri quidem esse in arbitrio Papæ quos & quot velit ad Concilium vocare, nec esse curandum de diminuto numero propter illud Christi, *Matthæi* 18. *ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego, &c.* si tamen causa fidei ad extirpandas hæreses, & schismata tractetur, omnes tunc Catholicos Episcopos vocari debere ait, cum omnes tangat & concernat.

44 Cæterum verò Concilium non est supra Papam sed ab ejus Authoritate & approbatione dependet, nec ei potest legem præfigere, nec appellationem ab eo recipere. *c.* 4. *de elect. junct. Bullâ: Cœnæ Domini* nec etiam absolutè loquendo in definitione Articulorum fidei necessariò à Concilio dependet, ut tradunt communiter Doctores apud Cajetanum *Opusculo de Authoritate Papæ* quia Christus dum *Matthæi* 16. promisit *Ecclesiam*

cleſiam ſuam ſundare ſupra Petrum, contra quem Portæ inferi, & conſequenter errores, *non prævalerent*, non reſtrinxit poteſtatē Petri, & ſucceſſorum ejus ad generale Concilium. ſolent tamen Pontifices pro majori populi Chriſtiani ædificatione, & fiduciâ Conciliorum ſententiæ plurimum tribuere, nec facilè ab ea recedere, neque eorum decretis ſine ſpeciali clauſula, & mentione derogare. unde communiter etiam dicunt Doctores, quod conſtitutioni vel Cano- 45
ni in aliquo Concilio generali edito non cenſeatur per reſcriptum Pontificium contrarium derogatum, niſi quatenus de eo mentionem facit. colligitur *ex c. nonnulli. ubi Felinus n. 3. de reſcriptis.* Sanch. *de Mat. lib. 3. diſput. 26. n. 7.*

Concilia provincialia convocat Metropoli- 46
tanus per ſe ipſum, aut eo legitimè impedito Suffraganeus antiquior ſingulis trienniis poſt octavam Paſchæ, aut alio commodiore tempore pro more cujuslibet Provinciæ.

Ad hoc Concilium vocandi ſunt omnes Suffraganei Archiepiſcopi, item Epiſcopi nulli Archiepiſcopo ſubjecti aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligere, in ejuſque Synodo Provinciali cum aliis intereſſe & quæ ibi ordinata fuerint obſervare debent. *Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 2.* Præterea etiam vocandi ſunt alii omnes, quibus de Jure vel conſuetudine competit, ut interſint. *Trid. d. l.* competit autem Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, maximè circa illa negotia, quæ ipſa Capitula principaliter

gante, vel approbante, ut patet *ex dist.* 17. *per totam*, ut nimirum Imperatores suâ potentiâ, & brachio sæculari Concilii libertatem & authoritatem manutenerent ac defenderent. si contingeret, quod absit, Papam de hæresi diffamatum vel suspectum esse, nolleque Concilium generale convocare, vel schisma in Ecclesia oriri, tunc Concilium per Cardinales, vel saltem duas eorum partes, illisque negligentibus vel recusantibus per Patriarchas, & his etiam nolentibus per Imperatorē & alios Prælatos Ecclesiasticos convocari posse tradit Sylvest. *V. Concilium. n.* 6. *&* 7. ubi etiam dicit, videri quidem esse in arbitrio Papæ quos & quot velit ad Concilium vocare, nec esse curandum de diminuto numero propter illud Christi, *Matthæi* 18. *ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego, &c.* si tamen causa fidei ad extirpandas hæreses, & schismata tractetur, omnes tunc Catholicos Episcopos vocari debere ait, cum omnes tangat & concernat.

44 Cæterum verò Concilium non est supra Papam sed ab ejus Authoritate & approbatione dependet, nec ei potest legem præfigere, nec appellationem ab eo recipere. *c.* 4. *de elect. junct. Bullâ: Cœnæ Domini* nec etiam absolutè loquendo in definitione Articulorum fidei necessariò à Concilio dependet, ut tradunt communiter Doctores apud Cajetanum *Opusculo de Authoritate Papæ* quia Christus dum *Matthæi* 16. promisit *Ecclesiam*

cleſiam ſuam ſundare ſupra Petrum, contra quem Portæ inferi, & conſequenter errores, *non prævalerent*, non reſtrinxit poteſtatē Petri, & ſucceſſorum ejus ad generale Concilium. ſolent tamen Pontifices pro majori populi Chriſtiani ædificatione, & fiduciâ Conciliorum ſententiæ plurimum tribuere, nec facilè ab ea recedere, neque eorum decretis ſine ſpeciali clauſula, & mentione derogare. unde communiter etiam dicunt Doctores, quod conſtitutioni vel Cano- 45
ni in aliquo Concilio generali edito non cenſeatur per reſcriptum Pontificium contrarium derogatum, niſi quatenus de eo mentionem facit. colligitur *ex c. nonnulli. ubi Felinus n. 3. de reſcriptis.* Sanch. *de Mat. lib. 3. diſput. 26. n. 7.*

Concilia provincialia convocat Metropoli- 46
tanus per ſe ipſum, aut eo legitimè impedito Suffraganeus antiquior ſingulis trienniis poſt octavam Paſchæ, aut alio commodiore tempore pro more cujuslibet Provinciæ.

Ad hoc Concilium vocandi ſunt omnes Suffraganei Archiepiſcopi, item Epiſcopi nulli Archiepiſcopo ſubjecti aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligere, in ejuſque Synodo Provinciali cum aliis intereſſe & quæ ibi ordinata fuerint obſervare debent. *Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 2.* Præterea etiam vocandi ſunt alii omnes, quibus de Jure vel conſuetudine competit, ut interſint. *Trid. d. l.* competit autem Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, maximè circa illa negotia, quæ ipſa Capitula principaliter

Digitized by Google

concernunt, *c. fin. de his, quæ fiunt à Prælatis*, nè tamen Ecclesiæ divino officio destituantur, si omnes Canonici ad Synodum Provincialem abirent, ideò sufficit nomine Capituli mittere Procuratorem. *d. c. fin. ubi Pavor. n.* 4. hunc verò Procuratorem non habere in Concilio vocem *decisivam*, quæ tantùm Prælatis competit, sed *consultivam* cum pluribus tenent Quaranta *in summa Bullarii. v Concilium Provinciale. vers. quarto.* Abbates ad Concilium Provinciale regulariter quidem cogi non debent, *c. Episcopus.* 11 *dist.* 19. sed pertinent ad synodum Diæcesanam, expedit tamen eis, ut veniant propter statuta, quæ ibidem fiunt quandoque in eorum præjudicium, quæ præsentes tunc facilius impedire, quàm ex postfacto in Synodo diæcesana reclamare possunt. *Joan. Honorius in tit. de Constitut. n.* 6. illi verò Abbates, qui habent populum, & territorium proprium, & Jurisdictionem quasi Episcopalem intra ambitum alicujus Provinciæ etiam ad Concilium Provinciale comparere debent. ita intelligendus est textus *in c. sit Apostolica. de privilegiis. in 6.* Quaranta. *d. loco vers. quæro tertio.*

47 Concilium Diæcesanum celebrare debet Episcopus in suâ diæcesi in primis ad recipienda Concilii Provincialis decreta intra sex menses postquam Synodus Provincialis absoluta fuit, & deinde singulis annis. *Trid. d. loco c. fin. dist.* 18. Ad hanc Synodum tenentur accedere omnes Abbates, qui nec populum, nec Jurisdictionem quasi Episcopalem habent propter quæ ad Provincia-

vincialem vocentur. Imò etiam Abbates exempti, si membra habeant, id est, capellas, vel Parochias non exemptas, eorum membrorum intuitu ad Synodum Diæcesanam accedere, & Episcopo pro non exemptis membris reverentiam & obsequium exhibere tenentur, honore tamen sibi præ aliis Abbatibus servato, ut primum post Episcopum locum obtineant. *c. ex ore.* 17 *de Privilegiis.* Porrò materia in his Conciliis tractanda est reformatio, vel conservatio status Ecclesiastici, & rectæ administrationis curæ animarum, ut morum fiat moderatio, excessus corrigantur, controversiæ componantur, & Ecclesiarum indemnitati consilio salubri provideatur, Ritus autem & Cæremoniæ faciendi Synodum diversæ sunt pro locorum diversitate, videri poterunt apud Barb. *De officio Episcopi parte 3. alleg. 93.* Quaranta; *v. Concilium provinciale, & Verbo. Synodus Diæcesana.*

Pertinet etiam ad officium, & potestatem 48
Episcopi quandoque in Jure dispensare, circa quam potestatem aliqua notanda sunt.

Primò quàmvis nonnulli cum Gloss. *in c. at si Clerici. §. de adulteriis. De judic.* & Pasecio *in praxi Episcop. parte 1. c. 1. sub n. 60.* censeant, Episcopum posse dispensare in omnibus casibus, in quibus non est ei expressè prohibitum, probabilius tamen est, & receptius, Episcopum in Jure communi dispensare non posse citra Juris permissionem, Privilegium, vel [illegible]uetudinem, si enim juxta notam Juris regulam, *res eo modo dissolvi debet*

quo colligata est, l nihil tam naturale. 35. ff. de R. I. sanè quia Episcopus legem Canonicam non tulit, eam dissolvere non poterit; nec congruit ut inferior subditus Legislatoris, & qui ejusmodi legi obedire tenetur pro suo arbitrio in lege dispenset. *c. cum inferior. de majoritate & Obedientia. c. dilectus. de temporibus ordinat. Clem. ne Romani. in princ. De Electione*, Illud quoque dictum inter Doctores vulgare, quòd Episcopus in sua Diœcesi possit ea, quæ S. Pontifex in tota Ecclesia, intelligendum est cum debita subordinatione, ut jam superius explicatum est.

49 II. Tunc igitur regulariter, & sepositis specialibus privilegiis & consuetudinibus dispensatio competit Episcopo, quando ei à lege sive Canone expressè, vel tacitè permittitur. *Expressæ* permissionis exempla habentur *in c. 1. De filiis Presbyterorum. in 6. c. sane. De cler. conjug. c. at si Clerici. de judic. in Trid. sess. 24. de refor. c. 6. & pluribus aliis locis.* Ex quo ipso argumentum satis luculentum pro priori assertione desumitur; frustra enim canones in certis casibus expressè dispensationem concederent, si aliàs de Jure Episcopo competeret. *Tacitè* permissam dispensationem Episcopo censent Doctores, quando textus Canonis *impersonaliter* loquitur, v. g. *dispenset ur, dispensativè, possit dispensari &c.* non adjiciendo per Sedem Apostolicam, vel Romanum Pontificem, ut in *c. præterea. De ætate & qualitate c. 2. De eo, qui cognovit. & c. Postulastis. ubi Gloss. [redacted] Doctores de Clerico excommunicato.* tunc enim quia gratis concederetur dispen-

ſpenſatio Papæ, cui aliàs competit, & leges accipi debent de caſibus dubitatis. *Leg. 2. ff. ad municipalem*, cenſetur propterea illa facultas diſpenſandi data inferioribus Prælatis, quibus de Jure non competeret. *Panor. in c. ultimo. de poſtul. Prælatorum Barb. de offic. Epiſcopi, parte 2. Alleg. 24 n. 21.*

In allegato porrò *c. 6 Trid.* ubi notabilis & ampla poteſtas diſpenſandi *in omnibus cenſuris & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto occulto homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentioſum*, conceditur Epiſcopo, adver- 50
tendum eſt, quòd ad hanc facultatem tria concurrere debeant.

I. Ut irregularitas ſit ex delicto, ideóque ex communi Interpretatione apud Barb. *in Collect. ad idem caput 6. n 24.* Epiſcopus diſpenſare non poterit, ſi aliunde proveniat v. g. in Bigamia, ex judicio ſanguinis juſti, ex illegitimis natalibus. Nomine quoque delicti etiam leviſſima culpa intelligitur tanquam in ordine ad diſpenſationem & materiam favorabilem, *l. in lege. 40. ff. ad Legem Aquiliam.* Sed planè exiſtimo, aliquem erroris damnari non poſſe, qui generaliter doceret, Epiſcopum in quacunque *irregularitate occulta* rectè diſpenſare; cum enim hæc facultas diſpenſandi ſit privilegium nemini præjudicans, Epiſcopis & diſpenſandis favorabile, latius interpretari convenit, ut *delicti* nomine non tantùm veniat peccatum in genere moris, vel contra præceptum, ſed etiam de-

fectus in virtute, perfectione, lenitate & similibus, ut in Bigamo, Judice sanguinis &c. & delictum non tantùm ipsius irregularis, sed etiam alterius, qui irregularitati causam dedit, sicut de dispensatione super illegitimis natalibus superius concluſimus. aliàs manifestè sequeretur aliquod Juris inconveniens, quod nimirum delinquens ex delicto commodum reportaret, & esset melioris conditionis, quam irregularis non delinquens. E. g qui semel tantùm ceu assessor in Judicio sæculari votum justum in causa sanguinis dedisset ad summum Pontificem, ille verò, qui aliquem, non quidem voluntariè sed culpa saltem levi occidisset, ad Episcopum pro dispensatione mittendus foret; similiter qui duas Uxores legitimas duxisset, non posset dispensari ab Episcopo ad ordines suscipiendos, & tamen posset, qui unam legitimam, & alteram de facto duxisset per polygamiam. Dices, si hoc voluisset Concilium non feciſet *delicti* mentionem, sed generaliter dixisset Episcopum in irregularitatibus dispensare posse. R. mihi videri id maximè ex ea causa factum esse, quòd Trid. ibidem non tantùm de *irregularitatibus*, sed simul *censuris* Papalibus loquatur, quæ *sine delicto* & quidem mortali non incurruntur, ut propterea vocabulum *delictum* censuras maxime respiciat.

51 II. Requiritur ut irregularitas sit *occulta*, ubi licet Garcias. *de benef. parte* 7. *c.* 11. *n.* 46. & alii censeant, *delictum occultum* in præsenti materia dici, quòd non potest probari juridicè per testes duos;

duos; benignior tamen, & magis communis est sententia cum Nav. *in man. c.* 27. *sub n.* 254. Piasecio *d. c.* 1. *n.* 56. hoc loco dici *occultum*, quod arbitrio prudentis Viri non est notorium apud plerosque & divulgatum, licet possit probari per aliquot testes, & sufficit tergiversatione aliqua celari posse, *arg. cap. fin. de Cohab. Cleric.* Item *radicem delicti* esse attendendam, & ideò Episcopum dispensare posse in irregularitate, quam contrahit excomunicatus celebrans, quando excomunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta cum communi docent Nav. *Conf.* 2. *De Clerico non ordinato ministrante*, & Piasecius *d. loco.*

Quod si delictum sit publicum in loco ubi commissum, sed occultum in loco ubi dispensatio petitur, an tunc Episcopus dispensare possit, diversæ sunt Doctorum opiniones apud Barb. *in Collect. ad dictum caput 6. Trid. n.* 26. Putarem ad mentem verosimiliorem Concilii has discordantias in hunc fere modum componi posse, ut si dispensandus regressurus sit ad locum delicti, & ibi victurus, obtineat sententia *negativa*, foret enim non nihil scandalosum, publicè ibidem scire delictum, & irregularitatem, & non scire canonicam dispensationem; *affirmativa* verò, si vel in loco dispensationis, vel alibi in divinis ministraturus sit, ubi arbitrio Episcopi non esset proximum divulgationis periculum, aut delictum valde grave & enorme.

Tertium requisitum est, *ne delictum sit deductum ad forum contentiosum*, id est, quòd irregula- 52

Cathedraticum, charitativum ſubſidium & portionem Canonicam, &c. ita etiam intelligendum eſt, quòd dici ſolet, omnia Monaſteria regulariter eſſe exempta *à lege Diœceſana Epiſcopi*, excepta procuratione viſitationis. *c. venerabili. de cenſibus.* & portione Canonica, *c. requiſiviſti. verſ. ſecus autẽ de teſtamentis.* non verò à *lege juriſdictionis*, niſi ſpeciali Privilegio vel præſcriptione munita ſint. qua de re dixi de Privilegiis Monaſteriorum. Privilegio 3.

38 Licet porrò Epiſcopus non conſecratus ea, quæ ſunt *Ordinis* per ſe exercere nequeat, poteſt tamen alteri Epiſcopo delegare, ſeu licentiam concedere, ut loco ſui ordinationes, conſecrationes aliaque quæ Ordinis Epiſcopalis ſunt peragat, *textus & interpretes in c. ſuffraganeis* 11 *de electione.* eſt enim delegatio actus juriſdictionis, quam Epiſcopus per Canonicam electionem, inſtitutionem, & confirmationem citra etiam conſecrationem conſequitur. Non obſtant regulæ juris, quod quis per ſe non poteſt id etiam non poteſt per alium; Item nemo poteſt plus juris in alium transferre, quam ipſe habeat. *Leg. nemo poteſt. ff. de Reg. Juris*, nam R. cum Panorm. *in c. 1. de translatione Epiſcopi. n.* 10. has Regulas procedere, ſi delegatus id, quod facit, ex mero jure delegantis facere debeat, ut ſi alicui de cætero nullam Juriſdictionem habenti Epiſcopus cauſam judicialem cõmittat, ſecus verò, ſi delegatus habeat prius propriam poteſtatem & habilitatem ad actum exercendum, & tantum deſit ipſi licentia reſpectu loci. Quod

Quod si Episcopo ab alio æquali vel inferiori 39
Prælato intra fines suæ Diæcesis super illis quæ ad Ordinem vel Jurisdictionem Episcopalem pertinent, lis moveatur prætendendo aliqua Episcopalia jura, vel exemptionem à Jurisdictione Episcopi, onus probandi non incumbet Episcopo quamvis actor sit, sed alteri adversario suo, quia Episcopus habet fnndatam præsumptionem in jure pro se, quod omnia ista ad ipsū pertineant, nisi contrarium ostendatur. *c. Conquerente. de Officio Ordinarij. c. cum non liceat. c. cum olim. de præscript. c. cum personæ. de Privilegiis in 6.*

Limites autem & fines Diæcesium assignare, 40
restringere, vel extendere nec ad Episcopum, nec Archiepiscopum, sed ad summnm Pontificem pertinet. Ideo notabilem decisionem ponit AloysiusRiccius *in praxi fori Eccles. Asticn. dec. 542. in veteri editione.* quod Archiepiscopus Neapolitanus non potuerit concedere domum Episcopo Aversano in Civitate Neapolitana, eamque efficere Diæcesis Aversanæ, ut Episcopus Aversanus in tali domo Neapoli ob majorem suam commoditatem habitando diceretur residere in loco suæ Diæcesis ad evitandas pænas juris præsertim Concilii Trid. *sess. 23. c. 1.* contra non residentes Episcopos latas.

Præterea cum Episcopi & Ecclesiarum Præla- 41
ti per sanctum Spiritum constituti sint, ut evellant & dissipent vitia subditorum, ècontra ædificent, & plantent virtutem, & Religionem Christianam, ideò de Jure incnmbit Episcopo,

ut

ut propriam Diæceſin per ſe ipſum, aut ſi legitimè impeditus fuerit per ſuum generalem Vicarium ſingulis annis viſitet, & ſi quot annis totam propter ejus latitudinem viſitare nequeat, ſaltem majorem ejus partem viſitare non prætermittat, ut tota viſitatio biennio compleatur. *Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* :. ſed quia hoc decretum licet ſaluberrimum Ordinariis ſatis moleſtum, & Eccleſiis ob procurationem, ſeu ſumptus viſitantibus præſtandos nonnihil grave videtur, propterea hæc Diæceſis in plurimos Archidiaconatus & Decanatus diſtributa eſt, in quibus Archidiaconi, & Decani certis temporibus debent ſynodos & viſitationes peragere, ac omnia acta, & qualiter cura animarum ubique adminiſtretur ad Conſiſtorium tranſmittere, quo remedio adhibito poſſunt Ordinarii excuſari rarius generales viſitationes inſtituendo, dummodo non prorſus tollantur.

A Metropolitanis verò etiam poſt plenam, & totaliter viſitatam propriam Diæceſin non debent viſitari Cathedrales Eccleſiæ, neque Diæceſes ſuorum Suffraganeorum, ſeu Comprovincialium, niſi ex cauſa, quæ in Concilio Provinciali pri⁹ cognita & approbata fuerit. Trid. *d c.* 3.

42 Cæterum quia ſæpe fit, ut rei criminum ad evitandas pænas & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia querelas & gravamina ſimulent, ac per appellationem ad ſuperiorem Epiſcopi proceſſum impedire nitantur, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto ad iniquitatis defen

ſionem

Digitized by Google

sionem abutantur, constituit idem Conc. Trid. *sess. 13. de reform. c. 1.* ut causas visitationum, correctionum morum, aliásque criminales ante definitivam sententiã nulla appellatio impediat, vel suspendat, nisi tale gravamen alicui inferatur, quod per definitivã nequeat reparari.

Item etiam si Episcopus procedat contra exemptos, aliosque Privilegiatos in casibus à Jure non permissis dari, & amitti debere appellationem refert Barb. *in Collect. ad d Caput. 1. n. 1.* videatur quoque elegans textus & adhortatio ad Episcopos in *eodem c. 1* qualiter in correctione juxta monitum Apostoli debeant potius esse pastores, quàm percussores, arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, & patientia, nisi quatenus delicti gravitas, vel delinquentis contumacia ad aliorum terrorem acriorem subinde castigationem requirit. alia de visitationum materia in tit. de censibus. traduntur.

Ulterius ad Officium Episcopi pertinet Synodum, seu Concilium convocare. sunt autem 43
Concilia alia *generalia*, sive *Oecumenica* totius Ecclesiæ, alia *Provincialia*, & alia *diœcesana*, Cõncilia *generalia* tantùm Authoritate summi Pontificis legitimè congregantur, quibus extra urbem non solet per se, sed per Legatos suos interesse, aliter verò congregata Concilia illegitima & nullius authoritatis habenda sunt. Legitur quidem aliquando ab Imperatoribus congregata fuisse Concilia, id tamen vel de facto attentatum fuit, vel Ecclesiâ præcipiente, rogante,

gante, vel approbante, ut patet *ex dist.* 17. *per totam*, ut nimirum Imperatores suâ potentiâ, & brachio sæculari Concilii libertatem & authoritatem manutenerent ac defenderent, si contingeret, quod absit, Papam de hæresi diffamatum vel suspectum esse, nolleque Concilium generale convocare, vel schisma in Ecclesia oriri, tunc Concilium per Cardinales, vel saltem duas eorum partes, illisque negligentibus vel recusantibus per Patriarchas, & his etiam nolentibus per Imperatorē & alios Prælatos Ecclesiasticos convocari posse tradit Sylvest. *V. Concilium. n.* 6. *&* 7. ubi etiam dicit, videri quidem esse in arbitrio Papæ quos & quot velit ad Concilium vocare, nec esse curandum de diminuto numero propter illud Christi, *Matthæi* 18. *ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego, &c.* si tamen causa fidei ad extirpandas hæreses, & schismata tractetur, omnes tunc Catholicos Episcopos vocari debere ait, cum omnes tangat & concernat.

44 Cæterum verò Concilium non est supra Papam sed ab ejus Authoritate & approbatione dependet, nec ei potest legem præfigere, nec appellationem ab eo recipere. *c.* 4. *de elect. junct. Bullâ: Cœnæ Domini* nec etiam absolutè loquendo in definitione Articulorum fidei necessariò à Concilio dependet, ut tradunt communiter Doctores apud Cajetanum *Opusculo de Authoritate Papæ* quia Christus dum *Matthæi* 16. promisit *Ec-*

clesiam

cleſiam ſuam ſundare ſupra Petrum, contra quem Portæ inferi, & conſequenter errores, *non prævalerent*, non reſtrinxit poteſtatē Petri, & ſucceſſorum ejus ad generale Concilium. ſolent tamen Pontifices pro majori populi Chriſtiani ædificatione, & fiduciâ Conciliorum ſententiæ plurimum tribuere, nec facilè ab ea recedere, neque eorum decretis ſine ſpeciali clauſula, & mentione derogare. unde communiter etiam dicunt Doctores, quod conſtitutioni vel Cano- 45
ni in aliquo Concilio generali edito non cenſeatur per reſcriptum Pontificium contrarium derogatum, niſi quatenus de eo mentionem facit. colligitur *ex c. nonnulli. ubi Felinus n. 3. de reſcriptis.* Sanch. *de Mat. lib. 3. diſput. 26. n. 7.*

Concilia provincialia convocat Metropoli- 46
tanus per ſe ipſum, aut eo legitimè impedito Suffraganeus antiquior ſingulis trienniis poſt octavam Paſchæ, aut alio commodiore tempore pro more cujuslibet Provinciæ.

Ad hoc Concilium vocandi ſunt omnes Suffraganei Archiepiſcopi, item Epiſcopi nulli Archiepiſcopo ſubjecti aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligere, in ejuſque Synodo Provinciali cum aliis intereſſe & quæ ibi ordinata fuerint obſervare debent. *Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 2.* Prætrerea etiam vocandi ſunt alii omnes, quibus de Jure vel conſuetudine competit, ut interſint. *Trid. d. l.* competit autem Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, maximè circa illa negotia, quæ ipſa Capitula principaliter

concernunt, *c. fin. de his, quæ fiunt à Prælatis*, nè tamen Ecclesiæ divino officio destituantur, si omnes Canonici ad Synodum Provincialem abirent, ideò sufficit nomine Capituli mittere Procuratorem. *d. c. fin. ubi Pavor. n.* 4. hunc verò Procuratorem non habere in Concilio vocem *decisivam*, quæ tantùm Prælatis competit, sed *consultivam* cum pluribus tenent Quaranta *in summa Bullarii. v Concilium Provinciale. vers. quarto.* Abbates ad Concilium Provinciale regulariter quidem cogi non debent, *c. Episcopus.* 11 *dist.* 19. sed pertinent ad synodum Diœcesanam, expedit tamen eis, ut veniant propter statuta, quæ ibidem fiunt quandoque in eorum præjudicium, quæ præsentes tunc facilius impedire, quàm ex postfacto in Synodo diœcesana reclamare possunt. *Joan. Honorius in tit. de Constitut. n.* 6. illi verò Abbates, qui habent populum, & territorium proprium, & Jurisdictionem quasi Episcopalem intra ambitum alicujus Provinciæ etiam ad Concilium Provinciale comparere debent. ita intelligendus est textus *in c. sit Apostolica. de privilegiis. in* 6. Quaranta. *d. loco vers. quæro tertio.*

47 Concilium Diœcesanum celebrare debet Episcopus in suâ diœcesi in primis ad recipienda Concilii Provincialis decreta intra sex menses postquam Synodus Provincialis absoluta fuit, & deinde singulis annis. *Trid. d. loco c. fin. dist.* 18. Ad hanc Synodum tenentur accedere omnes Abbates, qui nec populum, nec Jurisdictionem quasi Episcopalem habent propter quæ ad Provincia-

Digitized by Google

vincialem vocentur. Imò etiam Abbates exempti, si membra habeant, id est, capellas, vel Parochias non exemptas, eorum membrorum intuitu ad Synodum Diæcesanam accedere, & Episcopo pro non exemptis membris reverentiam & obsequium exhibere tenentur, honore tamen sibi præ aliis Abbatibus servato, ut primum post Episcopum locum obtineant. *c. ex ore.* 17 *de Privilegiis.* Porrò materia in his Conciliis tractanda est reformatio, vel conservatio status Ecclesiastici, & rectæ administrationis curæ animarum, ut morum fiat moderatio, excessus corrigantur, controversiæ componantur, & Ecclesiarum indemnitati consilio salubri provideatur, Ritus autem & Cæremoniæ faciendi Synodum diversæ sunt pro locorum diversitate, videri poterunt apud Barb. *De officio Episcopi. parte 3. alleg. 93.* Quaranta; *v. Concilium provinciale, & Verbo. Synodus Diæcesana.*

Pertinet etiam ad officium, & potestatem 48
Episcopi quandoque in Jure dispensare, circa quam potestatem aliqua notanda sunt.

Primò quàmvis nonnulli cum Gloss. *in c. at si Clerici. §. de adulteriis. De judic.* & Piasecio *in praxi Episcop. parte 1. c. 1. sub n. 60.* censeant, Episcopum posse dispensare in omnibus casibus, in quibus non est ei expressè prohibitum, probabilius tamen est, & receptius, Episcopum in Jure communi dispensare non posse citra Juris permissionem, Privilegium, vel c[illegible]suetudinem, si enim juxta notam Juris regulam, *res eo modo dissolvi debet*

Digitized by Google

quo colligata est, l nihil tam naturale. 35. ff. de R. I. sanè quia Episcopus legem Canonicam non tulit, eam dissolvere non poterit; nec congruit ut inferior subditus Legislatoris, & qui ejusmodi legi obedire tenetur pro suo arbitrio in lege dispenset. *c. cum inferior. de majoritate & Obedientia. c. dilectus de temporibus ordinat. Clem. ne Romani. in princ. De Electione*, Illud quoque dictum inter Doctores vulgare, quòd Episcopus in sua Diœcesi possit ea, quæ S. Pontifex in tota Ecclesia, intelligendum est cum debita subordinatione, ut jam superius explicatum est.

49 II. Tunc igitur regularitet, & sepositis specialibus privilegiis & consuetudinibus dispensatio competit Episcopo, quando ei à lege sive Canone expressè, vel tacitè permittitur. *Expressæ* permissionis exempla habentur *in c. 1. De filiis Presbyterorum. in 6. c. sane. De cler. conjug. c. at si Clerici. de judic. in Trid. sess. 24. de refor. c. 6. & pluribus aliis locis.* Ex quo ipso argumentum satis luculentum pro priori assertione desumitur; frustra enim canones in certis casibus expressè dispensationem concederent, si aliàs de Jure Episcopo competeret. *Tacitè* permissam dispensationem Episcopo censent Doctores, quando textus Canonis *impersonaliter* loquitur, v. g. *dispenset ur, dispensativè, possit dispensari &c.* non adjiciendo per Sedem Apostolicam, vel Romanum Pontificem, ut in *c. præterea. De ætate & qualitate c. 2. De eo, qui cognovit. & c. Postulastis. ubi Gloss. & Doctores de Clerico excommunicato.* tunc enim quia gratis concederetur dispen-

Digitized by Google

ſpenſatio Papæ, cui aliàs competit, & leges accipi debent de caſibus dubitatis. *Leg. 2. ff. ad municipalem.* cenſetur propterea illa facultas diſpenſandi data interv[illegible]s Prælatis, quibus de Jure non competeret. *Panor. in c. ultimo. de poſtul. Prælatorum Barb. de offic. Epiſcopi, parte 2. Alleg. 24 n 21.*

In allegato porrò *c. 6 Trid.* ubi notabilis & ampla poteſtas diſpenſandi *in omnibus cenſuris & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto occulto homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentioſum*, conceditur Epiſcopo, advertendum eſt, quòd ad hanc facultatem tria concurrere debeant. 50

I. Ut irregularitas ſit ex delicto, ideóque ex communi Interpretatione apud Barb. *in Collect. ad idem Caput 6. n 24.* Epiſcopus diſpenſare non poterit, ſi aliunde proveniat v. g. in Bigamia, ex judicio ſanguinis juſto, & illegitimis natalibus. Nomine quoque delicti etiam leviſſima culpa intelligitur tanquam in ordine ad diſpenſationem & materiam favorabilem, *l. in lege. 40. ff. ad Legem Aquiliam.* Sed planè exiſtimo, aliquem erroris damnari non poſſe, qui generaliter doceret, Epiſcopum in quacunque *irregularitate occulta* rectè diſpenſare; cum enim hæc facultas diſpenſandi ſit privilegium nemini præjudicans, Epiſcopis & diſpenſandis favorabile, latius interpretari convenit, ut *delicti* nomine non tantùm veniat peccatum in genere moris, vel contra præceptum, ſed etiam de-

fectus in virtute, perfectione, lenitate & similibus, ut in Bigamo, Judice sanguinis &c. & delictum non tantùm ipsius irregularis, sed etiam alterius, qui irregularitati causam dedit, sicut de dispensatione super illegitimis natalibus superius concluſimus. aliàs manifestè sequeretur aliquod Juris inconveniens, quod nimirum delinquens ex delicto commodum reportaret, & esset melioris conditionis, quam irregularis non delinquens. E. g qui semel tantùm ceu assessor in Judicio sæculari votum justum in causa sanguinis dedisset ad summum Pontificem, ille verò, qui aliquem, non quidem voluntariè sed culpâ saltem levi occidisset, ad Episcopum pro dispensatione mittendus foret; similiter qui duas Uxores legitimas duxisset, non posset dispensari ab Episcopo ad ordines suscipiendos, & tamen posset, qui unam legitimam, & alteram de facto duxisset per polygamiam. Dices, si hoc voluisset Concilium non feciſet *delicti* mentionem, sed generaliter dixisset Episcopum in irregularitatibus dispensare posse. R. mihi videri id maximè ex ea causa factum esse, quòd Trid. ibidem non tantùm de *irregularitatibus*, sed simul *censuris* Papalibus loquatur, quæ *sine delicto* & quidem mortali non incurruntur, ut propterea vocabulum *delictum* censuras maxime respiciat.

51 II. Requiritur ut irregularitas sit *occulta*, ubi licet Garcias. *de benef. parte 7. c. 11. n. 46.* & alii censeant, *delictum occultum* in præsenti materia dici, quòd non potest probari juridicè per testes duos;

duos; benignior tamen, & magis communis est sententia cum Nav. *in man. c.* 27. *sub n.* 254. Piasecio *d. c.* 1. *n.* 56. hoc loco dici *occultum*, quod arbitrio prudentis Viri non est notorium apud plerosque & divulgatum, licet possit probari per aliquot testes, & sufficit tergiversatione aliqua celari posse, *arg. cap. fin. de Cohab. Cleric.* Item *radicem delicti* esse attendendam, & ideò Episcopum dispensare posse in irregularitate, quam contrahit excomunicatus celebrans, quando excomunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta cum communi docent Nav. *Conf.* 2. *De Clerico non ordinato ministrante.* & Piasecius *d. loco.*

Quod si delictum sit publicum in loco ubi commissum, sed occultum in loco ubi dispensatio petitur, an tunc Episcopus dispensare possit, diversæ sunt Doctorum opiniones apud Barb. *in Collect. ad dictum caput 6. Trid. n* 26. Putarem ad mentem verosimiliorem Concilii has discordantias in hunc fere modum componi posse, ut si dispensandus regressurus sit ad locum delicti, & ibi victurus, obtineat sententia *negativa*, foret enim non nihil scandalosum, publicè ibidem scire delictum, & irregularitatem, & non scire canonicam dispensationem; *affirmativa* verò, si vel in loco dispensationis, vel alibi in divinis ministraturus sit, ubi arbitrio Episcopi non esset proximum divulgationis periculum, aut delictum valde grave & enorme.

Tertium requisitum est, *ne delictum sit deductum ad forum contentiosum*, id est, quòd irregula- 52

igitized by Google

tis non sit conventus in judicio, vel criminaliter, vel civiliter; subest namque periculum, ne reus condemnetur, & ita delictum ejus fiat notorium notorietate Juris. Dubitant quidem hoc loco Doctores, an ut dicatur delictum ad judicium deductum debeat non tantùm citatio, sed etiam litis contestatio interveniſſe? mihi tamen probabilius videtur, solam citationem sufficere, tum quod regulariter per citationem dicatur judicium captum. *c. relatum. c. gratum. de officio delegati. junctо c. fin. de officio legati.* Tum quòd utique periculum divulgationis apertè subsit, quando quis ex causa delicti in judicium vocatur. Verùm hic notandum est, ad Episcopum redire Jus dispensandi, si judicium quoquo modo progressum non habeat actore fortè ab agendo desistente, vel reo ex defectu probationum absoluto, eò quòd tali casu nullâ subsecutâ sententiâ delictum occultum maneat. *Riccius in Praxi fori Eccles. p. 1. Resol. 459.*

53 Tertiò per quandam *Epyckiam*, seu benignam interpretationem, & tacitum sive præsumptum consensum Pontificis dispensare potest Episcopus, tametsi nec expressè nec impersonaliter concedatur, quando materia & negotium, de quo quæritur esse leve, & parvi momenti, & quando si expectandus foret Papalis consensus, magnum timeri posset scandalum, vel animarū periculum, vel aliàs urgens necessitas, difficilis ad Papam aditus, vel notoria supplicantis paupertas subesset. *Nav. in Manuali. cap. 22. n. 85.*

Zerol.

Zerola. in Praxi Episcoporum. Verbo. dispensatio. q. 5. prout in impedientes Matrimonium, postquã bona fide *contractum est*, vel ubi periculum in mora, dispensare posse Episcopum *in lib. 4 in tit. 14. tradidimus*. Imo etiam ad Matrimonium *contrahendum* ex his Principiis dispensare posse Episcopum docet Sanch. *De Matrimonio. lib. 2 disput. 40. n. 7.* saltem in casu maximæ necessitatis, ubi v. g. ex imperitia mulieris impedimentum criminis, aut affinitatis ex copula fornicaria hactenus dissimulatum circa diem nuptiarum omnibus jam paratis, Confessario detegeretur, nec posset nuptiæ sine infamia differri, aut alius modus evadendi arbitrio prudentis viri inveniri.

IV. Quando dubium est Juris aut facti, an res egeat dispensatione militantibus in utramque partem probabilibus rationibus, licere Episcopo dispensare secundum probabilem quorumdam sententiam, tradit Eman. Saa. *verbo Dispensatio n.* 1. sed nullam in hoc casu propriè dictam Dispensationem, tanquam à legibus non concessam, solam vero declarationem ad evitandũ scandalum & meliorẽ cautelam admittit Sanch. *de Matrim. lib. 8 disp. 6. n. 18.* qui duas limitationes potissimum circa dubium facti apponit nimirum primò, ut si majores præsumptiones sint pro impedimento, non possit Episcopus declarare; v. g. si aliqui testes deponant, nullam esse inter contrahentes consanguinitatem, alij verò plures numero, opinione integriores & pluribus indiciis adjuti affirment consanguinitatem. Secundò, 54

cundò, ut etiam ſemel data declaratione nullum eſſe impedimentum, ſi ex poſtfacto appareat, re-vera ſubeſſe impedimentum, debeat de novo diſpenſatio impetrari ab eo, qui diſpenſandi po-teſtatem habet, poſſet tamen pro priori ſententia dici, diſpenſationem in Materia dubia concedi Epiſcopo per quandam Epikiam & præſumptam mentem S. Pontificis ob communem hominum utilitatem, ſi enim in dubio conceditur Epiſco-po declaratio, nimis grave & cum frequenti ſcandalo conjunctum videtur, ut apparente ex poſtfacto certitudine omnes illi actus ad talem declarationem præviam bona fide celebrati in-validi proclamentur.

55 Sed quid ſi Epiſcopus ipſemet contrahat irre-gularitatem cenſurã vel caſum occultum indi-gentem diſpenſatione, & in quo cum ſubdito diſpenſare poſſet, ánne etiam ſecum ipſo diſpen-ſare poterit?

Ratio dubitandi eſt quod nemo regulariter poſſit Jurisdictionem in ſe ipſum exercere, ſicut nec ſibi ipſi beneficium conferre. *c. fin. de inſtitu-tionibus.*

Nihilominus dicendum eſt, Epiſcopum in ta-li caſu non habere neceſſe ut in ſe ipſum propriè jurisdictionem exerceat, ſed poſſe declarare per quandam præſumptionem & benignam Canonũ interpretationem, quòd non ſit obligatus illa le-ge, à qua poſſet hic & nunc ſubditum immunem pronuntiare, ne ſit deterioris conditionis quàm ſubditus, qui tali caſu non teneretur Romæ diſ-

penſa-

penſationem impetrare, ſecurius autem erit, ſi Epiſcopus ſuo Confeſſario poteſtatem ſe abſolvendi dederit, quamvis enim nemo poſſit in ſe Jurisdictionem exercere, alteri tamen poteſtatem in ſe exercendi dare poteſt, ſicut idem facit S. Pontifex, cum non habeat in terris ſuperiorem cujus Jurisdictioni ſubſit, dat ſuo Confeſſario in ſe Jurisdictionem. videatur Laym. *in tract. legum. c. 22. n. 30. & ſeq.*

Epiſcopos cæterùm in ſuis Diæcæſibus honorare & revereri ut Patres & paſtores debent non tantùm Principum miniſtri, ſed & ipſi Principes quicunque ſæculares. Prout Concilium quoque Trid. *ſeſſ. 25. de ref. c. 17.* mandat, ut Epiſcopi hunc ſuum honorem & prærogativam omni meliori modo conſervare ſtudeant, ne quid Epiſcopali dignitati decedat. 56

§. VI.

De Prothonotarijs Apoſtolicis & alijs Inferioribus Prælatis & Clericis.

SUMMARIA.

57. *Prothonotarii qui, & quæ participantium prærogativa.*
58. *Prothonotarii Titulares.*
59. *Prothonotariorum beneficia ſintne reſervata.*
60. *De Vicario, eiusque præcedentia.*
61. *Capituli Cathedralis Eccleſiæ præcedentia.*
62. *Abbatum prærogativa, & ibi de Præpoſitis & Decanis.*
63. *Clericorum inferiorum prærogativa inter ſe.*
64. *Ordinum Regularium inter ſe prærogativa.*
65. *Præcedentiarum lites inter perſonas Eccleſiaſticas componit Epiſcopus.*

Poſt

57 POst Episcopos in Curia Romana dignitate proximi sunt *Prothonotarii Apostolici participantes à proto* græcè; id est, primus, latinè. Unde & S. Stephanus Pro-Martyr dicitur. Creduntur primitus à Clemente I. ad conscribenda SS. Martyrum gesta instituti.

Dico autem *participantes* in isto gradu constitutos qui scilicet actu serviunt, & Romæ expediunt Bullas Ecclesiarum ac Monasteriorum. Horum Collegium olim ex 7. constiterat, hodiè verò per Sixtum V. in Bulla. *Romanus Pontifex* ad 12. ampliatum est. Idemque Pontifex in alia Bulla, quæ incipit: *laudabilis* diversis privilegiis hos Prothonotarios honoravit, ut Privilegio creandi Doctores, & Notarios publicos, legitimandi spurios, testandi de bonis Ecclesiasticis, exemptionis, plenæ præcedentiæ, & pluribus aliis.

58 Alii autem sunt Prothonotarii non participantes, sive honorarii, & titulares, quibus non competit tanta prærogativa ante alios Prælatos, præferuntur tamen Clericis inferioribus specialem Prælaturam vel dignitatem non habentibus, conceditur quoque ipsis facultas deferendi aliquem habitum Prælatorum, gestandi rochetum & mantelletum tam nigri coloris, quam violacei, utendi pileo super suis insignis gentilitijs; & censentur etiam in aliqua dignitate, ita ut *jux c. statutum. de rescriptis. in 6.* causæ Papales ijs delegari possint. Subsunt tamen Jurisdictioni Episcopi saltem, ut sedis Apostolicæ

stolicæ delegati, *Trid. sess. 24. de refor. c. 11.* Neque etiam possunt uti annulo in missa, nec paramenta sumere de altari, sed in Sacristia, nec benedictiones paramentorum facere, vel alijs ceremoniis Abbatum & Prælatorum propriis uti. videatur Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi parte 4. consideratione* 29. Barb. *Iur. Eccles univ. lib.* 59
1. cap. 23. ubi *n. 37.* Prothonotariorum beneficia etiamsi illi non sint de numero participantium, sed ad instar. vel à Legatis creati esse reservata per Extravag. *ad Regimen* & Reg. 1. Cancell. firmátque ex variis Rotæ decisionibus. Verùm licet d. Extravag. generaliter nominet *Notarios Sedis Apostolicæ*: Quia tamen verba sumenda sunt cum effectu. *c. relatum. De Cler. non resid.* & in propria significatione præsertim in tali materia, quæ facultates Ordinariorum circa collationem beneficiorum restringit, Prothonotarij autem titulares non participantes non videantur Prothonotarii cum effectu, cum officium non gerant, dubito utrumtam larga d. Extrav. interpretatio ubique recepta sit. Usus locorum hac in re attendendus erit.

DE VICARIO EPISCOPI.

VIcario Episcopi tanquam principali ejus- 60
dem ministro de Jure deberi præcedentiam ante omnes alios Canonicos & Clericos etiam in dignitate constitutos notat Nav. *Consilio 1. De majo. & obedientia.* Consuetudo tamen in varijs locis invaluit, ut Canonici Cathedralis Ecclesiæ Vicarium præcedant, vel certè, si ipse quoque

Ca-

Canonicus sit, propter hoc officium specialem præcedentiam non habet, eámque consuetudinem valere defendit Nav. *d. l.* consequenter etiam dicendum, quod Abbates in his locis & cásibus, in quibus juxta mox dicenda præcedunt Canonicos, præcedant quoque Vicarium, secundum vulgatum axioma; *si vinco vincentem te, multò magis vinco te.* præsertim verò Vicarius foráneus non potest talem præcedentiam prætendere, cum non dicatur propriè in dignitate constitutus. *Clem. 2. de rescriptis.*

DE CAPITULO CATHEDRALIS ECCLESIÆ.

61 CApitulum Cathedralis Ecclesiæ, quia unum corpus cum Episcopo constituit, eoq; mortuo in Episcopalem Jurisdictionem succedit, reliquis ordinibus & statibus Ecclesiasticis inferioribus supereminet, nisi quidam inferiores Prælati ex privilegio vel præscriptione anteponantur, sed hoc si Capitulum sit collegialiter congregatum, singulis verò & separatis Canonicis ratione dignitatis & muneris pastoralis præferuntur Abbates & Præpositi ut mox dicam, alia quæ ad potestatem & Jura Capitulorũ pertinent in Tit. 30. & duobus seqq. explicabuntur.

DE ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, ET DECANIS.

62 ABbates propter Jurisdictionem ordinariam, quam habent in suos subditos, & usum Pontificialium, | cùm multum eleventur

super

ſuper cæteros Presbyteros & Clericos, & valde prope ad Epiſcopos accedant, præferuntur cæteris Clericis etiam in dignitatibus ſæcularibus inferioribus ab Epiſcopo conſtitutis, & ipſis quoque Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, *ſi ſingulariter* & non, ut paulò ante dictum, *collegialiter* ſive *capitulariter* incedant, *Pan. & Pec. in c. decernimus. deludit. Caſſan. in Cathal. gloriæ mundi p. 4. conſid. 32. Nav. de major. & obed. conſ. 4. n. 2.* Inter ipſos autem Abbates præferuntur exempti non exemptis, & habentes inſignia pontificalia mitram & baculum illa non habentibus. *c. ex ore. 17. de privilegiis.*

Inter pares præcedunt prius ad Abbatias promoti, ſicut inter pares Epiſcopos de Jure (niſi conſuetudo aliud introduxerit) præcedere debet, qui prius in Epiſcopum ordinatus eſt, tametſi Eccleſia poſtea promoti dignior ſit. *Barb. t. ad Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regularibus c. 13. n. 2.* huc pertinent ea quæ de Jurisdictione aliisque Abbatum Juribus tradidi in Libello de privilegiis Monaſteriorum, quod forſan ſuo tempore Deo dante auctius in lucem prodibit. interim ubi caſus evenerit recurrendum erit ad Tamburinum, qui inſignes Tractatus *de Iure Abbatum, & Abbatiſſarum* conſcripſit.

Porrò quod de Abbatibus dicitur, etiam intelligendum eſt de *Præpoſitis* Regularium Eccleſiarum, qui Abbatum loco habentur.

Præpoſiti quoque Eccleſiarum ſæcularium & Collegiatarum habent dignitatem & Juris-

di-

Digitized by Google

dictionem in illos qui ſunt de illa Eccleſia. *Barb. Iur. Eccleſ. univ. Lib. 1. cap. 28. n. 19.* docet tamen Panorm. *in c. ſi quis contra. in 2. repet. n. 50. de foro comp. poſt Innoc. in c. 3. n. 5. & c 7. n. 2. de offic. Ord.* cum Prælatis ſæcularium Eccleſiarum concurrentem Jurisdictionem habeat Epiſcopus. niſi Jure ſpeciali vel conſuetudine talis Prælatus haberet Jurisdictionem generalem ſicut Abbas. *Pan. in c. ne pro defectu. 41. ſub n. 5. de elect.*

De Decanis vid. Barb. *d. l. cap. 26.* ubi dicit eos de Jure communi non habere propriè dictam jurisdictionem, ſed ſæpiùs ex conſuetudine locorum. videantur etiam, quæ dicemus inferius ad Tit. *de offic. Archipresb.*

DE INFERIORIBUS CLERICIS ET RELIGIOSIS.

63 INter Clericos ſæculares qui ſunt inferioris gradûs illi præferuntur, qui vel dignitate & officio aut Sacro ordine reliquis majores ſunt. Idem Judicium eſto de Regularibus Ordines Clericales habentibus. Imò dignitas ordinantis aliquando honorem præ cæteris confert ordinato, ut in *c. per tuas 7 h. t.* dicitur, decens eſſe, ut Epiſcopus illis Clericis inter alios ſuos ſubditos honorem deferat, quos ipſe S. Pontifex Collatione ordinis honoravit. Canonici quoque Cathedralium Eccleſiarum, non tantum ſi Collegiati Capitulum conſtituant, ſed etiam ut ſinguli reliquis Clericis anteponuntur, & in ſpeciali honore ſunt, ita ut eis cauſæ per

ſedem

ſedem Apoſtolicam delegari poſſint, quod non inferioribus Clericis. *c. ſtatutum* 11. *de Reſcriptis. in* 6. de quibus plura in *Lib.* 3. in Tit. *de Clericis non reſid.*

Circa præcedentiam Ordinibus Regularium competentem plures obſervationes ponuntur à Doctoribus, ita ut una Religio dicatur excellentior & dignior altera ratione finis, ſecundùm quem multorum judicio præſtantior habetur Religio quæ ordinatur ad prædicandum & docendum, quàm quæ in ſola contemplatione quieſcit, quia quamvis prædicare & docere ſit actus vitæ activæ, procedit tamen ex plenitudine contemplationis. Et facit illud Evangelii, *qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur.* Item excellentia Religionis aliquando judicatur à dignitate ejus qui inſtituit, & etiam à pluralitate Religioſorum, qui ſub aliqua Regula, vel in aliquo Monaſterio vivunt. Maximè autem in ordine ad præcedentiam conſideratur Religionis antiquitas, & prior à ſede Apoſtolica approbatio ut videre eſt apud Caſſaneum *ſæpè d.* 4. *conſideratione.* 52. *& ſequenti* : Mendicantes quoque debere dare præcedentiam Ordinibus non mendicantium, ex deciſione Congregationis Rituum refert Barb. *de Officio Epiſcopi. alleg.* 78. *n.* 37. *in fine.* Specialiter circa præcedentiam Ordinum mendicantium inter ſe, & etiam Confraternitatum Laicorum in proceſſionibus extat declaratio Greg. XIII. quam refert Quaranta : *in ſumma bullarii. in verbo præcedentia.* quòd vi- 64

delicet illi præcedere debeant, qui ſunt in quaſi poſſeſſione juris præcedendi, (poſſeſſio enim & conſuetudo in materia præcedentiarum plurimùm attenditur) quòd ſi nulla poſſeſſio probari poſſit, tunc ex Ordinibus mendicantium prærogativam habent, qui priùs in illo loco monaſterium obtinuerunt; ex Confraternitatibus verò præcedunt illæ, quæ priùs ſacris uſæ ſunt, vel in loco erectæ.

65 Ex Conſtitutione Concil. *Trid. ſeſſ.* 25. *de Regularibus. c.* 13. Epiſcopus poteſt & debet controverſias omnes, quæ ſæpè oriuntur, cum ſcandalo inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares, quàm Regulares tam in proceſſionibus publicis quàm in aliis actibus amota omni appellatione & non obſtantibus quibuſque componere. *vid. Barb. d. alleg.* 78. *à n.* 27.

§. VII.

De Obedientia.

SUMMARIA.

66. *Obedientia debetur ſuperiori, etiam cum dubitatur de juſto mandato.*
67. *Non autem ſi conſtet eſſe injuſtum.*
68. *Obedientiam in dubio præſtandam eſſe, limitatur.*
69. *Obedientia non debetur Superiori ultra terminos ſuæ jurisdictionis præcipienti.*
70. *Obedire qualiter debeat, qui plures habet Superiores ſimul præcipientes.*

PRo Coronide hujus tituli, qui *de Majoritate & Obedientia* inſcribitur, breviter aliquid notan-

notandum est circa Obedientiam, quam inferiores debent majoribus, quibus subjecti sunt.

Generaliter itaque dicendum quòd subditus 66
teneatur obedire suo superiori non tantùm cum justa præcipit quod certum, sed etiam cum dubium, quia in dubio præsumi debet pro superiore, qui est in possessione imperandi & præcipiendi. Et quamvis nemo cum dubio practico agere possit, tenetur tamen subditus tale dubium practicum in materia obedientiæ deponere, ita docet Molina *de justitia & jure. Tom. 1. d. 113.* quod subditi & milites conducti dubitantes de justitia belli, ad quod ex præcepto Domini & ducis vocantur, possint sumere arma, & pugnare.

Verùm si certò constaret, injustum esse vel 67
peccatum etiam tantùm veniale, vel in damnum proximi injustum cessurum, quod mandat superior, ipsi obediendum haud foret, tunc enim haberet locum illud *Actorum 5. obedire oportet Deo magis quàm hominibus, & c. inquisitioni, de sententia excommunicationis.* Deinde quoque aliis 68
modis prædictum assertum, quod generaliter & in dubio obediendum sit, Limitat Lessius: si subditus non tantùm dubitet de materia præcepti, an justa sit, sed de potestate præcipientis, an sit legitimus superior, nisi fuerit in possessione superioritatis & communi existimatione pro tali habitus. *arg. l. si quis ex aliena. ff. de judicus.* Aliàs melior erit subditi suam libertatem possidentis conditio. secundò, si ex præcepto, de

Digitized by Google

quo dubitatur an sit justum, alteri, vel subdito grave immineat damnum, ex non obedientia, autem nihil mali sequatur. sed hæc posterior limitatio in materia executionis judiciariæ exaudienda erit secundùm ea, quæ traduntur per text. difficilem & interpretes in *c. pastoralis.* 28. §. *quia verò. de Officio delegati.*

69 Advertendum præterea inferiorem in iis tantùm teneri obedire suo superiori, in quibus illi subest, ut servus Domino in servilibus, filius Patri in rebus domesticis, miles Duci in rebus bellicis, & ideò qui plures habet superiores, cuilibet eorum obedire debet pro modo suæ superioritatis, sive in quantum habet potestatem imperandi. Undè quia Papa habet concurrentem & simul superiorem potestatem cum & præ omnibus inferioribus Prælatis, illi etiam præ omnibus aliis obtemperandum est.

Archiepiscopus verò, quia tantùm certis casibus habet jurisdictionem in subditos Suffraganeorum, isti non aliter ejus mandatis obedire tenentur, quàm si in casu sibi permisso præceperit. Similiter Regularis expositus ad Parochiam Episcopo subditam, tenetur Episcopo obedire circa curæ animarum administrationem, circa observantiam autem regularem Abbatis mandatum suscipere, & delinquens extra curam animarum non ab Episcopo, sed ab Abbate (nisi Abbas punitionem negligenter omiserit) corrigendus & puniendus est. Notabile denique est quod ex Hostiensi docet Sylvest

v. obe.

Digitized by Google

v. obedientia n. 10. Si Clericus duobus Episcopis ratione beneficii vel alio respectu promiserit obedientiam, & simul & semel utrique obedire nequeat, possit obedire ei, cui primò promisit obedientiam, vel illi in cujus diœcesi percipit majus & utilius beneficium. *arg. c. cum in Officiis. de testamentis.* quod si omnia sint paria locuserit electioni, sive gratificationi, cui obedire maluerit. *L. si quis in gravi. §. si cum omnes. ad Senatus-Consultum Sillanianum.* Volunt etiam Doctores inter pares potestate superiores ei obediendum esse, qui præcipit ad nobiliorem finem, sic si pro eodem tempore pater præcipiat filio circa rem domesticam, & Dux ut pro Republica pugnet, magis duci quàm Patri obedire eneatur, quia publicum privato præferendũ est. 70

Titulus XXIX.

Est 30. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Officio Legati.

Summaria.

1. *Legati qui dicantur.*
2. *Legati Sedis Apost. triplices.*
3. *Legatorum officium.*
4. *Legati de Latere potestas.* (*mania.*
5. *Legatorum de latere circa beneficia potestas in Ger-*
6. *Nuntij Apostolici potestas.*
7. *Nuncius* cum potestate Legati de Latere *missus quid possit.* (*dinalis.*
8. *Legatum se dicens debet probare, nisi fuerit Car-*

9. *Nuntii Apoſtolici ambientes Litteras recommendatitias a Principibus excommunicantur.*
10. *Legati nati poteſtas.*
11. *Legati hodie in prima inſtantia non debent impedire Ordinarios.*
12. *Exempti poſſunt prorogare iuriſdictionem Legati (nati.*
13. *Legati officium qualiter finiatur.*

1 LEgatus aliter in Jure Civili, aliter in Jure noſtro Canonico accipitur. Etenim in Jure Civili Legati dicuntur non tantùm miſſi ad pacem vel aliud arduum negotium inter principes tractandum (quorum violatio Juri gentium adverſatur, *c. jus gentium. dist.* 1.) ſed etiam vicarii præſidum & proconſulum, quibus ab ipſis præſidibus & proconſulibus juriſdictio mandata fuerat. *l. vicarius* 23. *ff. de legation. & tot. t. ff. de Legato proconſ.* Verùm in Jure Canonico Legati S. Pontificis non tantùm *mandatam* & vicariam, ſed ordinariam Juriſdictionem habent, & ipſis præſidibus & proconſulibus, qui olim apud Romanos ad regendas provincias deputati fuerant comparantur. *c.* 2. *hoc tit in* 6. quorum auditores, quos tales Legati conſtituere ſolent in provinciis ſibi commiſſis, potiùs *legatis proconſulum* accenſeri poſſunt.

2 Sunt autem *Legati Apoſtolici* in triplici differentia; quando enim Papa unum ex Collegio Cardinalium ſuorum quaſi *à latere ſuo* (cui Cardinales ſemper aſſiſtunt) ad aliquam provinciam dimittit, dicitur *legatus de latere*, quando alium Clericum Epiſcopum vel Prælatum non Car-

Cardinalem dimittit, dicitur *Nuntius Apostolicus*, vel *legatus missus*: quando denique titulus legati alicui Archiepiscopatui vel alteri Ecclesiæ annexus est, dicitur *Legatus natus*, circa hos igitur

Quæritur primò, quodnam sit Legatorum Officium? R. Officium omnium Legatorum esse, in spiritualibus & Ecclesiasticis negotiis supremam in provinciis Ecclesiæ Catholicæ gubernationem, & inspectionem habere, Principes & populos, in fide & affectione erga Sedem Apostolicam conservare, constitutiones pontificias in usum deducere, aut quo minùs juxta statum provinciarum deduci possint summum Pontificem informare, aliaque, quæ pro utilitate Ecclesiæ expedire viderint ad ipsum referre, & ideo Præsidibus & Proconsulibus comparantur, quibus olim imperatores provincias regendas distribuebant, ut tantò facilius universum populum Romanum in obedientia continerent. 3

Qnæritur secundò, qualis potestas competat *Legato de latere*? R. cum dignitate, & potestate cæteros legatos longè antecellere, *c. 1. h t in 6.* nam in primis præsente *legato de latere* alii legati non debent uti insignibus, aut Officio suæ legationis, propter reverentiam enim majoris judicis suspenditur Jurisdictio minoris. *textus & Gl. in c. volentes h t.* 4

II. Legatus *de latere* ipso jure potestatem habet judicandi exemptos, & Abbatum exemptorum

electiones confirmandi. *c. si Abbatem. 36. §. 1. de electione. in 6. Gloss. in c. 1. v. universas. hoc tit.*

III. Absolvere potest percussores Clericorum undecunque advenientes à censurâ reservatâ. *c. ad eminentiam. de Sententia excom. c. 4. & penult. ubi Goss. in v. mittuntur h. t.*

IV. Circa dispensationes, absolutiones, matrimonii solemnizationes habet concurrentem jurisdictionem cum quolibet Ordinario suæ provinciæ. *Barb juris Ecclesiast. univ. lib. 1. c. 5. n. 72.*

V. Potest in Provincia sua concedere indulgentias *centum dierum*, quæ etiam durant finito Officio legationis. Barb. *d. loco. n. 5.*

VI. Potest facere statuta obligantia provinciam circa negotia spiritualia & Ecclesiastica, quæ durant in perpetuum etiam post decessum suum, usque dum ab alio majore, vel simili potestate prædito revocentur, quæ tamen potestas generaliter Legatis, adeoque etiam aliis, quàm *de latere* attributa est. *c fin. h t. c. 2. eod in 6.*

VII. In conferendis beneficiis Legato de Latere ampla potestas concessa est, nimirum conferendi quælibet etiam ad sedem devoluta beneficia suæ provinciæ, ita ut inter ipsum & ordinarium collatorem locus sit prævention i, sed & vacatura suæ collationi reservandi, dummodo non reservet pro speciali persona (ob periculũ scil. captandæ mortis) vel eundem collatorem bina reservatione non impediat, aut gravet, *c. 1. 3. & 4. hoc tit. in 6. c. 2. de præbendis in 6.* Item dummodo non sint dignitates, vel beneficia

electi-

electiva. *d. c.* 4. aut de Jure patronatus laicorum competente ex fundatione, constructione, vel donatione, cui nec ipse Pontifex solet derogare. *Barb d. loco. n.* 46 In uniendis quoque Episcopatibus, vel transferendis Episcopis, eximendis Ecclesiis, & aliis, quæ in signum præeminentiæ sunt reservata Sedi Apostolicæ Legatus potestatem non habet. *c.* 3. *&* 4 *x. h t.*

Quæritur autem 3. An etiã in Germania talis potestas conferendi beneficia legatis competat? 5
R. Quia in *Concordatis Germaniæ* inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum Imperatorem, aliósque Principes & Prælatos Germaniæ initis diserte promittit summus Pontifex, quòd in mensibus Ordinariorum & beneficiis non reservatis nolit eorundem Ordinariorum collationem impedire, ideò Legatus Pontificis id facere nullatenus potest cùm non sit supra Jus, neque aliquid valeat, quod Juri deroget, præsertim pactatis, & contractibus, teste Barb. *d. c* 5. *n.* 10. ad summum igitur Legatis in Germania Jus remanet conferendi beneficia ex negligentia inferiorum ad sedem Apostolicam devoluta, non item beneficia reservata, nisi ex speciali Privilegio. *Gloss. in c.* 1 *in v. ampliori. de officio Legati. in* 6. Imò si beneficium ex negligentia Abbatis exempti esset ad Episcopum ceu sedis Apostolicæ delegatum devolutum, *juxta Clement. unicam. de sup. negl. Prælatorum.* communiter sentiunt Authores teste Erasmo à Chokier. *de jurisdictione. Ordinarij in exemptos. parte.* 2. *quæst.* 2.

n. 18. *& seq.* quòd Legatus *de Latere* in hoc casu Episcopi collationem impedire non possit, quia Legatus habet Privilegium conferendi beneficia generale, Episcopus verò hoc casu speciale, in omni autem Jure generi per speciem derogatur. *c.* 2. *h. tit. c. generi.* 34. *de Reg. Juris. in* 6. *Leg. in toto. ff. eodem tit.*

6 Quæritur 4. Qualem potestatem habeat. *Nuntius Apostolicus?* R. Totam potestatem Nuntii Apostolici esse potissimùm desumendam ex ejusdem commissione vel privilegio. Etenim de Jure communi neque in beneficiis *c.* 1. *h. t. in* 6. neque in causis exemptorum *c. si Abbatem.* 36. *vers. hujusmodi. de electione in* 6. vel in aliis singularis potestas ipsi tributa reperitur nisi quòd *in c. penult. x. h. t.* absolutio à percussione Clerici circa subditos tamen solumodò suæ provinciæ eidem concedatur, & *in c. fin. h. t. & c.* 2. *eod. in* 6. Judex *ordinarius* pronuntietur. specialiter verò

7 Quæritur 5. Quid censendum de Nuntiis, qui ad Imperatorem, aliósque Reges mittuntur cum Titulo: *Nuntius Apostolicus cum potestate legati de latere*, quæ clausula de stylo curiæ Romanæ solet addi Legatis, quibus S. Pontifex vivâ voce legationem demandavit, teste Hostiensi *in princ. h. tit.* nihil interesse, an quis Legatus *de Latere* sit, vel *cum potestate Legati de latere* mittatur, docet Zoësius *h. t. n.* 15. Garc. *de beneficijs parte.* 1 *c.* 3. *n.* 82. *arg. legis.* 1. *ff. de tutoribus datis.* Ubi Proconsul, & *proconsulari potestate præditus* æquiparari videntur.

Ve-

Digitized by Google

Verùm mihi ſemper probabilius viſum eſt, tantùm intereſſe inter verum legatum *de Latere*, & Nuntium miſſum *cum poteſtate legati de latere*, quantum intereſt, an quis habeat jurisdictionem ordinariam à lege, vel tantùm ſpecialiter demandatam, an quis ſit Epiſcopus, vel tantùm Vicarius Epiſcopi, Cardinalis, vel vices gerens, Dominus, vel tantùm Procurator cum generali mandato. Etenim hic Titulus cùm ſit de Jure ſcripto incognitus, & tantùm de ſtylo curiæ uſitatus, ideò etiam de Jure nulla ſpecialis poteſtas ipſi adſcripta eſt, & ſicut Vicarius Epiſcopi cum generali mandato ut poſſit omnia, quæ Epiſcopus, Procurator ut poſſit omnia, quæ Dominus, non poteſt quædam majoris præjudicii, quæ Epiſcopus, vel Dominus non fuiſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſur⁹. *c. qui ad agendum, de Procuratoribus. in 6.* Sic nec Nuncius, cui data eſt poteſtas omnia faciendi quæ Legatus *de latere*. Ita ſanè Piaſezius *in praxi Epiſcop. p. 2. c. 5. n. 9.* expreſsè docet, quòd Nuntius *cum poteſtate Legati de latere* miſſus beneficia conferre nequeat, niſi ex ſpeciali privilegio, & rectè allegat textum *in c. 1, h. t. in 6.* ubi Legato, qui Cardinalis non ſit, denegatur poteſtas conferendi beneficia, *quantumcunque*, ait ibidem Pontifex, *plenam legationem obtineat.* Ipſi quoque prioris ſententiæ Authores, Garcias *d. l.* & Barb. *d. c. 5. n 53.* de ſtylo Curiæ magnam differentiam inter Legatos *veros ac latere*, & *Nuntios* cum ſimili poteſtate miſſos admittere debent, quòd illi regulariter omnia

be-

beneficia, isti verò tantùm simplicia, quæ valorem 24. Ducatorum non excedunt, conferre permittantur. Ex quo etiam à minori ad majus inferre licebit, quòd similes Nuntii neque in exemptos habeant jurisdictionem sine speciali mandato; nam beneficia tantùm de Episcopi, exemptorũ aut causæ de præjudicio Papæ sunt. Sed nec Legatus *natus* præsente tali Nuntio verisimiliter sua insignia purpuram scilicet & alia, quæ enumerat Barb. *d. l. n.* 22. deponeret. non obest. *d. l.* 3. *ff. de Tutoribus datis*. quia ibi non dicitur, quòd vices proconsulis aut præsidis gerens omnia possit, quæ præses, vel proconsul, sed tantùm agitur de datione Tutoris; à particulari autem ad universale non est bona illatio, eadem enim datio tutoris in *Leg.* 1. §. 1. etiam Legato proconsulis permittitur, qui tamen utique potestate minor est proconsule. Item non obstat *cap. si Papa* 10. *de Privilegijs. in* 6. ubi dicitur, quòd verba Papæ aliquid operari debeant, nihil autem operarentur, si Nuntius *cum potestate Legati de latere* missus non haberet majorem potestatem quàm alius Nuntius. R. Enim talia verba operari relativè, quia se referunt ad mandatum pontificium, & privilegium, quod in ampliori forma datur talibus Legatis, quàm aliis; & ut compendio dicam, potestas istorum Legatorum non ex Titulo seu clausula, sed Titulus ex potestate in litteris commissionis inserta desumitur.

8 Quæritur 6. An asserenti se Legatum à summo

mo Pontifice missum, credi debeat citra exhibitionem mandati Apostolici? R. esse distinguendum inter Legatum Cardinalem, & Nuntium Apostolicum: Cardinali enim asserenti se Legatum (dummodò noscatur esse Cardinalis) creditur sine alia probatione, eò quòd Cardinales non soleant à Curia abesse sine officio Legationis, nisi tamen aliqua à Jure communi sibi non concessa prætenderet, qualia non præsumerentur aliter, quàm ex mandato Apostolico probata. Inferiori autem Clerico vel Prælato asserenti se Nuntium Apostolicum non habetur fides, nisi ostensis litteris Papalibus, *textus & Gl. in c. fin. dist. 97. c. cum in jure. de offitio delegati. Azor. Institut. moral. parte 2. lib. 5. c. 27. quæst. 8. num.* Idémque dicendum, tametsi asserat se Nuntium cum potestate Legati de latere, adhuc enim Cardinalis non est, & consequenter illam præsumptionem pro Cardinalibus militantem non habet, generalitar autem Nuntium esse, vel cum simili potestate missum quid facti est, facta autem non præsumuntur, sed probari debent, ut notatur communiter *in L. in bello. ff. de captivis.* Incidenter hic adnotari potest in Bulla Pii IV. quæ incipit: *Etsi Romanum &c.* excom- 9
municationem esse latam contra quemcunque Nuntium Apostolicum, qui à Principibus ad quos mittitur, dignitatis, aut gradus v. g. Cardinalatus alteriúsque officii, vel beneficii in curia obtinendi causâ litteras commendatitias quovis modo ambierit sive eorum studio, & favore

vore pro se aut consanguineis suis usus fuerit, non tamen additur in d. Bulla hanc censuram esse reservatam.

10 Quæritur. 7. Quam potestatem habeat Legatus *natus*? R. de Jure communi nec circa collationem beneficiorum, nec circa absolutionem à violenta manuum injectione in Clericum Legato *nato* quatenus tali competere facultatem. *c. penult. x. & c. 1. h. tit. in 6.* neque jurisdictionem in exemptos, sed potestatem totam ejus ex forma Privilegii, in quo talis legatio concessa fuit, vel aliis subsequenribus dependere, teste *Gloss. in c. 1. v. universis. x. hoc. tit.* Prout & Celsiss. nostro Archiep. Salisb. varia concessa sunt privilegia absolvendi ab hæresi, conferendi beneficia in mensibus Papalibus, ordinandi extra tempora, dispensandi in tertio & quarto gradu ad matrimonium cum illis, qui labore manuum victum quærunt &c.

11 Quæritur 8. Quomodo intelligendum sit *d. c. x. h tit.* ubi dicitur, quòd Archiepiscopus qui simul est Legatus, à subditis suffraganeorum possit sive per appellationem, sive per querimoniam adiri? R. Legatos quosque de Jure habere concurrentem jurisdictionem cum Ordinariis suæ provinciæ etiam in causis fori contentiosi, ita ut licet Archiepiscopus aliàs regulariter non habeat jurisdictionem in subditos sui suffraganei Episcopi extra causam visitationis, appellationis vel negligentiæ, si tamen sit Legatus possit mox in prima instantia à subdito suffraganei adiri.

Ve-

Digitized by Google

Verùm hodie in Trident. *sess.* 22. *de reform. c.* 11
20. statutum est, ut causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prima instantia coram locorum Ordinariis duntaxat cognoscantur, neque Legati etiam *de latere*, Nuntii, gubernatores, aut alii quarumcunque facultatum vigore Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem præripere, aut turbare præsumant, vel contra laicos, aliásque personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eóque negligente procedant.

Exempti quamvis jurisdictionem alterius Judicis in præjudicium S. Pontificis prorogare nequeant, Legati tamen nati jurisdictionem eos posse prorogare insinuat Glossa *in d. c.* 1.

Quæritur denique, qualiter finiatur officium 3
Legati? R. finiri. I. Translatione Negotii ad Papam per relationem vel appellationem. *c. licet. h. t. l.* 1. *C. de Relat. l. ex illo. C. de appellat.*

II. Revocatione Legati per Papam, postquàm hæc revocatio Legato innotuit, aliàs gesta per ipsum valent; usquedum habeat revocationis scientiam: imò etiam revocatus non videtur amittere jurisdictionem priusquam actualiter provinciam excesserit. *arg. l. fin. ff. de offic. Præs.*

III. Per mortem Legati, si Legatio personæ, secùs si dignitati, annexa sit. Per mortem autem S. Pontificis non extinguitur officium Legati, quia Legatus est Judex Ordinarius. *c. Legatus, hoc tit. in 6.*

TITULUS XXX.

Est 10. in Lib. 3. Decretal.

De his quæ fiunt à Prælatis sine Consensu Capituli.

SUMMARIA.

1. *Consensum vel Consilium requirere, quomodo differant in effectu.*
2. *Capituli Consensus quibus casibus requiratur.*
3. *Parochiales Ecclesiæ an & quando possint uniri Monasteriis vel Collegiis.*
4. *Capitulares singulares, vel totum Capitulum si delinquat, qualiter procedere possit Episcopus.*
5. *Consensus vel Consiliũ Capituli quibus casibus requiratur, an & qualiter declarare possit consuetudo.*

PRælatis Ecclesiasticis etiam rectè adjunguntur Capitula, ad quorum consensum / vel Consilium potestas Prælatorum in pluribus adstricta est, atque in ea Sede vacante potestas & jurisdictio Prælatorum transmittitur, ut ex hoc & seqq. Titulis patebit.

Pro regula tenendum est, quod Prælati omnia majora negotia cum *Consensu* vel *Consilio* suorum Capitulorum expedire debeant; cum *Consensu* tunc, quando expressè requiritur in Jure, cum *Consilio* autem, quando Jura quidem consensum Capituli nominatim non exigunt, res tamen gravis, & majoris momenti est.

Debet verò hic prænotari, quòd inter requisitionem *Consensus* & requisitionem *Consilij* magna

sit

sit differentia, nam si requiratur *Consensus*, tenetur Prælatus sequi id, quòd major pars capitularium concluserit: si autem tantùm *Consilium* desideretur, sola consultatio cum Capitularibus sufficiet, absque eo quòd Prælatus eorum opinionem sequatur. *c. cum olim. 7. de arbitris. & leg. Item, si unus. 31. §. fin. ff. de receptis, qui arbitrium, &c.* Sed nunquid frustra Prælatus consultabit cum Capitulo, si non teneatur sequi sententiam capitularium? R. talem consultationem minimè esse frustraneam: quia saltem auditis rationibus Capitularium occurretur præcipitantiæ & Prælatus meliùs deliberare & resolvere poterit: juxta illud: *Oculi plus vident, quàm oculus*, & monitum sapientis: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Sylvest. verbo. consilium.*

2 Consensus igitur Capituli requiritur I. in alienatione rerum Ecclesiasticarum, sicut in tit. *de rebus Eccles. non alienandis.* prolixiùs traditur.

3 II. Episcopus non potest sine consensu Capituli, vel licentiâ speciali Pontificis Ecclesias Parochiales, vel earum fructus & reditus monasterio vel Collegio in perpetuum unire *cap. Pastoralis. h. tit.* imò Episcopus sui etiam Capituli accedente consensu mensæ suæ, aut ipsius Capituli, non potest aliquam unire Ecclesiam, neque enim valet, ut quis in facto proprio ad suum commodum authoritatem sibi præstet. *Clem. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Et hodie in Conc. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 13.* generaliter prohibetur, ne imposterum parochiales Ecclesiæ

monaſteriis quibuscunque aut Abbatiis, ſeu dignitatibus ſive præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis beneficiis ſimplicibus, aut hoſpitalibus, militiisve uniantur. Excipi tamen Parochiales Eccleſias, quæ non ſunt actu, ſed habitu tantùm tales, item quarum uniones fiunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conſervatione Collegiorum, vel aliorum locorum piorum ad fidei Catholicæ defenſionem, & propagationem, bonarúmque artium cultum, refert Barb. *in Collectan. ad dictum cap.* 13. *Trid. n.* 10. *& ſeq.*

III. Quando Jus Patronatus competit monaſterio vel Collegio, Prælatus non poteſt aliquem ſine conſenſu capituli vel Conventûs præſentare: quia hoc Jus, non tantùm Prælato, ſed & Eccleſiæ vel monaſterio competit: *c ea noſcitur. hoc. tit.* atque idem generaliter cenſendum quoties Capituli particulare intereſſe verſatur, ait Vallenſ. *h. c tit. n.* 4. *arg. c. fin h. tit.* quo facit Reg. 29. *Juris. in* 6. & textus *in l. fin. C. de auctor. præſt. quod omnes tangit ab omnibus debet approbari.*

4 IV. In Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 6. conſtitutum, ut in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis Capitulum in initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos quorum conſilio & conſenſu Epiſcopus, vel ejus Vicarius uti teneatur, ſi contra quosdam de Capitulo procedendum fuerit: ita tamen, ut utriusque Capitularis votum pro uno tantùm habeatur, & alterum ſit ipſius

ipsius Episcopi. Quòd si uterque ab Episcopo dissenserit tertius eligatur, & juxta eam partem, cum qua iste tertius convenerit, discordia terminetur. Verùm sub hac dispositione Concilii tantùm comprehendi Capitula ab Episcopi ordinaria jurisdictione exempta, referunt à S. Congr. Card. declaratum plurimi citati apud Barb. *eodem cap. 6 n. 3.*

In aliis igitur Capitulis non exemptis poterit Episcopus propria authoritate contra singulares de capitulo ad summum, cum consilio aliorum procedere. quia teste Joann. Honorio *hoc tit. in fine*, non reperitur textus, qui in processu contra aliquos de Capitulo consensum reliquorum exigat.

Quòd si totum Capitulum deliquerit, sive jam id exemptum sit, sive non, posse tunc Episcopum sine adjunctis Capitularibus procedere, pariter à S. Congregatione decisum referunt citati apud Barb. d. l. nisi delictum esset in personam Episcopi vel contemptum ejus, vel ubi Episcopus haberet interesse, nam tunc ex eadem Cardinalium decisione facultas procedendi contra capitulum ad superiorem devolveretur.

Cæterùm in aliis casibus, ut in exercitio jurisdictionalium, item in administratione rerum temporalium extra causam alienationis plerumque non consensum, sed consilium tantùm requiri, magis inter DD. convenit. Imò consuetudine vel præscriptione passim introductum esse, ut in plerisque casibus sine consilio vel con-

ſenſu Capituli Epiſcopi procedere valeant, atteſtatur Stephanus Gratianus *diſceptationum forenſium cap.* 100. *n. ult.* Zerola *in praxi Epiſcoporum. p.* 1. *Verbo capitulum. n.* 8. Et quòd talis conſuetudo valida ſit, probat *Capit. ea noſcitur. h. tit. & cap.* 3. *de conſuetudine. in* 6. Quòd verò Joannes Honorius *h. tit. n.* 11. dicit, non requiri certi temporis lapſum ad conſuetudinem introducendam circa requiſitionem Conſilii vel conſenſus, ſed frequentatos actus ſufficere; prout id etiam alii DD. tradunt in conſuetudine legis dubiæ declaratoria. *Panorm. in cap. cum dilecta. de conſuetudine. n.* 7. *Menoch. de arbitrarijs. centuria* 1. *caſu.* 83. *n.* 16. id intelligo, quando verè dubitatur, an in aliquo ſpecifico actu conſilium aut conſenſus requiratur, ſecus; ſi id Jure deciſum ſit; tunc enim etiam ea, quæ aliàs ad conſuetudinem contra legem introducendam ſupertius in lib. 1. *in tit. de Conſuetud.* requiſivimus, concurrere debent.

TITULUS XXXI.

Eſt 11. *in Libr.* 3, *Decretal.*

De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

SUMMARIA.

1. *Capitulum convocare quis poſſit.*
2. *Capitulares abſentes quando vocandi.*
3. *Capitularium ſaltē duæ partes præſentes eſſe debent.*
4. *Unus vocandus non vocatus poteſt irritare actum.*

5. *Cas*

Digitized by Google

5. *Capitulum ut dicatur aliquid feciſſe, requiritur Capitularis tractatio.*
6. *Capitulares debent eſſe in* majoribus *ordinibus.*
7. *An etiam in Monaſteriis.*
8. *Major pars Capituli trahit ad ſe minorem.*
9. *An ſufficiat majoritas reſpectiva.*
10. *Capitularium major & ſanior pars debet conſentire.*
11. *Capitulum an & qualia ſtatuta facere poſſit.*
12. *Fabricæ Cathedralis Eccleſiæ conſervatio ad quem pertineat.*
13. *Expenditur* cap. fin. h. t. *cum appoſitione contrariorum. & ibi, an pars major prævaleat, quando agitur de jure ſingulorum.*
14. *Subſcriptio Capitularium in Inſtrumento ſuper actu Capitulari erecto qualiter facienda.*

TRaditur hoc loco modus procedendi in capitulis Eccleſiarum tum cathedralium, tum aliarum inferiorum, cujus quotidianæ materiæ ſeriē breviter aliquot notandis explicabo.

Notandum itaque 1. Quòd poteſtas convocandi Capitulum regulariter quidem ad Epiſcopum pertineat, qui vota ſingulorum exquirere, & ſecundùm ea concludere debeat, ſi tamen Epiſcopus abſens fuerit vel de re & cōmodo ipſius Epiſcopi, aut negotio præcisè Capitulum ipſum tangente agatur, tunc non ad Vicarium ſeu Officialem Epiſcopi, ſed unum de Capitulo, ad quem de Jure vel conſuetudine ſpectat, v. g. Præpoſitum, Decanum, vel Seniorem, illa poteſtas convocandi Capituli pertinebit. *Trid. ſeſſ. 28. de reform. cap. 6.* 1

Notandum 2. Quòd ad actus Capitulariter tractandos Canonici, qui à loco residentiæ absunt, non debeant necessariò vocari, juxta Gl. communiter receptam, *c cùm inter. de electione.* arg. *c.* 2. § *hoc jus porrectum* ibi. *majore parte ibidem servientium consentiente &c. causa.* 10. *q.* 2. exceptis tribus casibus, quos notat Glossa *in cap.* 2. *de testibus in* 6. videlicet I. in causa electionis novi Prælati. *cap. quia propter. de elect.* II. Quando recipitur aliquis in Canonicum. *cap. cum in Ecclesiis. de præbendis. in* 6. III. in cessationibus à divinis. *cap quamvis de offi. Ordin. in* 6. Volunt tamen aliqui DD. cum Panorm. *in cap.* 1. *h. t. n.* 15. idem, quod in his tribus casibus constitutum est, etiam ad alias omnes causas magnas & arduas extendi debere, eò quòd vocatio absentium sit Canonicis favorabilis, & consequenter ex paritate rationis amplianda, & ad similes vel majores causas extendenda, qua in re consuetudo locorum potissimùm observanda.

3 Notandum 3. Illud esse rationi plurimum consentaneum, quòd præsentes Canonici extra casum necessitatis, & periculum in mora, ac nisi contrarium alicujus loci consuetudine introductum sit, procedere non possint, nisi saltem duæ tertiæ Capitularium præsentes fuerint: v.g. ex triginta viginti, prout docet Panorm. *in dicto cap.* 1. *n.* 16. *argum.* L. 3. & 4 *ff. quod cujusque Universitatis nom.*

4 Notandum 4. Quòd illi, qui de Jure vel consuetudine vocandi sunt omnes omninò & singuli

guli vocari debeant, ita, ut juxta communiorem ſententiam, ſi vel unius citatus non ſit, poſſit agere de contemptu, & id, quod à reliquis actum eſt, ſi velit irritare, quia plus operatur contemptus unius, quàm conſenſus aliorum. *c. quod ſicut. 28 & cap. bonæ memoriæ. de elect. Panorm. d. n. 16. v. dico tamen.*

Notandum 5. ut actus dicatur factus à Capitulo, debent capitulares fuiſſe congregati capitulariter, & cum iis tractatus habitus. Unde non ſufficiet, ſi ſinguli Canonici ſeorſim aliquid promittant, vel ſuam voluntatem declarent. *Joan. Honorius h.t n 1.* 5

Notandum 6. Non omnes Canonicos habere Jus dandi votum in Capitulo, etenim in *Clem. 2. de ætate & qualitate* & Concil. Trid. *ſeſſ. 22. de reform. cap. 4.* conſtitutum eſt, ut tam in Eccleſiis Cathedralibus, quàm Collegiatis ſive ſæcularibus ſive regularibus nullam vocem in Capitulo habeat, qui ſaltem Subdiaconus non ſit. 6

Sed dubitatur, an iſta conſtitutio in monaſteriis, etiam certorum Religioſorum locum habeat, in quorum Regulis à fundatoribus Ordinum conſtitutum eſt, ut, quoties aliqua præcipua agenda ſunt in monaſterio, omnes omninò etiam Juniores ad conſilium convocari debeant? R. probabiliter dici poſſe prædictam Trid. conſtitutionem nihil immutaſſe in ſimilibus Regulis, ſicut ex congregatione Cardinalium & Azorio notat Zypæus *in Analyſi juris* 7

Pontificij. h. t. n. 2. Ratio est, quòd in dubio non censeatur Pontifex per generalem legem derogare particularibus statutis, nisi id exprimat, *c. 1. de const. in 6.* licet verò in Conc. Trid. & cit. Clementina etiam *Ecclesiarum Regularium* mentio fiat, possunt tamen illa verba commodè explicari de Ecclesis aliorum Ordinum, qui talia statuta particularia non habent. videantur tamē quæ superiùs in tit. *de elect. §. 1. n.* 6. dicta sunt.

8 Notandum 7. Quando in Jure consensus Capituli requiritur, non esse necessarium, ut omnes Capitulares nullo excepto consentiant, sed sufficere, si consentiat *major pars*, nam quod major pars Capituli facit, totum Capitulum fecisse censetur, ita ut regulariter *major pars* secum trahat minorem etiam nolentem. *cap. fin. h. tit. & leg. quod major. ff. ad municipalem.*

9 Notandum tamen 8. Quòd ut major pars Capitularium prævaleat, non debeat esse major respectu aliarum partium minorum, sed respectu omnium Capitularium præsentium. e. g. si collatio beneficii pertineat ad Capitulum, in quo sunt 12. Capitulares, & 3. vellent conferre Petro. 4. Paulo. 5. Joanni. nulla ex his vota attendentur, sed novus tractatus instituendus foret, donec in aliquem absolutè major pars Capituli nimirum in proposito 7. ad minùs Capitulares convenirent, textus & Glossæ *in c. Ecclesia vestra. 48. de electione. & in c. si cui. 23. de electione. in 6.* ait tamen Zypæus *d. l. n.* 1. consuetudine passim obtentum esse, ut etiam major pars respectu

aliarum

aliarum minorum, licèt non sit talis respectu totius capituli, attendatur, quod, an verum sit, ab usu discendum erit; Consuetudo enim cùm sit facti, & multa requirantur, ut Consuetudo dicatur introducta, non præsumitur, sed probari debet teste Andrea Gail. *lib. 1. pract. Observ. observat. 36. in fine.*

Notandum 9. Conjunctim requiri, ut *maior* & *sanior* pars consentiat, propterea, si pars minor utatur melioribus rationibus, constet ex viris gravioribus & prudentioribus, rectè poterit contradicere parti majori, & quod per eam conclusum est, irritare, & si non audiatur, ad legitimum superiorem appellare, *text. & DD. in c. 1. hoc tit.* Unde regulariter prohibentur dari suffragia seu vota per sabas, aut lapillos, sed quilibet suam mentem voce viva edicere debet, vel etiam in scriptis, si justa causa interfit, ne palam vota dicantur, ut non tantùm numerus, sed & sanioritas appareat. *Panorm. in cap. Eccles. vestra. de elect. n. 7.* 10

Not. 10. quòd Capitulo Jus condendi statuta circa negotia ipsum Capitulum concernentia, DD. quidem passim attribuant, Abbas, Decius, & Felinus, *in c. cùm accessissent. de Constitut.* idem Abbas in *c. 1. h. tit. n* 14. id tamen limitent, ut si statuta sint circa causas arduas & magni præjudicii, veluti augendas vel minuendas præbendas, novum aliquid circa residentiam Canonicorum inducendum, &c. consensus Episcopi accedere debeat, *arg. c. ex parte. de constit. cum consuetudinis.* 11

9. *de consuetudine. Barb. Juris Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 32 *n.* 16. *&* 18. Imò contra Jus commune ne quidem cum consensu Episcopi (utpotè, qui ipsemet Juri communi subjacet.) statuere quidquam possit nisi cum Authoritate vel approbatione S Pontificis. *Clement. ne Romani. in princ. de elect. Barb. d. l. n.* 17. *Zoes. ad t. de constit. n.* 24.

Notandum 11. quòd Episcopus cum majori parte Capituli possit statuere, ut quilibet Capitularium teneatur de suis reditibus contribuere pro necessaria reparatione Ecclesiæ Cathedralis, quamvis aliqui, sed pauciores numero ex Capi-
12 tularibus dissentiant. *c. fin h. t.* ubi sciendum, quòd reparatio quidem Ecclesiæ Cathedralis principaliter incumbat Episcopo ex illis reditibus, qui specialiter pro fabricâ Ecclesiæ deputati sunt, sicut de Jure antiquorum Canonum quarta pars redituum Ecclesiasticorum debebat pro conservatione Ecclesiæ cedere. *c. quatuor.* 27. *cum* 3. *causa* 12 *q.* 2. quòd si verò illa quarta non sufficiat, nec Episcopus dives sit, locū habebit dispositio hujus *cap. fin* cui adstipulatur textus *in cap. de Ecclesiis ædificandis.* Et si demùm nec Episcopus nec Canonici superabundantes reditus habeant, quibus citra defectum necessariæ sustentationis suæ carere possint, licitum erit Episcopo, cum consensu Capituli alios inferiores beneficiatos de superfluis reditibus ad contributionem pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis vocare, ac etiam reditus quosdam vacantium beneficiorum eo deputare. *Abbas & Barb. in d. c. fin. hoc*

Digitized by Google

fin hoc in Videtur autem decisioni hujus *cap. fin.* obstare generalis Doctrina, quæ traditur *in l. per fundum. 11. ff. de servitut. rusticorum prad. l. Sabinus 28. ff de communi dividundo. c. in re communi de Reg Jur. in 6* quòd videlicet major pars, tantùm prævaleat minori, si agatur de rebus ad universitatem, quatenus universitatem, pertinentibus; si verò agatur de rebus & Jure singulorum (quemadmodum hic de reditibus singulorum Canonicorum.) tunc obtineat Regula 29 *jur. in 6 quod omnes tangit ab omnibus debet approbari*, & plus valet unius contradictio, quàm consensus reliquorum, saltem quoad portionem, quæ ipsum contradicentem contingeret.

In hac difficultate notabili distinctione utuntur Gloss. Innoc. & Panorm. *in eodem c. fin.* Utrùm scilicet agatur de rebus acquirendis, & quæ adhuc pertineant ad Ecclesiam, licèt sint deputatæ ad perceptionem Canonicorum, vel utrùm agatur de rebus acquisitis, & jam propriis factis; Priori casu censent procedere decisionem *d. cap. fin* maximè ob favorem piæ causæ, in altero autem locum habere supra cit. Juris textus, in quibus dicitur quòd juri singulorum per majorem partem nequeat præjudicari. quàmvis autem *in L. juris gentium* 7. §. 17. & 19. *ff. de pactis.* statuatur, ut si heres paciscatur, cùm creditoribus defuncti, de remittenda aliqua parte debiti, prævalere debeat consensus plurium creditorum, qui potiora debita habent, licet

licet etiam hic actiones ſive obligationes debitorum in Creditorum bonis ſint. *L. qui actionem 15. ff. de reg. juris. L. id. apud ſe. 143. ff. de verb. ſignifi. L. rem in bonis. 52. de aquir. rerum dom.* id tamen credendum eſt ita decretum fuiſſe ob favorem defuncti, ne facilè ſine herede futurus ſit, & bona ipſius propter æs alienum ſubhaſtentur cum non exiguâ honoris diminutione.

Putarem, in noſtro propoſito circa reparationem Eccleſiæ non incongruè addi poſſe, rationem alicujus ſpecialitatis eſſe, quòd reditus Eccleſiaſtici non ſimpliciter aſſignentur Canonicis, aut in eorum proprietatem tranſeant, ſed cum implicito onere ex Authoritate Canonum adſcripto concurrendi ad reparationem Eccleſiæ, ubi caſus neceſſitatis emerſerit, & conſenſum majoris partis Capituli non tam requiri, an velint abſolutè contribuere, quàm an velint ſine contractione, & ulteriori lite agnoſcere, hîc & nunc eſſe caſum neceſſariæ contributionis, ita ut leges ſuperius in contrarium allegatæ intelligantur, quando exactio contra bona acquiſita ſingulorum fit citra ſpeciale onus ex Authoritate Juris ipſis bonis (ſaltem quatenus ad certas perſonas ſpectant) impoſitum. Prout in ſimili ex eadem ratione videtur procedere, quòd Imperator & Principes ſoleant ſtatibus & ſubditis collectas etiam de propriis acquiſitis ſolvendas imponere, dummodò pars major conſentiat, quia negari non poteſt vel ab ipſa naturali le-

ge

lege ſubditis, eorumque bonis ſuſtentationem congruam Principis impoſitam eſſe.

Notandum poſtremò, quòd ſi ſuper actis Capitularibus debeat erigi inſtrumentum ſeu ſcriptura; non ſit neceſſe; ut ſinguli Capitulares ſe ſubſcribant, ſed ſufficiat apprimere ſigillum ordinarium Capituli, & quibuſdam verbis in contextu inſtrumenti, vel inferius adſcribere quòd Capitulum vel Collegium talis Eccleſiæ id fecerit. *Panorm. in cap. 4. de his, quæ fiunt à Prælatis. n. 7. Minſingerus centuria 1. obſerv. 76. & Cent. 3. obſerv.* 18. Excipiunt tamen DD. cauſam alienationis bonorum, & alias cauſas valde arduas, in quibus cenſent ſingulorum nomina exprimenda eſſe, *arg. L. fin. C. de vendendis rebus civitatis. Bartholus in L. 1. ff. de albo ſcribendo.* ſed & hic conſuetudo locorum attenda: multoties enim etiam in cauſis arduis tantùm Præpoſitus, Decanus & Senior nomine totius Capituli ſe ſubſcribunt.

TITULUS XXXII.

Eſt 9. in Lib. 3. Decretal.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

SUMMARIA.

1. Sede vacante nihil eſſe innovandum, *& tamen* Jurisdictionem ad Capitulum devolvi, *qualiter & quibus caſibus intelligatur.*

2. Epi-

Digitized by

2. *Episcopo contra exemptos quando & sub qua verborum forma detur jurisdictio.*
3. *Capitulum supplet jurisdictionem delegatam Episcopi, quando est casus necessitatis.*
4. *Capitulum sede vac. non potest conferre beneficia.*
5. *Quid, si sint beneficia ex negligentia inferiorum Collatorum devoluta.*
6. *Capitulum sede vac. potest praesentatos instituere, & electos confirmare.*
7. *Nihil verò alienare, quod servari potest, vel debitibus Episcopalibus in suos usus convertere. Consensum vero ad alienandum inferioribus dare non prohibetur.*
8. *Capitulum sede vac. potest ea quae sunt contentiosa jurisdictionis, etiam ardua.*
9. *Potest ferre censuras & absolvere.*
10. *Dispensare quando possit Capitulum.*
11. *De Capituli potestate faciendi statuta, remissivè.*
12. *Enumerantur plura alia, quae Capitulo sede vacante competunt.*
13. *Capitulum sede vac. non potest dare licentiam ordinandi, vel dimissorias intra annum, nisi arctatus.*
14. *Capitulum S. v. non potest litem super juribus Episcopalibus instituere vel prosequi.*
15. *Capitulum debet sede vacante constituere œconomum, & vicarium.* (*lati jurisdictio.*
16. *Monasteriis vacantibus ad quem devolvatur Prae-*
17. *Monasterio vacante an conventus possit litem super juribus Monasterii instituere.*

1 QUod ex hac rubrica dicitur, Episcopali *sede vacante non esse aliquid innovandum*, sed omnia

in

in ſuo ſtatu relinquenda uſque poſt Confirmationem novi Epiſcopi, non eſt ita perpetuum, quin multas patiatur exceptiones, nam ex contrario ſtat alia Regula, quæ deſumitur. *ex c. his, cum olim. de majoritate & obedientia c. ad abolendam in Principio de hæreticis.* quòd videlicet *ſede vacante* Juriſdictio Epiſcopi tranſeat in Capitulum Cathedralis Eccleſiæ. Unde, cùm iſtæ duæ Regulæ ſibi invicem adverſentur, laborant DD. de tertiâ aliquâ conſtituendâ, per quam ſciri poſſit, quandonam & in quibus caſibus alterutra ex ex præcedentibus locum habeat.

Sanè Panorm. *ad Rubricam hujus tituli* docet, regulam, quæ in Rubricâ traditur, ita eſſe generalem, nt regulariter *ſede vacante* omnia prohibeantur innovari, niſi quæ ſpecialiter ſunt excepta, adeóque, ſi Capitulum velit aliquem actum exercere, debeat probare, quòd ille actus ſibi ſit à jure permiſſus.

Econtra Navarrus *de Electione. Conſil.* 44 *n* 1. putat regulam univerſalem & affirmativam eſſe pro Capitulo, ita, ut omnia, quæ ſunt jurisdictionis Epiſcopalis *ſede vacante* peragere valeat, niſi ſpecialiter reperiantur prohibita.

Receptior tamen hodie eſt diſtinctio, quam tradit Quar. *in Sum. Bullarii. v. Capitulum ſede vacante. ſub n* 1. Garc. *de benef p.* 4. *cap.* 7. *n.* 44. Barb. *de officio Epiſc. p.* 3. *alleg.* 92. *n.* 17. *cum pluribus ibidem cit.* Quòd nimirum iis, quæ Epiſcopo defuncto, non tanquam Ordinario & Epiſcopo, ſed ex ſpeciali privilegio, commiſſione vel *ut Se-*

dis

dis Apoſtolicæ delegato etiam ab ipſo jure conſtituto competebant, item & in iis, quæ ſunt ex liberâ voluntate, nullâ neceſſitate cogente, & quæ potiùs gratiam, quàm juſtitiam continent, habeat locum regula hujus tit. *ſede vacante nihil innovandum eſſe*, niſi ſpecialiter ſit permiſſum: at verò in aliis, quæ Epiſcopo *jure ordinario* competebant, item & in aliis, quæ ſunt *contentioſæ jurisdictionis*, aut in ſtante neceſſitate vel juſtitia expedienda, procedat altera regula, quòd *Capitulum* in ſimilibus *ſuccedat in jurisdictionem Epiſcopi*, niſi ſpecialiter reperiatur prohibitum. Res tota ex particularibus exemplis magis apparebit.

2 Unde not. I. quòd Epiſcopis in multis caſib⁹ poſſit contra exemptos & ſuæ jurisdictioni non ſubjectos procedere, tam de Jure communi, ut in *c. ad abolendam. in fine. de hæret. c. irrefragabili. §. cæterùm. de offic. ord. c. 1. §. ult. de ſtatu regularium in 6. Clem. 2. de ſtatu Monach. Clem. unicâ de ſuppl. negl. Prælat.* quam noviſſimè de Conc. Trid. *ſeſſ. 5. de refor. c. 2. ſeſſ. 6. c. 2. 3. & 4. ſeſſ. 7. c. 6. 8. & 14. ſeſſ. 22. c. 5. 7. & 8. ſeſſ. 22. c. 3. 5. 6. 8. & 10. ſeſſ. 24. c. 9. & ſeqq. ſeſſ. Demùm ſeſſ. 25. c. 8. & 9.*

Ubi advertendum eſt, hanc poteſtatem dari Epiſcopo ſub diversâ verborum formâ, aliquando enim dicitur, ut contra exemptos procedere valeat, *tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus*, & in hac ſpeciali delegatione non ſuccedit Capitulum.

Aliquando verò datur ipſi poteſtas ordinaria, & tantùm removentur obſtacula, veluti dum dicitur, *non obſtantib⁹ privilegijs, vel exemptionibus &c.*

& tunc

& tunc tanquam in potestate ordinaria succedet Capitulum, sicut tradunt Barb. *dict. l. n* 17. & Garc. *de benefic lo cit. n.* 47. quòd si dictum fuerit, Episcopum *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatum*, procedere posse, quamvis particula *etiam* videatur involvere utramque potestatem *ordinariam* & *delegatam*, adhuc tamen tali casu Episcopus ex delegatâ Potestate procedere censetur, & ab ejus sententia indistinctè ad summum pontificem appellatur, juxta doctrinam Barb. *d. l. n.* 14. & consequenter hic quoque Capitulum excludetur.

Not. II. si necessitas expetierit etiam in ijs casibus, in quibus Episcopus processisse debuisset, tanquam delegatus Papæ, ejusdem vices suppleri, id licere Capitulo, præsertim, si non sit de proximo futurus successor ut advertit Quar. *d. l. vers. quia indies.* secundùm vulgatum axioma, quòd in casu necessitatis recedatur à Jure communi, & quod non est licitum in lege, plerumq; necessitas licitum efficiat, *r.* 8. *extra de Reg. Iur.* 3

Not. III. quòd Capitulum *sede vacante* beneficia ad collationem Episcopi spectantia conferre non possit, cùm collatio potiùs gratiam, quàm justitiam contineat, & sit species donationis, quam Capitulum facere prohibetur, *cap. 2. h. tit.* nisi collatio simul & cōmuniter pertineret ad Episcopum & Capitulum (sicut in titulo de præbend. dicemus) tunc enim vacante sede solū Capitulū conferre posset. *cap unico eod. tit. in 6.* 4

Quid autem de beneficiis ex negligentia vel 5

delicto inferiorum collatorum ad Episcopum devolutis, an ea Capitulum sede vacante conferre poterit? pro utraque sententia DD. refert Quaranta *d. v. Capitulum sede vacante vers. 9. quæro* demum concludit, hodie hanc quæst. non habere dubium propter Bullam Pii V. quæ omnia beneficia sede Episcopali vacante Sedi Apostol. reservavit. Attamen quia in Lib. 3. in tit. *de præbendis* §. 2. dicemus, valde probabiliter defendi posse, has bullas exrravagantes beneficiorum reservationes præter eas, quæ in *Concordatis* continentur, non obligare in Germania, ideò abstrahendò ab hac Bulla sententia affirmativa pro Capitulo videtur mihi verior & æquior, quam sequitur Panorm. *in cap. 2. hoc. tit. sub n. 3.* talia enim beneficia non sunt propria seu proprij fructus, donari prohibiti, hujus Ecclesiæ hic & nunc vacantis, neq; eorum collatio tam favorem hujus Episcopi, utpotè ad quem nō pertinebat immediatè, quàm ipsius beneficii, ne diutiùs cum sui dispendio vacare debeat, concernit.

6 Notandum item IV. quòd Capitulum possit præsentatos à patronis instituere *cap. 1. de instit. in 6.* item & confirmare electiones inferiorum prælatorum. *cap. cùm olim. 14. de Maior. & obed.* quia hujusmodi institutiones & confirmationes debentur ex Justitia præsentatis & electis, qui Jus ad talia beneficia habent, ita, ut, si ipsis denegentur, appellare possint ad superiorem: in liberæ autem collatione beneficii nulli in specie Jus quæsitum est ante actualem collationem,

Notandum V. quòd Capitulum ſede vacante non tantùm alienare nihil poſſit *cap. ſi quæ de rebus. & cap. precariè. 12. q. 2.* ſed nec poſſit de Jure ullum emolumentum, vel qualemcunque redituum Epiſcopalium ſede vacante obvenientium portionem in ſuos uſus convertere, vel inter ſe dividere, omnia verò debeat futuro Prælato (cum obligatione conficiendi inventarij & reddendarum rationum teſte Covar. *de teſtamentis. cap. 12. n. 5.*) fideliter aſſervare, *c. hæc hujus placiti. 38. c. non liceat. 43. 12. q. 2. cap. quia ſæpe. 40. de electione. in 6. Clem. ſtatutum, de electione.* 7

Notandum tamen VI, ſi res aliquæ ſervando non ſervabiles & tempore perituræ forent, eas tunc Capitulum rectè alienare poſſe, ſicut ipſa naturalis ratio dictat, iſtam prohibitionem alienationis in favorem Eccleſiæ introductam non eſſe in ejus diſpendium retorquendam. *Vulg. cap. quod ob gratiam. de reg. Iur. in 6. Panorm. in cap. 1. h tit.*

Item etiam poterit Capitulum authoritatẽ ſuã in alienationibns per inferiores Prælatos & Clericos faciendis interponere, cùm & hæc authoritatis interpoſitio ſubexiſtente juſta cauſa ex Juſtitia debeatur. *Panorm. in d. c. cum olim.*

Notandum VII. quòd ea quæ ſunt *contentioſæ Iurisdictiõnis*, poſſit Capitulum ſede vacante decidere & expedire, licèt fuerint cauſæ arduæ, quemadmodum de cauſa hæreſis (quæ utique inter arduas computatur) quòd de ea Capitulum cognoſcere poſſit, textus eſt in *c. ad abolendam.* 8

Digitized by Google

de hæreticis, & *Clem.* 1. §. 1. *eodem tit.* Similiter quòd causas *matrimoniales* (quæ etiam majoris momenti censentur, *arg. c.* 1. *de Consanguin. & affinit.*) cognoscere valeat Capitulum, satis probatur *ex cap veniens. & ejus inscriptione, de eo, qui duxit &c.* Nec obstat Conc. Trid. *sess* 24. *de reform. cap.* 20. ubi causarum *criminalium* & *matrimonialium* cognitio dicitur tantùm ad Episcopum pertinere. nam ibi Concilium solummodo excludit Archidiaconos, Decanos & alios inferiores Prælatos, non verò Capitulum *sede vacante*, utpotè quod non habet inferiorem, sed ipsam Episcopi Jurisdictionē. *Barb. in Collectan. ad dict. c.* 20. *n.* 58.

9 Notandum VIII. quòd Capitulum etiam succedat in potestate ferendi censuras, & ab iisdem absolvendi: quia hæc Potestas non ad ordinem Episcopalem, sed ad Jurisdictionem pertinet. Licèt verò hìc tantùm de potestate *absolvendi* habeatur textus *in cap. unico de major. & obed. in* 6. idem tamen Interpretes de potestate *ferendi* censuras sentiunt, cui enim potestas competit absolvendi, illi cæteris paribus, maximè, si Jurisdictionem Episcopalem habet, etiam potestas ligandi competit. *c Verbum* 51. *dist* 1. *de pœnit* Et claves potestati Ecclesiasticæ traditæ sunt à Christo ad *solvendum* & *ligandum*. Accedit quòd censuratio sit nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & coërcitio spectans ad Jurisdictionem Ecclesiasticā, consequenter cui Jurisdictio, etiam ea concessa intelliguntur, sine quibus Jurisdictio, cum effe-

ctu

ctu exerceri non poteſt, *L. 2. ff. de Iurisdictione. L. fin. de officio eius, cui mandata eſt Iurisdictio.*

Notandum eſt IX. quòd Capitulum ex communi ſententia etiam poſſit diſpenſare in illis caſibus, in quibus potuiſſet Epiſcopus, quos ſuperiùs in tit. *de maior. & obed. §. 4.* retulimus. Sed hoc, ſi diſpenſatio ſit quaſi debita, & ſine periculo notabilis damni aut ſcandali differri non poſſit, prout diſpenſatiouem aliquando ob gravem cauſam eſſe debitam docet Gloſſa *in cap. ut conſtitueretur. 25. diſt. 50. in V. detrahendum eſt.* Et advertit *Quar. d. n. 1. Verſ. 2. quæro.* 10

Notandum X. quòd Capitulum ſede vacante poſſit facere ſtatuta, quæ etiam durent in tempus futuri Prælati. De quo puncto videatur Quaranta *ſæpè dicto n. 1. Verſic. 4. Quæro.* Et dicta ſuperiùs in Tit. *de Conſtit. §. 2. n. 21. & 22.* 11

Plura item alia, quæ ad Jurisdictionem Epiſcopalem Capitulo ſede vacante competentem referuntur, enumerat Barb. *in Collectaneis ad cap. 2. hoc. tit. à n. 4. & Iuris Eccleſiaſtici Vniverſ. libri. 1. cap. 32.* veluti quòd Capitulum ſede vacante poſſit recipere reſignationes beneficiorum, & in eorundem permutationibus authoritatem præſtare. 12

Ex causâ beneficia unire, non tamen in ſuum favorem vel præjudicium ſucceſſoris Epiſcopi.

Ultimas defunctorum voluntates exequi quatenus Jure ordinario competit Epiſcopis.

Exigere rationes ab adminiſtrationibus piorum locorum.

Visitare Diœcesin: Exigere charitativũ subsidium: Concedere indulgentias: Confessarium instituere ad absolvendum a casibus Episcopo reservatis: Assistere Matrimonio juxta formam Concilii Trid. *sess.* 24. *d. reform. matrim. cap* 1.

Notandum tamen XI. quòd Capitulum sede vacante possit quidem concedere licentiam exercere Episcopo Pontificalia in Diœcesi exercendi v. g. solemne officium celebrandi, Ecclesias vel Ecclesiastica paramenta consecrandi, confirmandi &c non tamen Ordines conferendi illis, qui sunt de Diœcesi, in qua sedes vacat, *intra annum* 13 *vacationis*. Neque etiam istis diœcesanis litteræ dimissoriæ ad alium Episcopum à Capitulo *intra annum* concedi possunt, nisi *arctatis*, hoc est, ijs qui propter beneficium sibi collatum aut conferendum, necessariò debent Ordines intra illum annum accipere. *Trid. sess.* 7. *de reform. cap.* 10. Quando autem Capitulo ob arctationem ordinandi, vel vacantiam ultra annum concessum est, dimissorias dare poterit, id etiam *in interstitiis* dispensare, tradit *Barb. in Coll. ad d. cap.* 10. *Trid n.* 12.

14 Notandum XII. quòd vacante sede Capitulũ Ecclesiæ Cathedralis non possit litem super Juribus Episcopi instituere vel prosequi, sed tantùm super Juribus ipsum Capitulum concernentibus, sicut cum Panorm. notant communiter DD. *in cap.* 3. *hoc tit.* non tamen propterea adversarius illud tempus ad præscriptionem contra Ecclesiam computabit, quia vacante sede

præscriptio dormire dicitur, prout suo loco inti. *de præscriptionibus*, explicabitur. Dixi Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, non posse litem instituere, quid verò de Monasteriis vacantibus, inferiùs ad finem exponam.

Notandum XIII. quòd propter difficultatem congregandi totum Capitulum præsertim in his, quæ celeritatem desiderant, item ob contradictionem aut discordiam, quæ oriri possit, ii penes omnes ac singulos Canonicos administratio temporalium & spiritualium fore [illegible] Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform cap.* 16. constitutum sit, ut Capitulum sede vacante Oeconomum unum vel plures fideles decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant Item ad exercendam Jurisdictionem officialem seu vicarium intra *octo dies* post mortem Episcopi constituere, vel existentem conformare teneatur, qui saltem in Jure Can. sit Doctor vel Licentiatus, vel alias quantùm fieri poterit idoneus, si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur, & si Ecclesia ipsa Metropolitana aut exempta, Capitulúmque ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffrageneis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum, & Vicarium possit constituere. Episcopus porrò ad vacantem Ecclesiam promotus poterit ab iisdem oeconomo & vicario, aliisq;, quibuscunq; officialibus & administratoribus, etiamsi fuerint

de Capitulo, rationes exigere, & in officio ſuo delinquentes punire, ut in eod. *c.* 16. *Trid.* habetur.

16 Notandum ultimò quòd hactenus dicta potiſſimùm intelligantur de Capitulis Cathedralium Eccleſiarum. Quid verò dicendum ſit de Conventibus & Capitulis Monaſteriorum & aliarum Eccleſiarum inferiorum, non eſt una omnium ſententia. Sunt enim, qui ſimpliciter ſtatuant, mortuis vel ab officio ſuſpenſis, vel remotis Prælatis Jurisdictionem immediatam devolvi ad Epiſcopum vel alium proximum ſuperiorē, qui Eccleſiæ vacanti conſtituat adminiſtratorem. Et pro hac opinione citatur Archiadiaconus *in cap. 2. de teſtibus in 6.*

Alii contrariū & præſertim in Monaſteriis vacantibus Jurisdictionem ad Priorem clauſtralē, & Conventum in *ſpiritualibus. & temporalibus* devolvi aſſerunt, pro quibus allegatur Innocentius *in cap. fin. dilectus. de conſuetudine, textus in cap. fin. de Regularibus in 6. & in Clement. ne in agro. ℞. ſi quis autem. verſic. ſi quis vero. de ſtatu Monachorum.* Atq; hanc ſententiā univerſali conſuetudine eſſe receptā teſtatur Tamburinus. *de Iure Abbatum tom 2. diſput. 1. q. 4 n. 5.* eamque veriorem cenſet Panorm. *inc. fin. de ſtatu Monac. n. 8.* ſaltē, ſi Eccleſia vacet per mortem aut reſignationem Prælati, ſi verò propter depoſitionē ex delicto, præſumptionē tunc eſſe etiam contra Capitulū, ideóq; à Superiore dandū adminiſtratorem cum Joanne Andrea exiſtimat. Sed quia textus in d. Clem.

Clem. *ne in agro.* in ſpecie loquitur de Prælato ob delictum ſuſpenſo, & Tambur. *d. l.* etiam ponit caſum, quo Prælatus à dignitate removetur, ideò hæc Panorm. exceptio videtur explicanda, ut tunc procedat, quando plures de Conventu ſunt ſuſpecti. Generaliter autem Epiſcopo, vel Superiori non minus ſede vacante, quàm impleta, ſua Jurisdictio ordinaria, quam aliàs in Monaſterium habet, ſalva manet.

Cæterùm quod docet Innoc. *in d. c. cum dilectus. n.* 1. & Felin. *in c. edoceri. de Reſcript. ſub n.* 7. Conventum vacante ſede poſſe litem ſuper bonis Monaſterii intentare, & procuratorem conſtituere, cùm Abbates non ſoleant habere propria bona ſicut Epiſcopi, ſed ea communiter pertineant ad Monaſterium, putarem temperandum juxta ſententiam Panorm. *in c.* 3. *h. t. n.* 5. ut procedat, ſi vacatio ſit diuturnior, & Authoritas Epiſcopi vel Superioris accedat, quia etiam in bonis communibus Epiſcopi & Capituli non conceditur Capitulo ſede vacante agere, ut communiter notant DD. *in d. c.* 3. *h. t.* & actionem inſtituere magni præjudicii, ac nonnunquam periculi eſt, atque voluntarium magis, quàm neceſſarium, quando citra damnum præſcriptionis (quæ ſede vacante non currit *c. de quarta. & c. auditis. de præſcript.*) vel aliud in tempus novi Prælati differri poteſt. 17

TITULUS XXXIII.

Est 28 in Lib. 1. Decretal.

De Officio Vicarii.

SUMMARIA.

1. *Vicarius alius natus, alius datus.*
2. *Vicarius alius Generalis, alius foraneus.*
3. *Vicarius Generalis potest esse tantùm in spiritualibus.*
4. *Vicarius foraneus quis.*
5. *Vicarius Generalis, & foraneus in pluribus differunt.*
6. *A Vicario generali non appellatur ad Episcopum.*
7. *Ponitur exceptio.*
8. *Excommunicato Episcopo an suspendatur jurisdictio Vicarii.*
9. *Vicarium an teneatur habere Episcopus, & an possit esse Religiosus, vel Laicus.*
10. *Vicarius in quibus debeat habere speciale mandatum, latiùs expenditur.*
11. *Vicarii officium qualiter finiatur.*

QUamvis Archidiaconus & Archipresbyter Vicarii Episcoporum dicantur. *c. 1. de offic. Archidiac* tum quia in divinis officiis vices Episcopi, tum in inspectione Diœcesis curam gerunt: quia tamen isti in minoribus tantùm causis potestatem habent, ideò Jure & moribus receptum est, quòd Episcopus soleat alium *Vicarium* deputare, qui in ejus tribunali universim Jus & Justitiam administret, atque principalis Episcopi Minister existat. Unde & Barb. *de offic. Epis. alleg.* 54. *n.* 16. Archidiaconos & Archipresbyteros vocat *Vicarios natos*, quibus ipso ju-

1

re,

re, & unacum officio Archidiaconali vicariatus quasi agnascitur, & alios *vicarios datos*, qui ab Episcopo creantur: sicut superiùs dictum, alium esse *legatum natum*, alium *missum*, & de Jure civili tutor alius *legitimus*: alius *dativus*, juxta tex. & interpre. *in tit. inst. de legitimâ agn. tut. & Tit. de Attil. tutore.*

Vicarius Episcopi vel *generalis* est, vel *foraneus*: generalis qui & *officialis* Episcopi dicitur, est ille, qui generale mandatum habet ad totam Episcopi Jurisdictionem (specialibus tantùm quibusdam exceptis) in civitate, & Tribunali ipsius Episcopi exercendam. Adeóque & propter præeminentiam sui officii in dignitate constitutus esse censetur, *Clem. 2. de Rescriptis. in 6.* eumque principalem Episcopi ministrum appellat, & præ omnibus alijs Canonicis, & Clericis saltem absente Episopo habere præcedentiam, dicit Riccius *in praxi aurea. parte 4. resolut. 39 1.* in qua tamen præcedentiarum materia ad consuetudines locorum potissimum attendendum est. 2

Dubitant Doctores, an ut aliquis dicatur Vicarius Generalis debeat non tantùm habere administrationem in *spiritualibus*, puta circa Clericos, beneficia, curam animarum, aliásque spirituales causas, sed etiam in *temporalibus*, nimirum circa bonorum temporalium alienationem, elocationem, reddituum collectionem? Utramque administrationem requirit Rebuffus *in praxi beneficiorum, in Tit. forma vicariatus,* 3

num.

num. 16. & Azor. *parte* 2. *lib.* 3. *c.* 43. *quæst.* 7. contraria tamen opinio, & quòd sola administratio *spiritualium* sufficiat, probabilior, & receptior est, *arg. text. in Trid. sess.* 13. *de refor. c.* 2. ibi. *seu illius etiam vicarii in spiritualibus generali*, & *in c. cum nullus. de temporibus ordinat. in* 6. ibi *ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis &c. Garc. de benef. parte* 5. *c.* 8. *n.* 122. *Barb. de officio Episcopi, parte* 3. *Alleg.* 54. *n.* 57. Ulterius hæc posterior opinio non parum confirmatur ex Trid. *sess.* 24. *de Reform c.* 16. ubi statuitur, ut Capitulum sede vacante infra 8. dies post mortem Episcopi Vicarium (utique *generalem*, quia ad totam Capituli Jurisdictionem exercendam deputatur) constituat, vel existentem confirmet, & præter istum Vicarium voluit tamen etiam deputare *œconomum*, qui fructus & reditus Ecclesiæ colligat, uterque autem futuro Episcopo rationem reddat, ille de Justitiæ, hic de temporalium administratione facta sede Episcopali vacante. Ex quo satis clarè colligitur administrationem temporalium ad officium *Vicarii generalis* ipso Jure non pertinere.

4 Vicarius *foraneus* est, quem Episcopus habens amplam diœcesin in certa aliqua ejus parte constituit. *foraneus* dicitur, quòd *foris* extra civitatem Episcopi constitutus sit. *Gloss. in c. Romana in v. foraneos de officio Ordinarii in* 6. concludit quoque Barb. *d. loco n.* 126. quòd Episcopus quidem in civitate ubi ipse residet possit duos *Vicarios generales* creare, ut causarum expedi-

tioni

tioni faciliùs consulatur, non autem in diversis locis, & extra civitatem suam, ita quidem, ut etsi Episcopus haberet duas diœceses æquè principaliter unitas (idem videtur si una diœcesis extendatur in duas diversas Provincias) non tamen posset duos Vicarios generales constituere, sed ille qui foret in civitate, ubi Episcopus residet esset *generalis*, alter *foraneus*; verùm hæc sententia apud nos recepta non videtur, solent enim Episcopi habentes amplas diœceses ad diversas Provincias extensas plures *Vicarios generales* constituere. hæc quidem propositio in Jure fundata est: *omnis Vicarius foraneus constituitur extra civitatem Episcopi*; at forsan non ista universalis conversio, *ergo omnis, qui extra civitatem Episcopi constituitur, est foraneus.* erit tamen talis Vicarius non generalis simpliciter, sed cum addito, *in tali Provincia vel districtu*, & si ab ipso ad Episcopum appellatio concederetur, tunc in effectu parùm differret à foraneo, & erit potiùs Vicarius *geneneralis titularis.*

Interest autem in effectu, an quis sit Vicarius 5
generalis vel *foraneus.* Primò, si in Jure vel rescripto Apostolico aliquid *Vicariis generalibus* committatur, ad foraneum non pertinebit. Secundò *Vicarius generalis* est in dignitate, & propterea habilis, ut sit delegatus vel executor causarum Papalium, non verò Vicarius *foraneus. Clem. 2. de rescript. junctoc. statutum. eod. tit. in 6.* Est enim dignitas administratio cum Jurisdictione, & præcedentia, qualis præcedentia singularis

gularis de Jure Vicario foraneo non competit, adeò ut, nec Præpositos Collegiatarum Ecclesiarum præcedat, & propterea magis officium, quàm dignitatem habere censeatur, teste Barb. *d. loc. n.* 140 nisi consuetudine fortè Vicariatus *foraneus* pro dignitate haberetur. 6 Tertiò Vicarii *generalis* tribunal est ipsum tribunal Episcopi, ideò à Vicario *generali* non ad Episcopum, sed Archiepiscopum appellatur, ne ab eodem ad eundem appelletur. *c. 2. de consuet in 6. c. Romana. de appellat. in 6.* At verò à Vicario foraneo, qui separatum tribunal habet, ad Episcopum appellari posse, probabilius est, cum Glos. *in d. c. Romana. in princ. in explicatione §. fin. & in d. Clem. 2. in v. foraneò.* idque etiam apud nos usu receptum, ubi ab Archidiaconis (quos habere cognitionem causarum matrimonialium, & criminalium de Jure communi præsertim Conc. Trid. eis non competentem. & ideò rectè Vicariis *foraneis* annumerari superius dictum est) ad Episcopum appellatio interponitur.

7 Interim circa Vicarium *generalem* non pauci doctores concludunt, quòd licet à sententia *definitiva* Vicarii *generalis* ad Episcopum non appelletur, appellari tamen possit ab *interlocutori*, item etiam de nullitate sententiæ coram Episcopo agi. *Zerola in praxi Episcoporum. v Vicarius. Joan Honorius. hoc tit. n. 23. & alii ibidem cit.* Ratio esse potest, quòd Vicarius interloquens, aut sententiam de Jure *nullam* proferens officio suo planè functus non sit, ac consequenter Jurisdictionem

ctionem Episcopi necdum exercuerit per totius causæ definitionem, ut propterea nihil obstet, quin in eâdem causâ adhuc ab Episcopo exerceri valeat.

Sed & si ab Episcopo una specialis causa, quæ ordinario Jure, & ex generali mandato (de quo mox dicemus) Vicario non competit, eidem delegetur, ab eo ad Episcopum appellandum erit, ceu à delegato ad delegantem. *L. 1. eod. Qui pro sua jurisdictione.* si tamen detur potestas Vicario talem causam quandocunque emergentem semper imposterum tractandi, non erit Vicarius simpliciter delegatus, sed *delegatus ad universitatem causarum*, & coadunabitur hæc potestas accessoria cum potestate ordinariâ in ordinario tribunali Episcopi exerceri solita, juxta *c. accessorium. de R. I. in 6.* & non ampliùs ad Episcopum, sed ejus superiorem appellatio dabitur.

Præterea etiam videtur probabiliter dici posse, quòd excommunicato Episcopo non suspendatur Jurisdictio Vicarii *foranei*, nam Gloss. & Doctores *c. 1. hoc. tit. in 6.* de Vicario *generali* accipiunt, & quidem ex hac causali quòd idem cum Episcopo tribunal habeat, quæ ratio deficit in Vicario *foraneo*, uti etiam in delegato notavit Gloss. *in eodem c. 1. in v. ipsius.* 8

Quæritur etiam an Episcopus teneatur creare Vicarium, & an possit Laicum vel Religiosum Vicarium constituere: R. primò si Episcopus velit, & sufficiat causas per se tractare, non posse cogi ad Vicarium constituendum, quia 9

ipsi

ipsi Episcopo principaliter competit Jurisdictio, & exercitium ejus, secus verò si ob amplitudinem Diœcesis, aliásque occupationes sive difficultates id facere nequeat; tunc enim ratio naturalis id exigit, ut justitiæ, litigantibus, & statui Ecclesiastico per deputationem Vicarii consulatur; quo modo conciliari posse videntur diversæ de hac quæstione Doctorum opiniones relatæ à Barb. *d. Alleg.* 54. *n.* 122.

R. II. de Religioso communiter affirmari cum Navar. *in Commentario 2. de Regularibus n. 63.* Azor. *parte 2. lib. 3. c. 42. q. 10.* quòd cum licentiâ sui Abbatis possit esse Vicarius Episcopi. Excipiunt tamen Religiosum de *Ordine mendicantium*, propter text. *in Clem. 1. §. ad Prioratus de Regularibus.* Item & Religiosum illegitime natum, qui licet per ingressum in Religionem legitimetur quoad Ordines, non est tamen capax dignitatum. Majolus *de irregularitate lib. 1. c. 3. n. 10.*

R. III. de Laico communiter negari, quòd Vicarius Episcopi esse valeat, quia utique inconveniens est, ut Laicus personam Episcopi repræsentet, in ejus tribunali præsideat & omnem spiritualem Jurisdictionem exerceat, contra *c. 2. de judiciis.* Unam tamen, vel alteram causam pecuniariam, & civilem Laico delegari posse ab Episcopo, non improbabiliter docet Glossa *in d. c. 2. in v. non præsumant.* Panor. *ibidem n. 9. & 13.* Assessorem quoque sive Consiliarium Episcopi in causis Ecclesiasticis posse esse Laicum non tantùm inter Doctores, sed etiam

in

in praxi receptum est, Vicarium etiam Episcopi in *temporalibus* tantùm, nimirum ad colligendos ejus reditus (qui potiùs œconomi officium habet) Laicus esse non prohibetur.

Cæterùm Vicarius *generalis* licet habeat gene- 10
rale mandatum, non tamen potest omnia facere, quæ Episcopus, sunt enim multa, quæ *speciale mandatum* requirunt: Imò etsi Episcopus constituendo Vicarium diceret, *do tibi potestatem, omnia meo nomine exercendi, etiam quæ speciale mandatum requirunt.* Adhuc tamen talis clausula in Jure pro non sufficiente, & nimis generali haberetur, adeoque adhuc procederet regula 81. *juris in 6.* quòd *in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus.* Ut ergò Episcopus, cum effectu possit constituere Vicarium etiam *ad specialia*, debet aliqua *specialia* nominatim exprimere additâ dictâ clausulâ *& omnia alia &c.* & tunc quidem Vicarius poterit omnia *minora* expressis, non autem majora. Ita enim in mandato Procuratoris (à quo bonum est argumentum ad mandatum Vicarii, qui quodammodò est Procurator Episcopi) satis aperte patet *ex c. qui ad agendum de Procuratoribus in 6. juxta Clem. 2. eod. tit. Garc. de beneficiis. parte 5. c. 8. n. 68. & communiter alii.*

Verùm quænam sint illa omnia quæ speciale 11
mandatum requirunt, difficile est, aliquâ generali regulâ complecti, propter diversas Doctorum sententias & opiniones. Unam regulam ponit Garc. *d. l. n. 46. & 63.* quòd ea quidem,

quæ ſunt *de juſtitiâ* neceſſariò adminiſtranda, ut deciſiones cauſarum litigioſarum, inſtitutio præſentatorum &c. regulariter poſſit Vicarius, non verò ea, quæ ſunt *merè gratiæ*, ut diſpenſare, conferre beneficia &c. niſi utrobique ſpeciali Jure exceptio ponatur.

Attamen etiam hæc regula non eſt infallibilis vel apud omnes recepta. Etenim circa *actus juſtitiæ*, ut plura alia omittamus docet Rebuffus *in praxi beneficiorum. in tit. forma Vicariatus. n.* 126. quòd Vicarius præſentatos à patronis ſine ſpeciali mandato inſtituere non poſſit. Item *n.* 155. quòd cauſas matrimoniales tractare nequeat, licet interim in utroque puncto communior opinio ſit in contrarium apud Barb. *d. Alleg.* 54. *n.* 70. *&* 74. circa actus etiam *gratiæ* ut diſpenſationes, remiſſiones denuntiationum matrimonialium, & ſimiles, plures contrarium ſentiunt apud eundem Garc. *d. l. n.* 54. *cit.* Quare potiùs videtur dicendum cum Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 59. *q.* 2. *n.* 1. *& ſeq.* quòd cùm Vicarius utatur jurisdictione, & tribunali Epiſcopi, regulariter, quæ conceduntur Epiſcopo, etiam ipſi conceſſa intelligantur, niſi fuerint ſpecialiter in Jure excepta, vel res arduæ, & magni præjudicii, quæ veriſimiliter Epiſcopus nollet ſine ſuo præſcitu expediri. Excipitur autem ſpecialiter in Jure. I. Quòd licet in Vicarium ex generali mandato transferatur cauſarum cognitio, id tamen potiùs de *civilibus*, quàm *criminalibus* intelligendum ſit, adeòque

ſine

ſine ſpeciali mandato Vicarius non habeat poteſtatem inquirendi, puniendi, beneficiis, officiis vel adminiſtrationibus privandi. *c. 2. hoc tit. in 6.*

Excipitur II. collatio beneficiorum, quæ eſt ſpecies donationis; donationes enim rei alienæ adminiſtrator facere nequit, etiamſi illi libera adminiſtratio conceſſa ſit. *c. 3. eod. tit. in 6.* quod tamen, ut dictum, communiùs de *collatione liberâ*, non de *inſtitutione* accipiunt. Nam *inſtitutio* propterea non habet ſpeciem donationis; cùm præſupponat Jus petendi in præſentato, cui ex præſentatione Patroni Jus acquiſitum fuit.

III. Vicarius Epiſcopi non poteſt ſine ſpeciali mandato dare *dimiſſorias litteras*, niſi Epiſcopo in remotis agente. *c. cum nullus. de temporibus ordinat. in 6.* Unde & ſtylus eſt, quòd Vicarii dantes *dimiſſorias*, inſerant nominatim clauſulam, *ex ſpeciali mandato &c.* Quandónam autem Epiſcopus dicatur in remotis agere tractat ibidem Gloſſa *in v. remotis.* ubi poſtquam diverſas ſententias retulit, nimirùm quòd aliqui cenſeant, ſi abſit extra Provinciam. *arg. l. ult. eod. de præſcript.* 10. *vel* 20. *annorum.* vel ſi abſit ultrà duas diætas à ſuâ Civitate; *arg. c. nonnulli. de Reſcriptis.* Denique concludit, hoc eſſe arbitratium, ſcil. pro majori, vel minori difficultate conveniendi Epiſcopum.

IV. Licet Epiſcopus in omnibus irregularitatibus & cenſuris ex delicto occulto provenientibus (exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio

voluntario & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum) diſpenſare poſſit, juxta Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 6.* id tamen Vicario abſque *ſpeciali mandato* non conceditur, ut apparet ex illis verbis *in cit. loc. Trid.* poſitis: *per ſe, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum &c.* In hæreſis autem crimine Conc. *d. loco* Epiſcopis tantùm, non eorum Vicariis abſolutionem concedit. Non deſunt tamen interpretes, quorum meminit Sanch. *de Matrimonio, lib. 2. diſp. 40. n. 17.* qui putant, etiam caſum hæreſis poſſe ſpecialiter Vicario delegari, dummodo illa delegatio non ſit perpetua, ſed ad unum, vel alterum præſentem caſum reſtricta. durum enim videtur ut Epiſcopis delegandi poteſtas à communi Jure conceſſa univerſim adimatur, adeóque benigniori interpretatione opus eſt.

V. Non poteſt Vicarius ſine ſpeciali mandato abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis. *c. 2. de pœnitentia & remiſſ in 6.*

VI. Vicarius ſine licentiâ Epiſcopi alium Vicarium ſubſtituere nequit. Nam is tantùm mandare Jurisdictionem poteſt, qui eam ſuo Jure, non alieno beneficio habet, *leg. more majorum. ff. de Jurisdictione.* mandatam autem Jurisdictionem ipſemet habens, ſicut Vicarius, caret propriâ Jurisdictione, & alienâ utitur, ſcilicet ipſius Epiſcopi. *L. 1. ff. de officio ejus cui mandata eſt.* conſequenter alteri mandare non poteſt. Eſt autem *mandare Jurisdictionem*, univerſitatem cauſarum alicui committere, ut in ſequenti titulo

tulo explicabimus. Unam verò vel alteram particularem causam Vicarius Episcopi, & quicunque *mandatam* Jurisdictionem habet, etiam sine mandato speciali delegare non prohibetur. *L. cum Prætor. 12. l. 2. ff. de judiciis. Gloss. in c. 1, in v. ipsius. hoc tit in 6.*

VII. Sine speciali commissione Diœcesim visitare non potest Vicarius, hoc enim onus principaliter Episcopo incumbit, nisi justo aliquo impedimento detineatur. *c. si Episcopus & ibi Gloss. in v permittitur de offic. ordinarii. in 6.* Et hæc sunt quæ textibus clarioribus innituntur. Multa verò alia refert Barb. *de officio Episcopi. Ale leg. 54* quæ Vicario prohibita sunt, in quibus tamen sæpè reperiuntur discordes opiniones Doctorum, & alia regula dari vix potest, quàm ex arbitrio prudentis viri, an nimirùm casus emergens sit similis vel major illis qui in Jure expressi sunt, & quem Episcopus verisimiliter nolit sine suo præscitu expediri. E. g. authoritatem in alienatione rerum Ecclesiasticarum majoris momenti interponere, resignationes beneficiorum recipere, pensionibus vel collectis, aut charitativo subsidio onerare beneficia, & Clericos, concedere alieno Episcopo licentiam actus Ordinis in Diœcesi exercendi, relaxare censuras ab Episcopo latas, & similia. In praxi rariùs est difficultas, quia si Episcopus sit præsens, negotia magis ardua ad ipsum referuntur; si sit absens, solet dare plenius mandatum etiam *ad specialia* ipsi Vicario, & deinde consuetudo

Digitized by Google

& ſtylus judicii plerumque declarat, in quibus Vicarius Epiſcopi ſine *ſpeciali mandato* procedere valeat.

Finitur officium Vicarii revocatione Epiſcopi, item morte vel excommunicatione, ſicut in Epiſcopo tollitur Jurisdictio, ita etiam in Vicario, qui non cenſetur habere propriam, ſed mandatam & Epiſcopi Jurisdictionem. *c. 1. h.t. in 6. Gloſſ. in Clem. ult. in v. conteſtata. h.t. Zoës. h.t. n. 12.* Oporteret hic poſt tractatum de Vicariis Epiſcoporum, aliqua ſubjungere de Vicariis privatorum Clericorum, & qui præſertim in Parochiis exponuntur, ſed de his videri poterunt dicta in Man. Paroch. *p. 2. cap. 4.*

TITULUS XXXIV.

Eſt 23. in Lib. 1. Decretal.

De Officio Archidiaconi.

SUMMARIA.

1. *Archidiaconus quis, & quod ejus officium.*
2. *Archidiaconus de quibus cauſis judicare non poſſit.*
3. *Explicatur* c. referente. 7. de præbendis.
4. *Archidiaconis ſolet in hac Diœceſi major jurisdictio demandari.*
5. *Archidiaconus quæ prohibeatur facere.*
6. *Archidiaconus non habet jurisdictionem in Monaſteriis.*
7. *Archidiaconus an poſſit excommunicare.*

1 ARchidiaconus græca ſignificatione *primus* ſeu *Princeps miniſtrorum* dicitur, *archos* enim

prim

primum, & diaconus *miniſtrum* denotat. *c.* 1. *diſt.* 21. unde Jure antiquorum Canonum Archidiaconatus prima dignitas erat poſt Epiſcopum, ſicut probat Barb. *jur. Eccleſ. univ. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 2. & 3. hodie tamen uſus primum Monaſterium *Vicario generali* attribuit, ut dictum.

Officium Archidiacohi de Jure eſt, I. Clericis & miniſtris Eccleſiæ, quæ facienda ſunt præcipere, Eccleſiaſticum & divinum officium diſponere, lectiones aſſignare, Acolytos conſtituere. *c.* 1. & 2. *h. t* II. primariam ſacrorum vaſorum & Eccleſiæ cuſtodiam habere. *c. ea quæ. h t.* III. loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens corrigere debet, quæ corrigenda ſunt, niſi adeo fuerint ardua negotia, quæ abſque Epiſcopi præſentia nequeant terminari, unde & *oculus Epiſcopi* dicitur, *c. ad hæc hoc tit. & in Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 12. in quo *Trid. l* etiam requiritur, ut Archidiaconus, ſi fieri poſſit, Magiſter in Theologia, aut Doctor vel Licentiatus in Jure Canonico exiſtat. IV. de tertio in tertium annum, ſi Epiſcopus non poſſit, diœceſin viſitet. *cap.* 3. *hoc tit.* quæ tamen hodie viſitatio ſingulis annis per Epiſcopum ipſum, aut eo impedito, per Vicarium generalem fieri deberet intra annum, vel ſaltem, ſi nimis ampla ſit diœceſis, intra biennium compleri. *Trid ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 3. V. Eccleſias ſui Archidiaconatus ſemel in anno viſitare, nec ſæpius, niſi ex cauſa neceſſitatis. *c. mandamus. hoc. tit*, addit quoque Concil. Trid. *d. c.* 3. ut

Archidiaconi, Decani, & alii inferiores in Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitimè consueverunt, debeant assumpto Notario, de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantùm ibidem visitare, ac visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium ac integra acta eidem Episcopo exhibere, non obstantibus quacunque con-
2 suetudine, exemptione, vel privilegio. VI. Demum causæ Ecclesiasticæ coram Archidiacono ventilantur. *d. c. ad hæc.* Concilium tamen Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 20. excepit causas *matrimoniales*, & *criminales*, majores scilicet, sed & causæ *beneficiales*, aliæque *altioris indaginis* videntur esse supra Jurisdictionem Archidiaconi, per text. *in d. c.* 20. Trid. & quæ ibi notat Barb. *in Collect. n.* 6. nam & de Jure communi tantùm de modicis jurgiis, & causis Clericorum, præsertim in ecclesiariis competere Archidiacono cognitionem notavit Gloss. *in d. c. ad hæc, in v. jurgia*, & textum *in c. referente*, 7. *de præbendis*,
3 ubi Archidiaconus Clericum beneficio privavit, & in eo alium instituit de Jure speciali scil. consuetudine, vel Privilegio, ex quo illud beneficium pleno Jure ad Archidiaconū pertinuit, interpretatur Panorm. *ibidem n.* 2. vel quòd id factum sit authoritate Episcopi censet Barb. *d. c.* 24. *n.* 28.

Verùm in quibusdā Diœcesibus, ut in hâc Sa-
4 lisburgensi, Archidiaconis, etiā de matrimonialibus, & aliis causis in primâ instantiâ judicare

concess-

Digitized by Google

concessum, ex speciali comissione Episcoporum, quam jam longior consuetudo confirmavit. Quare in similibus causis, quæ Archidiaconis non competunt vi sui officij, & ex Jure communi, sed ex speciali commissione non tam Archidiaconi, quàm *Vicarii forane* (de quibus inferiùs in tit. de Vicario dicemus) censendi sunt.

5 Diximus hactenus quæ Archidiaconus vi sui officii facere potest, & debet, ex præscripto Juris; nunc subsequenter videamus, quæ facere prohibeatur: & quidem primò sine mandato Episcopi alicui curam animarum committere nō potest, & sic non habet institutionem quam vocant *Authorizabilem. c. cùm satis. hoc tit.* Institutio tamen *corporalis*, sive actualis beneficiati in possessionem introductio ad eum pertinet. *c. ad hæc.* sicut & actualis Abbatum, & Abbatissarum in sedem collocatio. *c. ut nostrum hoc tit.* non obstat *c. licet Episcopus. de præbendis in 6.* ubi responsum est, missionem in possessionem beneficiorum ad Episcopum pertinere, quia potest intelligi de sententiâ seu decreto judiciali, non verò de ipsa executione, seu ut vulgò loquimur installatione. II. Archidiaconus sine licentia Episcopi *dimissorias* dare nequit ordinandis. *c. significasti. hoc tit.* III. Multò minùs ex defectu Ordinis Episcopalis Ordines conferre potest; Examinare tamen debet ordinandos, & Episcopo præsentare. *d. c. ut nostrum.* quæ tamen hodie præsertim post Trid. ubi examinatores ab Episcopo deputantur, aliter usu observantur. IV. In Monasteriis

6 steriis Jurisdictionem non habet, nisi quantum tribuit ei generalis vel specialis consuetudo. *c. dilecto. hoc tit.* V. Excommunicare non potest. *c. Archidiaconus. hoc tit.* nisi & hoc ipsum habeat vel ex authoritate Episcopi, vel ex consuetudine, quo sensu intelligitur *d. c. referente. de prebendis. & c. 1. de eo qui furtive ordinem suscepit.* Nec movet quòd Archidiaconus sit Judex ordinarius, quilibet autem ordinarius ipso Jure potestatem excommunicandi habeat, sicut videtur tenere Innoc. *in d. c. Archidiaconis. arg. c. 3. de officio jud. ordin.* nam potest responderi, excommu-
7 nicationem esse actum majoris Jurisdictionis & quæ nō nisi in gravioribus causis ferri solet, Archidiacono autem tantùm competere minorem Jurisdictionem in levioribus causis ut dictum, sicut ergo in statu sæculari potest dari Jurisdictio ordinaria minor (quam practici *bassam* vocant) sine Jure gladii temporalis, ita etiam in statu Ecclesiastico potest esse Jurisdictio quædā inferior ordinaria sine Jure gladii spiritualis. Denique in variis Diœcesibus circa Archidiacō. nos plurima in desuetudinem abierunt, vel certè per Vicariū, aut alios ministros expediuntur.

TITULUS XXXV.

Est 24. in Lib. 1. Decretal.

De Officio Archipresbyteri.

SUMMARIA.

1. *Archipresbyter quis? Et subest Archidiacono.*

2. *Ar-*

Digitized by Google

2. *Archipresbyter urbanus & ruralis.*
3. *Archipresbyter an habeat Iurisdictionem.*
4. *Archidiaconus & Archipresbyter debent suscipere Ordinem suo nomini congruentem.*

Archipresbyter quasi primus Presbyterorum dicitur ille, qui præest Presbyteris & Presbyteralibus officiis. *c. 1. hoc tit.* alioque nomine etiam Decanus quandóque vocari solet. *c. ad hæc de officio Archidiaconi.* subest Archidiacono. *c. 1. h. t.* licèt enim sit ordine major tanquam Sacerdos, cùm non requiratur ut Archidiaconus sit Presbyter, est tamen inferior Jurisdictione, quia ad Archidiaconum totius Diœcesis sollicitudo de Jure antiquorum Canonum pertinet, unde & *Vicarius natus* à Doctoribus appellatur, de quâ præcedentia inter Archidiaconum & Archipresbyterum videri potest Barb. *Iuris Eccles. univ. lib. 1. c. 24. & seq.* 1

Sunt autem Archipresbyteri alij *urbani*, seu *civitatenses*, alii *plebani*, sive *rurales*. Urbani sunt, qui in Ecclesia Cathedrali horis Canonicis præsunt & Episcopi vicem in divino suplent officio, *Rurales*, qui curam animarum in plebe exercent, & super alios Parochos, ac Presbyteros, qui per minores titulos habitant inspectionem gerunt, circa quos inferiores Clericos ea quidem quæ minora sunt absque figurâ Judicii disponere, & componere possunt, majora verò omnia, & ea, quæ sine Judicii figurâ expediri nequeunt ad Episcopum referre debent, imò nec inobedientes, & negligentes vel delinquentes siue authoritate 2 3

ritate Episcopi punire valent. *c. officium. c. fin. ubi Glossa. in v. referant. & Abbas hoc tit. Riccius in praxi aurea. parte 2. Resp. 93. Barb. Iur. Eccles. univ. lib. 1. c. 25. n. 32. & seqq.* hinc est, quòd Archipresbyter non habeat proprie Jurisdictionem, & nec propriè sit Judex ordinarius. Contrarium quidem insinuat Innoc. *in c. Archidiacono. de officio Archidiaconi.* eò quòd in *c. 3. de officio Iud. Ord.* supponatur, Archipresbyterum posse sententiam excommunicationis ferre, verior tamen est interpretatio Gloss. & Barb. *in eodem c. 3.* quòd plebanus, de quo fit mentio in illo *c. 3.* ex consuetudine (quæ aliquando dat Jurisdictionem, *c. dilecti. de arbitris.*) vel alio speciali Jure, aut Privilegio habuerit majorem potestatem, quam alias de Jure communi Archipresbyteris competit.

4 Porrò Archidiaconi, & Archipresbyteri admonendi sunt, ne solum nomen, sed etiam ordinem nomini congruentem suscipiant; unde nisi Archidiaconus intra annum à die suscepti officii ordinem Diaconatus, & Archipresbyter Presbyteratus consequantur, amittunt officium. *c. 1. dist. 60. c. 1. X. & Clem. 2. de ætate & qualitate.*

TITULUS XXXVI. VII. VIII.

Sunt 25. 26. 27. in Decretal.

De Officio Primicerij, Sacristæ & Custodis.

PRimicerius dicitur, quasi primus in choro & pri-

Digitized by Google

primus ratione cantus, atque alio nomine *Præcentor* vocatur secundum Hostien. *in summa hoc tit.* Officium enim cantandi, & psallendi, atque alios in eâdem re instruendi illi principaliter de Jure incumbit, & inferioribus Clericis lectiones ad matutinum, & modum cantandi assignare debet. *c.* 1. *§. ad primicerium, dist.* 23. *c. unico. hoc tit.*

Sacrista dicitur, ad quem propriè sacrorũ vasorum, & thesauri Ecclesiastici cura spectat, unde etiam *thesaurarius* vocatur. *d. dist.* 25. *c.* 1. *in fine.*

Custos quasi Minister Sacristæ. *Gloss. & Panor. ad Rubricam tit. de officio Custodis.* ad ejus officium pertinet jussu Archidiaconi ad horas canonicas pulsare, pallia & linteamina altaris & reliqua utensilia Ecclesiæ diligenter custodire, & quæ ad Sacrificium Missæ necessaria sunt, parata habere. *c.* 1. & 2. *de Officio Custodis.*

Istæ quidem officiorum distinctiones, & subalternationes de Jure traduntur; hodie verò in diversis Ecclesiis diversi mores, ac ritus reperiuntur, ita ut titulum, vel præbendam talium officiorum Canonici obtineant, ipsius verò officii executio per Vicarios, etiam Laicos, & Ecclesiarum famulos expedi[illegible]tur.

Præterea olim in Ecclesiis Cathedralibus unus constituebatur, qui Clericos inferiores latinum sermonem, cantum, & alias artes, ac disciplinas docebat, atque inde *Scholasticus* dicebatur, de quo etiam statuit Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 18. ut Doctor vel Licentiatus Theologiæ, aut

Ju-

Juris Can. esse debeat, qui valeat per se ipsum id Scholasticæ munus implere. sed & hoc officium hodie non exercetur, dum Clerici in Gymnasiis & Universitatibus artes liberales, & scientias addiscunt; nomen tamen adhuc retinetur in Ecclesiis Cathedralibus, sibi appropriat, qui *Scholasticus* appellatur.

TITULUS XXXIX.

Est 10. *in Lib.* 1. *Decretal.*

De Supplenda Negligentia Prælatorum.

SUMMARIA.

1. *Negligentia qualiter suppleatur in collatione beneficiorum.*
2. *Nrgligentiam exemptorum aliquando supplet Episcopus: item & delegati Papalis.*
3. *Negligentiam Episcopi supplet Archiepiscopus.*
4. *An etiam citra viam appellationis.*
5. *Iustitia denegata & protracta differunt.*
6. & 7. *Explicatur tex.* in c. 1. h. t. in 6. (natus.
8. *Explicatur tex.* in c. nullus. 17. de Jure Patro-

NE per negligentiam, & incuriam Prælatorum Ecclesiis aut subditis temporale aut spirituale damnum eveniat, rectè tum hîc in præsenti tit. tum sæpius alibi Jure constitutum est, ut officium, potestas, & Jurisdictio inferiorum Prælatorum in illo casu in quo sunt negligentes ad Superiorem devolvatur.

1 Porrò capitula potiora in hoc tit. posita loquun-

quuntur de supplendâ negligentiâ, quæ in collatione beneficiorum committitur; etenim ex Con. Lat. beneficia intra 6. menses computandos à die innotescentis vacationis conferenda sunt, quo termino elapso ab inferiore Prælato v.g. Abbate, Præposito, cui Jus conferendi ex privilegio, vel præscriptione competit ad Episcopum, ab Episcopo ad Capitulum, à Capitulo ad Archiepiscopum, ab hoc denique ad Summum Pontificem devolutio fiet, ut traditur in lib. 3. Decretalium. in tit. de præbendis.

Præterea Episcopi in pluribus aliis causis præter beneficiorum collationem, inferiorum Prælatorum negligentiam supplere possunt, & debent, & frequenter etiam *exemptorum* tanquam *Sedis Apostolicæ delegati*, quæ causa in aliis titulis pro exigentia materiæ enarrantur, & summatim tradit Barb. *de officio Episcopi. part. 2. in princ. à n. 85.* ubi *n.* 102. addit, quòd Episcopus negligentiam delegati Papalis authoritate ordinariâ supplere possit juxta casum notabilem *in c. significavit. de officio Ordinarii.* ubi causa super incæstu duorum ab Episcopo excommunicatione punita & propter appellationem excommunicatorum à summo Pontifice delegata rediit ad Episcopum, quòd delegatus in administrandâ Justitia negligens fuerit. 2

Sed & Archiepiscopus Episcopi non exempti negligentiam supplet, ejusque Jurisdictionem ad se devolutam exercet, ut si testes suæ Jurisdictioni subjectos in Judicio coram Archiepi- 3

scopo

ſcopo ventilato neceſſarios ad requiſitionem debitam non exhibuerit. ſi præſentatos à Patronis non inſtituerit, ſi crimina ſuorum Diœceſanorum notoria non emendaverit, ſi ultimas voluntates defunctorum executus non fuerit; ſi diſpenſationem aut abſolutionem debitam negârit &c. *Barb. de officio Epiſcopi p. 1. tit. 4. n. 19.* Quòd ſi Epiſcopus excommunicatus aut ab hoſtibus captus vel mortuus fuerit, non propterea Jurisdictio ejus ad Archiepiſcopum, ſed Capitulum devolvitur. *c. 1. & 3. hoc tit. in 6.*

4 Controverſia eſt inter Doctores, utrum Jurisdictio contentioſa Epiſcopi ob cauſam negligentiæ citra appellationem devolvatur ad Archiepiſcopum, ita ut omiſſis appellationibus ſive appellationis ſolennitatibus, mox per viam ſimplicis quærelæ, vel denegatæ, aut protractæ Juſtitiæ adiri poſſit: Extra caſus ſpecialiter in Jure expreſſos non devolvi Jurisdictionem ad Archiepiſcopum cujuscunque negligentiæ prætextu citra viam appellationis concludit Barb. *de officio Epiſcopi. p. 3. alleg. 126. n. 6.* eò quòd generaliter Archiepiſcopus careat Jurisdictione in ſubditos ſuffraganeorum, niſi quatenus ei expreſſo Jure conceditur; quod confirmat textus *in c. 1. hoc tit. in 6.* ibi: *cùm id non inveniatur à Jure conceſſum &c.* Alii econtra apud eundem Barb. *n.* 10. docent, univerſim ex negligentiâ Epiſcopi ad Archiepiſcopum ipſo Jure devolvi Jurisdictionem. Verum hâc in re videtur mihi valde rationabilis diſtinctio, quam ex

praxi

praxi Cameræ Imperialis tradit Andreas Gail. *lib.* 1. *obſ.* 28. an nimirùm cauſa coram Superiore judice cæpta & pendens ſit, vel an res adhuc ſit integra; priore caſu, appellatione opus erit. *arg. cap. ex parte.* 67. *de appellat.* quia primâ inſtantiâ ſemel occupatâ per litis conteſtationem non eſt tranſitus ad ſuperiorem judicem niſi per ſecundâ inſtantiam, adeoque per appellationem. Altero verò caſu ſi judex inferior, ſive Epiſcopus debitè ſaltem ſemel requiſitus Juſtitiam denegârit, generaliter devolvetur Jurisdictio primæ inſtantiæ ad Superiorem, ut etiam per viam ſimplicis querelæ adiri poſſit. *Textus in novell.* 17. *c.* 3. ubi enim prima inſtantia ab inferiore denegatur, neceſſariò debet apud Superiorem quæri, & quidem ſub ratione primæ, quia non eſt ſecunda ſine primâ. Quamvis autem aliàs in decernendis proceſſibus ſive admiſſione litis regulariter credatur ſoli relationi ſupplicantis, & actoris, exceptio tamen eſt in causâ *denegatæ juſtitiæ*, ut de denegatione debeat priùs per publicum inſtrumentum, vel alias legitimas probationes conſtare.

Differentia quoq; notanda eſt inter *denegatam*, & *protractam juſtitiam*, quòd poſtquàm Judex inferior verbis aut factis apertè denegavit Juſtitiam, ſtatim ſuſcipiatur cauſa in ſuperiori tribunali; poſtquam verò acceptavit quidem cauſam, ſed *protraxit*, & nèglexit finire, priùs decernantur à ſuperiore judice *promotoriales*, ut practici appellant, in quibus aſſignatur terminus, & certum 5

tempus inferiori judici pro Justitia administrandâ, & post illum terminum primùm Jurisdictio devoluta censetur, *Gail. d. l. n. 7. Mynſ. cent. 2. obſ. 24.*

6 Cæterùm ex allegato textu *in d.c. 1. hoc tit. in 6.* existimat quidem Barb. *d. l. cum aliis ibidem cit.* quòd nec ex rei naturâ aut rationis paritate & pondere circa actus tam contentiolæ, quàm voluntariæ Jurisdictionis ob negligentiam Episcopi fiat devolutio ad Archiepiscopum, nisi quatenus specialiter in jure concessum est. Magis tamen placet aliorum sententia, qui generaliter ex negligentiâ Episcopi devolutionem concedunt, cum *Glossa in d. c. 1. in v. culpis.* Hostiensi *in summa in tit. de officio ordinarij post num. 7.* Azorio *inst. mor. parte 2. lib. 3. c. 34. quæst. 10.* Ratio est primò quia Rubrica hujus tit. est generalis, & quæ sub eâ ponuntur exempla sunt declarantia, non
7 restringentia. II. Ratio legis est generalis, ut nimirum universim utilitati Ecclesiarum & subditorum prospiciatur, ne ex negligentiâ Episcopi damnum accipiant, ergo etiam Lex est generalis. Optimè ad propositum J. C. *in l. 13. ff. de Legibus. Quoties*, inquit, *unum vel alterum Lege introductum est, bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel jurisdictione vel interpretatione supplere.* In Legibus quidem merè pœnalibus non solemus argumentari â paritate rationis; at verò Lex *de supplendâ Prælatorum negligentiâ* pœnam præcisè non continet, sed utilitatem publi-

cam

cam respicit. Tertiò quia textus allegatus non loquitur de Episcopo negligente, sed delinquente, & censuris innodato, ut sensus sit, quamvis ex negligentiâ Episcopi devolutio fiat ad Archiepiscopum (aliàs enim inconvenienter illud Capitulum fuisset sub Rubricâ hujus tit. positum) non tamen ex culpâ Episcopi, cùm hoc non sit in jure expressum &c. ex quo apparet quòd interpretatio adversariorum, quasi nunquam ex negligentiâ Episcopi devolvatur Jurisdictio ad Archiepiscopum, nisi in casibus expressis sit contra verba & mentem Capituli, contra generalitatem Rubricæ, contra dictam legem 13. *de ll.* & demùm contra utilitatem publicam. Si tamen de negligentiâ Episcopi sufficienter non constaret, & protracta potiùs, quàm denegata Justitia foret, monitio & assignatio termini præcedere deberet, antequam ipsa causa principalis ab Archiepiscopo susciperetur.

Specialis dubitatio movetur ex *c. nullus* 17. *de jure patronasûs.* an si Laicus velit donare decimas justè possessas alicui loco Religioso, & Episcopus nolit dare consensum, possitne hoc Episcopi officium Archiepiscopus, vel tantùm Summus Pontifex supplerè? pro Summo Pontifice est textus *in d. c. nullus*, & tradit Panorm. *ibidem n.* 3. Barb. *d. lo. n.* 23. sed rectè videtur dici posse cum Calderino apud Panor. *d. lo.* non propterea quòd textus loquatur de Summo Pontifice excluſum fuisse Archiepiscopum, quia textus non utitur parti- § culâ

culâ aliquâ excluſivâ, *tantùm*, vel *duntaxat &c.* aliunde autem oſtendimus, quòd regulariter negligentia inferioris per proximum ſuperiorem ſuppleatur. Prætereà cùm in *d. c. nullus* non fuerit principaliter quæſtio mota, quis debeat in propoſito alterius negligentiam ſupplere, ſed tantùm, quòd Laicus ſpiritualia jura ſine conſenſu Epiſcopi loco etiam Religioſo donare nequeat, id illud *cap.* in genere de Epiſcopis (inter quos etiam Archiepiſcopi in ſuis Diœceſibus numerantur) loquitur, ut illis negligentibus ad S. Pontificem recurratur, ſine apertâ deciſione, an in hoc recurſu non debat regularis Ordo de Epiſcopo ad Archiepiſcopum ſervari.

PARTIS I.

LIBER II.

Continens ſæcularium perſonarum Matrimonia.

POſt perſonas Eccleſiaſticas oportet ut complendo Materiam hujus primæ Patris etiam de Perſonis Laicalibus earumque Matrimonijs & legitimis natalibus aliquid addamus. Sed quia Tractatum Marrimonialem inſerui in *Manuale Parochorum in Libello* 1. *p.* 3. *cap.* 5. Ideo hic duntaxat ad ſingulas Rubricas breviter annotabo, ubi earum Materia in Manuali legi poſſint, adjuncto in fine uno alteróve Titulo, qui in Manuali non habetur.

Tit. 1.

Tit. I. *Est* 1. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Sponsalibus & Matrimonio.

Videatur Manuale d. Lib. 1. p. 3. cap. 5.

Tit. II. *Est* 2. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Desponsatione impuberum.

Man. d. cap. 5. §. 2. & 3.

Tit. III. *Est* 16. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. Man. d. cap. 5. §. 4.

Tit. IV. *Est* 3. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Clandestina desponsatione.

Man. d. cap. 5. §. 6.

Tit. V. *Est* 4. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Sponsa duorum.

Man. d. cap. 5. §. 1. sect. 3. & §. 5. sect. 9.

Tit. VI. *Est* 4. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Conditionibus appositis.

Man. d. cap. 5. §. 5. sect. 2.

Tit. VII. *Est* 6. *in lib.* 4. *Decretal.*

Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt. Man. d. cap. 5. §. 5. sect. 3.

Tit. VIII. *Est* 11. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Cognatione Spirituali.

Tit. IX. *Est* 14. *in lib.* 4. *Decretal.*

De Consanguinitate & Affinitate.

Man. d. cap. 5. §. 5. sect. 4.

Tit. X. *Est* 13. *in lib.* 4. *Decretal.*

De eo qui cognovit consanguineam uxoris vel sponsæ suæ.

Man. d. cap. 5. §. 4. n. 6.

Tit. XI. *Eſt* 12. *in Lib.* 4. *Decretal.*

De Cognatione legali.

Man. d, §. ſect. 4.

Tit. XII. *Eſt* 7. *in Lib.* 4. *Decretal.*

De eo qui duxit in Matrimonium eam. quàm polluit per adulterium.

Man. d. p. 3. cap. 5. §. 58 ſect. 5.

Tit. XIII. *Eſt* 15. *in Lib.* 4. *Decretal.*

De Frigidis & Maleficiatis.

Man. d. cap. 5. §. ſect. 12.

Tit XIV. *Eſt* 17. *in Lib.* 4. *Decretal.*

Qui matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtari.

Man. d. cap. 5. §. 5. 8.

Tit. XV. *Eſt* 19. *in Lib.* 4. *Decretal.*

De Divortijs.

Man. d. cap. 5. §. 7.

Tit. XVI. *Eſt* 17. *in Lib.* 4. *Decretal.*

De Conjugio Leproſorum.

Man. d. c. cap. 5. §. 7. n. 24.

Tit. XVII. *Eſt* 21. *in Lib.* 4. *Decret.*

De Secundis Nuptijs.

Man. d. cap. 5. §. 5. ſect. 9. & §. 6. n. 7. & 8.

PRætereà ad hunc Titulum *de ſecundis Nuptijs* adnotandum eſt, quòd licet ſecundæ imò & tertiæ & ulteriores nuptiæ Chriſtianis permiſſæ ſint, ſicut contra quoſdam antiquos hæreticos relatos à D. Auguſt. *lib. de hæreſibus.* cap. 26. clarè probatur ex Apoſtolo Paulo ad Romanos *cap.* 7. & 1. *ad Cor.* 7. ibi: *ſi dormierit vir ejus liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino, beatior autem*

erit

erit si sic permanserit &c. & idem Apostolus 1. *ad Tim. 5. vers.* 14. consulit, *ut juniores viduæ nubant.* Legibus tamen civilibus exotæ sunt: & varijs pœnis affectæ fuerunt.

Sunt verò istæ pœnæ legales in duplici differentiâ, aliæ sunt principaliter in odium secundarum nuptiarum, vel accelerati transitus, aliæ principaliter in favorem liberorum prioris matrimonij statuta. Primi generis pœnæ sunt, quòd mulier intra annum luctus nubens fiat infamis, nec secundo marito possit ultra tertiam bonorum partem relinquere nec ipsa sit capax hereditatis ex testamento, vel ab intestato, nec legati aut fideicommissi, *l. 1. C. de sec. nupt.* Et hæ pœnæ de jure Canonico correctæ sunt *in c. pen. & ult. h. tit.* eò quòd videatur injustum per LL. civiles auferri potestatem quandocunque libuerit ad secundas nuptias transeundi, quam Apostolus *d. l.* absolutè concessit.

Secundi generis pœnæ duæ sunt principaliores. I. quòd Conjunx transiens ad secundas nuptias amittat proprietatem omnium bonorum, quæ à defuncto Conjuge consecutus est, eámque transferat ad liberos prioris matrimonij, neque alienare possit. *l. fœminæ. C. de sec. nupt.* II. non potest in dotem dare vel alio titulo secundo Conjugi plus relinquere, quàm dederit uni ex filijs prioris matrimonij, cui minùs reliquit. *l. hâc edictali. 6. C. eod. tit.* Istæ porrò duæ pœnæ quamvis juxta communiorem sententiam tam in marito quàm uxore ad secundas nuptias

transeunte, locum habeant. *per tex ind. l. 6. & l. generaliter. 5. C. eod. Nov. 22. c. 23.* & quidam procedere velint tametsi liberi secundis nuptijs consenserint, quâ de re videantur Sarmientus, *select. interp. lib. 1. cap. 4.* & Fachin. *lib. 3. controv. c. 65.* cessabunt tamen, si liberi prioris matrimonij vel nulli extent, vel ante parentem binubum præmoriantur. *d. l. fœminæ §. 1.* Ex quo ipso satis apparet, has pœnas non in odium secundi matrimonij introductas, neque propriè loquendo pœnas esse, aut delictum supponere, alias enim non minùs defunctis, quàm viventibus liberis infligendæ. III. Mater transiens ad secundas nuptias amittit filiorum tutelam. *l. ult. & auth. Sacramentum. l. quando mulier tutelæ officio &c.* IV. Mater binuba amittit jus educandi liberos prioris matrimonii, ita ut potiùs apud Consanguineos educari debeant. *l. 1. C. ubi pupilli educari debeant.* Plura de his & alijs secundarum nuptiarum pœnis (ut quòd mater binuba perdat tutelam, item educationem liberorum) saltem si propterea circa educationem suspecta sit, longiores Commentarios scripserunt Jur. Civil. Interp. add. tit. *de secundis nuptijs.* Quæ pleraque etiam videri poterunt apud Sanch. *de Matrimonio lib. 7. Disp. 88. & seqq.* Nobis sufficiat scire, quòd istæ pœnæ in favorem liberorum introductæ jure Canonico correctæ non sint. Correctio enim iuris est strictæ interpretationis, nec ad alios casus trahenda. *l. præcipimus, in fine C. de appell.* neque fuisset ratio, ut Pontifex abrogaret illas

las leges, quæ non tam odium secundarum nuptiarum respiciunt, quàm liberis prioris Matrimonij prospiciunt, quos parentes binubi plerumque negligere solent, omnemque suum amorem & substantiam secundis Conjugibus addicere.

Istud adhuc quæri posset, an legato quod maritus relinquit uxori, possit adijci talis conditio, ut id uxor vel petere non possit, vel obtentum etiam amittat, si ad secundas nuptias transierit? R. quamvis conditio, quæ primas hominis nuptias impedit, v. g. si puellæ aliquid legetur in testamento *si non nupserit. &c.* sit de jure reprobata, & quasi de jure impossibilis, in testamento habeatur pro non appositâ & nihilominùs legatum peti possit, quia Reipublicæ interest ex nuptijs homines multiplicari. *l. quoties.* 22. *l. cum tale. § Mævia. & l. Titiæ. si non nupserit. ff. de condit. & demonst.* Imò de jure antiquo etiam conditio obstans secundis nuptijs fuerit rejecta. *l.* 2. *C. de indictâ viduitate.* Hodie tamen de jure novo constituit Justinianus Imperator *in Novell.* 22. *c.* 43. *& seqq.* valere hanc conditionem, qua maritus cum certo aliquo legato uxori, vel uxor marito viduitatem indicit, & si legatarius velit habere legatum debet præstare cautionem quòd id iterum unacum fructibus restituere velit, si ad secundas nuptias transiverit. Sunt enim secundæ nuptiæ propter honorem & amorem conservandum prioris conjugis & liberorum minùs favorabiles, & ideò faciliùs eorum impedimentum conceditur. neque

transeunte, locum habeant. *per tex in d. l. 6. & l. generaliter. 5. C. eod. Nov. 22. c. 23.* & quidam procedere velint tametsi liberi secundis nuptijs consenserint, quâ de re videantur Sàrmientus, *select. interp. lib. 1. cap. 4.* & Fachin. *lib. 3. controv. c. 65.* cessabunt tamen, si liberi prioris matrimonij vel nulli extent, vel ante parentem binubum præmoriantur. *d. l. fœminæ §. 1.* Ex quo ipso satis apparet, has pœnas non in odium secundi matrimonij introductas, neque propriè loquendo pœnas esse, aut delictum supponere, alias enim non minùs defunctis, quàm viventibus liberis infligendæ. III. Mater transiens ad secundas nuptias amittit filiorum tutelam. *l. ult. & auth. Sacramentum. l. quando mulier tutelæ officio &c.* IV. Mater binuba amittit jus educandi liberos prioris matrimonii, ita ut potiùs apud Consanguineos educari debeant. *l. 1. C. ubi pupilli educari debeant.* Plura de his & alijs secundarum nuptiarum pœnis (ut quòd mater binuba perdat tutelam, item educationem liberorum) saltem si propterea circa educationem suspecta sit, longiores Commentarios scripserunt Jur. Civil. Interp. ad d. tit. *de secundis nuptijs.* Quæ pleraque etiam videri poterunt apud Sanch. *de Matrimonio lib. 7. Disp. 88. & seqq.* Nobis sufficiat scire, quòd istæ pœnæ in favorem liberorum introductæ jure Canonico correctæ non sint. Correctio enim iuris est strictæ interpretationis, nec ad alios casus trahenda. *l. præcipimus, in fine C. de appell.* neque fuisset ratio, ut Pontifex abrogaret il-

las

las leges, quæ non tam odium secundarum nuptiarum respiciunt, quàm liberis prioris Matrimonij prospiciunt, quos parentes binubi plerumque negligere solent, omnemque suum amorem & substantiam secundis Conjugibus addicere.

Istud adhuc quæri posset, an legato quod maritus relinquit uxori, possit adijci talis conditio, ut id uxor vel petere non possit, vel obtentum etiam amittat, si ad secundas nuptias transierit? R. quamvis conditio, quæ primas hominis nuptias impedit, v. g. si puellæ aliquid legetur in testamento *si non nupserit, &c.* sit de jure reprobata, & quasi de jure impossibilis, in testamento habeatur pro non appositâ & nihilominùs legatum peti possit, quia Reipublicæ interest ex nuptijs homines multiplicari. *l. quoties. 22. l. cum tale. § Mæviæ. & l. Titiæ. si non nupserit. ff. de condit. & demonst.* Imò de jure antiquo etiam conditio obstans secundis nuptijs fuerit rejecta. *l. 2. C. de indictâ viduitate.* Hodie tamen de jure novo constituit Justinianus Imperator *in Novell. 22. c. 43. & seqq.* valere hanc conditionem, qua maritus cum certo aliquo legato uxori, vel uxor marito viduitatem indicit, & si legatarius velit habere legatum debet præstare cautionem quòd id iterum unacum fructibus restituere velit, si ad secundas nuptias transiverit. Sunt enim secundæ nuptiæ propter honorem & amorem conservandum prioris conjugis & liberorum minùs favorabiles, & ideò faciliùs eorum impedimentum conceditur. neque

Digitized by Google

hoc de Jure Canonico correctum est, quia Canones tantùm corrigunt leges, quæ absolutè omnibus mulieribus intra annum luctus nuptias prohibent, testator autem non absolutè prohibet nuptias, sed tantùm sub conditione si conjunx superstes lucro gaudere velit. *Sanch. d. l. 7. d. 91. & lib. 1. disp. 34. n. 30.*

TITULUS XVIII.

Est 33 in Lib. 3. Decretal.

De Conversione Infidelium.

Vid. Manuale Paroch. p. 3. cap. 7. §. 5. sect. 6.

TITULUS XIX.

Est 17. in Lib. 4. Decretal.

Qui Filij sint legitimi.

SUMMARIA.

1. *Illegitimi in multis deterioris conditionis, quàm legitimi.*
2. *Natus constante Matrimonio præsumitur legitimus licet uxor adulterium fecerit.* (benda.
3. *Matri asserenti filium illegitimum, an sit fides ha-*
4. *Natus ex Matrimonio putativo quando censeatur legitimus.* (gitimè natus.
5. *Conceptus ante Matrimonium, & natus in eo est le-*
6. *Natus ante Mensem nonum quando habeatur pro legitimo.*
7. *Quid, si post nonum Mensem.* 8. De

Digitized by Google

8. *De legitimatione per ſubſequens Matrimonium.*
9. *Sufficit matrimonium ratum, non tamen putativum.*
10. *Circa legitimationem* per ſubſequens Matrimonium *differentia inter Ius Can. & Civile.*
11. *Filij adulterini & incœſtuoſi non legitimantur.*
12. *Natus ex incœſtu Materiali ignaratâ ſcil. conſanguinitate an legitimetur.*
13. *Filij Clerici in minoribus conſtituti an legitimentur per ſubſequens Matrimonium.*
14. *De legitimatione* per reſcriptum Principis, vel Indultum Comitis Palatini, *& ejus effectu.*

POſtquam hactenus viſum eſt, quænam ſolennitates, & impedimenta, obſervari debeant, ut matrimonium rectè contractum dicatur, nunc in hoc Titulo, de Matrimonij effectu agitur, qualiter nimirum Liberi per matrimonium *legitimi* ſint aut fiant.

Notandum itaque 1. plurimùm intereſſe, an quis pro legitimè vel illegitimè nato habeatur, nam illegitimè natis, cùm adhæreat ſemper macula paterni peccati, eorúmque genitura à LL. reprobata ſit, ideò in multis deterioris ſunt conditionis quàm legitimè nati, ita enim ad Ordines Eccleſiaſticos promoveri non poſſunt, *tit. de Filijs Presb. non ordinand.* nec ad beneficia curata vel Prælaturas. *c. cùm in cunctis. c. innotuit. de elect.* tametſi per diſpenſationem aut ingreſſum in Monaſterium ad Ordines habilitati fuiſſent, niſi Pontifex ſpecialiter etiam quoad dignitates, diſpenſaſſet. c. 1.

hoc de Jure Canonico correctum est, quia Canones tantùm corrigunt leges, quæ absolutè omnibus mulieribus intra annum luctus nuptias prohibent, testator autem non absolutè prohibet nuptias, sed tantùm sub conditione si conjunx superstes lucro gaudere velit. *Sanch. d. l. 7. d. 91. & lib. 1. disp. 34. n. 30.*

TITULUS XVIII.

Est 33 in Lib. 3. Decretal.

De Conversione Infidelium.

Vid. Manuale Paroch. p. 3. cap. 7. §. 5. sect. 6.

TITULUS XIX.

Est 17. in Lib. 4. Decretal.

Qui Filij sint legitimi.

SUMMARIA.

1. *Illegitimi in multis deterioris conditionis, quàm legitimi.*
2. *Natus constante Matrimonio præsumitur legitimus licet uxor adulterium fecerit.* (benda.
3. *Matri asserenti filium illegitimum, an sit fides hu-*
4. *Natus ex Matrimonio putativo quando censeatur legitimus.* (gitimè natus.
5. *Conceptus ante Matrimonium, & natus in eo est le-*
6. *Natus ante Mensem nonum quando habeatur pro legitimo.*
7. *Quid, si post nonum Mensem.* 8. De

8. *De legitimatione per ſubſequens Matrimonium.*
9. *Sufficit matrimonium ratum, non tamen putativum.*
10. *Circa legitimationem* per ſubſequens Matrimonium *differentia inter Ius Can. & Civile.*
11. *Filij adulterini & incœſtuoſi non legitimantur.*
12. *Natus ex incœſtu Materiali ignaratâ ſcil. conſanguinitate an legitimetur.*
13. *Filij Clerici in minoribus conſtituti an legitimentur per ſubſequens Matrimonium.*
14. *De legitimatione* per reſcriptum Principis, vel Indultum Comitis Palatini, *& ejus effectu.*

POſtquam hactenus viſum eſt, quænam ſolennitates, & impedimenta, obſervari debeant, ut matrimonium rectè contractum dicatur, nunc in hoc Titulo, de Matrimonij effectu agitur, qualiter nimirum Liberi per matrimonium *legitimi* ſint aut fiant.

Notandum itaque 1. plurimùm intereſſe, an quis pro legitimè vel illegitimè nato habeatur, nam illegitimè natis, cùm adhæreat ſemper macula paterni peccati, eorúmque genitura à LL. reprobata ſit; ideò in multis deterioris ſunt conditionis quàm legitimè nati, ita enim ad Ordines Eccleſiaſticos promoveri non poſſunt, *tit. de Eſtijs Presb. non ordinand.* nec ad beneficia curata vel Prælaturas. *c. cùm in cunctis. c. innotuit. de elect.* tametſi per diſpenſationem aut ingreſſum in Monaſterium ad Ordines habilitati fuiſſent, niſi Pontifex ſpecialiter etiam quoad dignitates, diſpenſaſſet. c. 1.

ubi Pan. & DD. d. t. de Filiis Presb. Item nec Patri nec Fratribus aut alijs Consanguineis lineæ paternæ legitimè natis succedunt, qua de re videantur quæ in lib. 3. in tit. *de successione ab intestato.* dicentur, & licet matri succedant in allodialibus, & nonnunquam Patri in duabus uncijs, ut ibidem tradetur, in bonis tamen seu feudalibus generaliter excluduntur. *in c. Naturales. in Tit. si de feudo defuncti contentio sit &c.*

2 Notandum II. quòd natus constante Matrimonio adeò habeatur pro legitimo, ut tametsi probari possit uxorem sæpius adulterium commisisse, nihilominus favore prolis potius ex marito, quàm adultero concepisse præsumatur. *L. miles.* 11. §. *defuncto.* 8. *ff. ad L. Jul. de adult.* Interim nec præsumptio, licèt ordinarias probationes vel alias præsumptiones in contrarium non admittat, cedit tamen rei evidentiæ & veritati, si v. g. eo tempore, quo mulier concepit, & alio insuper longiore maritus absens, vel ob infirmitatem, aut aliam causam ad generandum patenter inhabilis fuerit, *l. filium. 6. ff. de his quæ sui vel alieni juris.*

3 Sed quid, si uxor ipsamet fateatur partum adulterinum esse? Communis est sententia, filium, pro quo stat juris præsumptio, non teneri fidem habere huic maternæ confessioni nisi evidentiores probationes concurrant. *sex. cum Nota Gottofr. in L. Imperatores. 29. §. mulier. ff. de probat. Panorm. in c. per tuas 10. ff. de probat. n. 4. And. Gail. pract. obs. lib. 1. obs. 97. n. 8. Layman. in Theol. mor. lib.*

3. *Tract.*

3. *Tract.* 3. *p.* 3 *cap.* 14. *n.* 1. apud quem ibidem plura de obligatione ex adulterio videri poterunt, quæ ad partem 3. ad Tit. *de adulteriis & ſtupro.* remittimus.

Notandum III. non tantùm natos ex Matrimonio valido eſſe legitimos, ſed etiam illos qui nati ſunt ex matrimonio putativo, quod reverâ quidẽ propter impedimentũ aliquod occultum conſanguinitatis, aut ſimile fuit invalidũ, publicè tamen credebatur validum: dumodò duo concurrant: nimirùm primò, quod ſaltem unus ex conjugibus putativis (tempore contractûs) fuerit in bona fide & ignarus impedimenti. Secundò, ut Matrimonium fuerit contractum publicè in facie Eccleſiæ, & præmiſſis denuntiationibus, *c. ult. §. ſi quis. de Cland. deſponſ. & c. pen. h. t.* Hic autem breviter circa utramque conditionem ſubnotandum I. quòd in dubio & pro favore prolis præſumatur potiùs ignorantia, quàm ſcientia impedimenti, teſte Cov. *de Matrimonio. p.* 2. *c.* 8. §. 1. *n.* 5. facit regula 47. *juris in* 6. ubi dicitur, *præſumi ignorantiam, niſi probetur ſcientia.* 4

II. Omiſſionem denuntiationis impedire legitimitatem prolis, quamvis uterque conjunx fuerit in bona fide, ſi culpabiliter, ſeu dolosè facta fuerit, non autem ſi juſtâ de causâ & ex authoritate Epiſcopi, qùia *d. c. ult. de Cland. deſponſ.* partim eſt latum in pœnam clandeſtinè contrahentiũ, partim verò fundatur in præſumptione, quòd ij, qui denuntiationes ad revelandum impedimentum inſtitutas omiſerunt, ſcientiam, aut ſaltem

tem affectatam tantùm ignorantiam impedimenti habuerint; ergò si in omissione denuntiationum nihil peccatum sit, cessabit etiam pœna & præsumptio.

3 Notand. IV. Natos constante matrimonio haberi in Jure pro legitimis, licet ante matrimonium per copulam fornicariam concepti fuissent, sicut apertè decidit Justin. Imperator *in l. nuper.* 11. *vers. & multò magis. C. de naturalibus. lib.* ubi etiam generaliter pronuntiat, quòd in quæstionibus statum liberorum concernentibus, pro favore eorundem non conceptionis, sed Nativitatis tempus inspiciendum sit.

Sed dices, quomodò Imperator potest illos dicere legitimè natos filios, qui reverà non ex copula matrimoniali, sed fornicaria nati sunt? Respondetur ut aliquis legitimè natus dicatur, non esse effectum juris naturalis secundùm quod Jus omnes æqualiter nascimur ex viro & ex fœmina, sed esse potiùs effectum legis (unde & legitimi dicuntur) & Juris positivi, quod alicujus nativitatem approbat, eique Jura legitimè natorum attribuit, ergò cùm Imperator tamen hoc casu natos constante matrimonio, quamvis antea conceptos, & in priori casu Pontifex natos ex matrimonio putativo bonâ fide contracto voluerit legitimè natos, ideò etiam à nobis tales dici, & haberi debebunt. Nec obstat quòd constitutio *d. l nuper.* non habeatur expressè in Jure Can. vel constitutio *d. c. ult. de Claud. despon.* in Jure

Jure Civil. quia Jus Canonicum & Civile sibi mutuum subsidium præstant, ut quod in uno decisum non est, ex altero suppleatur, *jux. c. 1. de novo. op. nunc.*

Sed quid si mulier pariat quidem in matri- 6
monio, sed tam maturè, ut maritus qui ante matrimonium negotium cum ea non habuit, dubitare possit, an partus suus vel alienus sit? Respondetur, quamvis ordinarium tempus pariendi *novem mensium* æstimetur, si tamen mulier peperit *septimo mense* partus legitimus reputabitur, quia intra hoc tempus naturalem partum edi posse, ex sententia Medicorum receptum esse tradit J. C. *in l. septimo mense ff de statu hominum* Idque non tantùm de completo mense septimo accipiendum est, sed & ad initium septimi mensis legitimum partum nasci, satis apertè probatur. *ex c. 3 § ult de suis & legit. hæred.* ubi dicitur, quòd ex sententia Hypocratis ab Imperatore Pio approbata 182. *die* natus legitimo tempore natus habeatur: jam si more Græcorum 30. dies pro mense computentur, ut notat Gottofr. *ad eund. §. ult.* erunt 6. menses & 2. dies.

Notaodum V. Non ita præcisè tempus nativitatis inspici circa legitimitatem liberorum quin aliquando potiùs tempus conceptionis consideretur, si hoc sit eis favorabilius. Unde qui in matrimonio conceptus, & mortuo patre natus est, haud dubiè legitimus posthumus dicetur.

Quid autem si mulier post mortem mariti non 7
pariat

pariat intra 9. menſes, ſed multò poſt, v. g. in menſe decimo aut undecimo. Reſpondetur, ſicut ob diverſas naturæ qualitates mulier aliquando citiùs, ita etiam aliquando ſeriùs parere poteſt, ita quidem, ut omnes facilè conſentiant partum in menſe decimo editum cæteris paribꝰ, ſi nimirum mortuus ante mortem fuiſſet diſpoſitus ad generandum, legitimum cenſendum eſſe. De menſe 11. difficultas eſſe videtur propter Novellam 39. c. ubi Imperator partum 11. menſe perfecto editum vocat *impium*, & ait impoſſibile, ut conceptio ex marito defuncto in tantum tempus extendatur. Sed quia Imperator de partu menſe undecimo perfecto & circa terminum anni edito loquitur, ideò concedendum quidem eſt, talem partum præſumptione Juris haberi pro illegitimo, ſi tamen ad initium vel etiam medium undecimi menſis peperiſſet, & de cætero bonæ famæ & vitæ æſtimata fuiſſet, & maritus quoque ante mortem nullo generandi impedimento laborâſſet, pro favore prolis reſpondendum, putarem, quia in dubio non præſumitur delictum *L. marito. ff. pro ſocio*. imò ipſam Novellæ præſumptionem circa partum poſt menſem undecimum natum per judicium Medicorum (quibus non dubito juramentum deferendũ eſſe quod ita ſicut dicunt, & non aliter in conſcientia ſentiant) edi poſſe, ſi atteſtentur juxta diſpoſitionem naturæ mulieris partum ſine ſuſpicione tamdiu retentum eſſe, &

sé, & concurrat bona Mulieris apud vicinos existimatio, quibusdam exemplis probat Gottof. *in not. ad d. c. 2. Nov. 39. l. 7.*

Notandum VI. quod tanta sit vis matrimonij, 8
ut non solùm illi, qui in eo concepti, aut nati sunt, sed etiam qui antea sunt geniti post illud contractum legitimi habeantur. *c. tanta 6. h. t. ubi prolixè Barbosa in Collect. DD.* neque refert an immediatè, vel post intervallum longioris temporis, aut aliarum nuptiarum illa fœmina in uxorem ducatur, ex qua prius liberi per fornicarium congressum suscepti sint. E. g. nihil obstabit legitimationi, si primo postquam filium ex concubina genuit, relictâ concubinâ aliam in uxorem accipiat, & hac mortua tunc primum concubinam ducat. *Panorm. in eod. c. 6. n. 3. & DD. communiter.*

Notandum VII. ad legitimationem liberorum 9
solum Matrimonium ratum sufficere, nec requiri ejusdem consummationem, quia *in d. c. tanta.* dicitur, filios post contractum Matrimonium esse legitimos, & nulla ibi fit mentio consumationis, undè si contingeret Patrem ante consummationem mori vel ipsum Matrimonium in periculo mortis contrahi, nihilominus filius legitimus haberi deberet *Barb. in eod. c. 6. n. 8.*

Per Matrimonium autem putativum non legitimantur, quia quod est de jure nullum, nullum producit effectum, quare autem magis natus in Matrimonio putativo legitimus censeatur, est, quia non est natus ex delicto, sed in forma Matrimonij suppositâ bona fide, ille verò ex delicto, ergo debet

Digitized by Google

aliquid accedere legitimum, quod illud delictum cum effectu purget.

10 Notandum VIII. quamvis de jure Civili ad legitimationem liberorum duo videantur requiri. I. ut dotalia instrumenta unácum nuptijs confecta sint. *Novell.* 89. *c.* 8. II. ut concubina ex quâ illegitimus susceptus est, fuerit domi loco uxoris detenta, adeóque sine suspicione quòd ex alio fortassis conceperit. *l. nuper in pr. C. de natur. lib.* De jure tamen Can. neutrum requiritur; quia tex. *in d. c. tanta*, generaliter loquitur, ergò pro favore legitimationis etiam generaliter est accipiendus. *Barb. d. l. n.* 4. *&* 5. atque hac in parte Jus Canonicum etiam in terris Imperij receptum est. Et mertiò quidem tum quòd effectus legitimationis dependeat ex Matrimonio, quod ad sui substantiam non requirit dotalia instrumenta solo mutuo consensu cum præsentiâ Parochi & testium sufficienti. *c. is qui fidem de spon. Trid. sess.* 24. *de refor. matr. c.* 1. & aliàs in dubijs à Matrimonio dependentibus semper magis jus Can. quàm Civile sequi debeamus, *c. cum tuam de ord. cogn. c. lator. h.* tum etiam quòd hodie ampliùs non toleretur concubinatus ideóque rarus vel nullus esset hodie ram favorabilis matrimonij effectus.

11 Notandum IX. ad legitimationem liberorum per subsequens Matrimonium requiri ut saltem uno ex tribus temporibus inter parentes potuerit Matrimonium consistere, videl. vel tempore *conceptionis*, vel *medio*, vel tempore *partus*; quia liberi merè adulterini, incæstuosi, aut aliàs damnati in ju-

Digitized by Google

jure per ſubſequens matrimonium non legitimantur. Unde ſi v. g. aliquis ex adulterio conceptus & vivente legitimo marito natus ſit, non fiet legitimus quamvis marito mortuo Mater ejus ab adultero in uxorem ducatur; ſimiliter nec Jura legitimorum conſequitur, qui ex incæſtu cum conſanguinea genitus eſt, licet poſt ejus nativitatem Mater per diſpenſationem in uxorem ducatur, niſi ante nativitatem in utroque caſu impedimentum (in priori per mortem mariti, in altero per diſpenſationem) fuiſſet ſublatum: Tunc enim ſaltem tempore medio aut partus potuiſſet inter parentes matrimonium conſiſtere, *tex. & DD. in c. tanta h. t.*

Sed hic quæritur, an ignorantia impedimenti patrocinetur filio? an qui v. g. natus quidem ex conſanguinea parentibus tamen conſanguinitatem ignorantibus legitimus cenſeatur, ſi poſtea per diſpenſationem Matrimonium contrahatur? Negativè reſpondet Barb. *in d. c. tanta. n.* 42. partim ex generalitate textûs *in d. c. tanta.* qui non diſtinguit, an parentes habuerint impedimenti ignorantiam, ſed ſolùm conſiderat, an inter eos tempore conceptionis vel nativitatis potuerit conſiſtere Matrimonium, partim etiam quòd parentes peccantes non potuerint habere excuſationem ignorantiæ, quia dederunt operam rei illicitæ, *danti autem operam rei illicitæ, imputantur etiam quæ præter ipſius intentionem ſequuntur. c. tua. de homicidio. & c. ult. eod. in 6.* 12

Contrariam tamen ſententiam aliquando in Rota Romana prævaluiſſe ex Caſſidoro refert Barb. *d. l. n.* 41. eáque etiam apud nos in praxi recepta

est. Ratio mihi videtur esse valde efficax, quòd talis filius non sit natus ex formali incæstu, sicut nec parentes in tali casu tanquam incæstuosi propter ignorantiam impedimenti pœna incæstûs Ordinariâ punirentur, ergò in materia favorabili, non venit nomine incæstuosi. Undè *d. c. tanta, h. t.* explicandum est de illis qui ex formali adulterio vel incæstu sunt geniti. Item illa regula, *quòd danti operam rei illicitæ imputentur quæ sequuntur*, plerúmque tantùm circa homicidium in ordine ad irregularitatem incurrendam (quæ etiam ex culpa leviſſima contrahitur) locum habet.

13 Quæritur prætereà, utrùm filius à Clerico in minoribus Ordinibus constituto genitus legitimetur, si postea Clericus depositò Clericatu matrem in uxorem ducat? Affirmativa communis & vera est, quia inter talem Clericum & fœminam etiam tempore conceptionis potuit consistere Matrimonium; cùm minores Ordines non constituant impedimentum dirimens. *Cov. dec.* 8. §. 2. *n.* 5.

14 Notandum X. licèt illegitimè nati etiam per Rescriptum Principis, vel indultum Comitis Palatini legitimari possint, majoris tamen effectûs est legitimatio per Matrimonium. Nam legitimati per Rescriptum Principis succedunt Patri, si alij filij ex justis nuptijs procreati adsint, nisi pater ipse supplicaverit Principi, & legitimationi inserta sit clausula: *non obstante quòd adsint filij legitimi &c.* imò in bonis feudalibus, fideicommissis familiarum, & majoratibus prorsùs excluduntur; at verò legitimati per Matrimonium legitimè natis in omnibus

&

& per omnia æquiparantur, inducitur enim legitimatio ab ipsa lege tam Canonica, quàm Civili, adeoque omnes effectus legis ipsi tribuuntur, nam verè est legitimus quem lex pro tali habet, cùm aliquem legitimum esse non proveniat à natura secundùm quam omnes æqualiter nascamur, sed Lege ejus nativitatem sive ab initio, sive ex post facto approbante, sicut hac de re dicemus in lib. 3. in Tit. *de successione ab intestato.* Et videri poterunt, quæ tradit Harprechtus *ad principium Instit. de succes. ab intestato, n.* 271. *& seqq.* Porrò dum diximus legitimationem per subsequens Matrimonium ipso Jure induci, ulterius quædam consequuntur, de quibus

Notandum est ultimò, quòd legitimatio per re- 5
scriptum Principis sæcularis vel Comitis Palatini non habeat effectum in foro Ecclesiastico, v. g. ut talis legitimatus possit Ordines suscipere. *Pan. in c. per venerabilem. h. t. n.* 26. imò non pauci DD. sentiunt teste Fach. *Lib.* 3. *Controv. c.* 58. quòd legitimatio ab uno principe facta non habeat effectum in territorio alterius Principis, adeò ut v. g. legitimatus ab Imperatore non succedat in bonis in Papali territorio sitis. Item ad legitimationem per rescriptum Principis requiritur, ut tam Pater, quàm filij legitimandi & secundùm quorundam opinionem etiam alij Filij legitimi si extent, consentiant. *Nov.* 89. c. 9. & 11. Verùm in his omnibus aliter se res habet si legitimatio per Matrimonium contingat, talis enim Filius cum ipso Jure legitimus effectus sit, tam in foro Ecclesiastico quo-

Digitized by Google

ad ordines beneficia & dignitates, quàm in Civili quoad hereditates, ſtatum familiæ, Jura retractus &c, atque ubique terrarum pro legitimo habendus erit, neque intereſt, an Pater vel alij Filij in matrimonio nati conſentiant, aut diſſentiant, *Vide Barb. in ſapè d. c. tanta. h. t.*

TITULUS XX.

Eſt 9. in Lib. 4. Decretal.

De Conjugio Servorum.

SUMMARIA.

1. *Servi qui dicantur.*
2. *Servitus an etiam hodie inter Chriſtianos locum habeat.*
2. *Homines proprij qui dicantur.*
4. *Servi an & qualiter poſſint Matrimonium contrahere.*
5. *Error in qualitate ſervili cur magis irritare poſſit Matrimonium, quàm in alia.*

1. SErvorum appellatione in jure non veniunt famuli noſtri temporis, qui nobis pro certa mercede vel gratis inſerviunt, & verè liberi ſunt, ſed illi, qui ex jure gentium, vel civili alieno domino contra naturalem libertatem ſubijciuntur, ita ut adinſtar aliarum rerum noſtri patrimonij poſſideri vendi & alienari poſſint. Et ij olim habebantur qui in bello capti erunt. Unde & mancipia quaſi manu capti dicebantur, & qui deinde ex hujuſmodi captis ancillis naſcebantur, licet ex congreſſu hominis liberi, etiam conditionem ſuæ matris

tris & ſtatum ſervilem induebant, ut prolixè tra- 2
dunt interpretes in tit. Inſtit. *De jure Perſonarum.* hodie verò inter Chriſtianos generali conſuetudine ſervitus ſublata eſt, ita ut capti in bello inter Chriſtianos geſto non fiant propriè capientium ſervi tum ob dignitatem Chriſtiani Nominis & honorem ac memoriam libertatis, quâ nos Chriſtus donavit: tum quòd bella inter Chriſtianos Principes, adeóq; inter cives Romanos geſta potius bella inteſtina cenſeri debeant, in quibus capti nec olim ſervi efficiebantur. In bello tamen quod contra Turcas & Barbaros geritur, adhuc hodie ſervituti locus eſt, eâ tamen inter jus antiquum & hodiernum differentiâ conſtitutâ, quòd olim Romani capti ab hoſtibus etiam apud Romanos pro ſervis habiti fuerint, & ſi teſtamentum apud hoſtes feciſſent, id nullum & irritum cenſebatur: hodie verò Chriſtiani habent quidem captos Turcas pro ſervis, ſed non ſuos Chriſtianos captos â Turcis, quia indignum videtur, Chriſtianum à Chriſtiano cenſeri ſervum Turcarum & infidelium.

Præterea licet in noſtra Germania & alijs vici- 3
nis locis reperiantur homines qui proprij ſive vulgò **Leibeigne** vocantur, quos aliqui adſcripticios, qui ſcilicet fundo colendo perpetuo adſcripti ſunt, vel orgiñarios qui ex adſcripticijs nati ſunt, cenſent, nihilominus tales homines proprij ſicut & adſcripticij & originarij, licet fortaſſis primitùs ex ſervis deſcenderint, hodie tamen verè liberi reputantur, niſi quòd majori aliquâ obligatioone quàm

cæteri ſubditi ſuis dominis teneantur. *Sanch. de matrim. lib. 7. d. 19. n. 9. Gail. de pignor. Obſer. 8. n. 1.*

4 Porrò leges quidem civiles inter ſervos non Matrimonium, ſed *contubernium* tantùm agnoſcunt *l. 3. C. de incæſt. nupt.* attamen de Jure Canonico, quod in materia matrimoniali prævalet, verùm Matrimonium inter ſervos habetur, *c. 1. h. t.* ita ut non tantum inter ſervum & ancillam, vel etiam inter ſervum & liberam, vel econtra Matrimonium contrahi poſſit, dummodò error conditionis ſervilis non interveniat, ſed ſcienter libera cum ſervo, aut ingenus cum ancilla contrahat. *c. ſi quis ingenuus. 29. q. 2.* imò nihil intereſt, quo ad valorem Matrimonij, an dominus in matrimonium ſervi conſenſerit, vel non, *jux. c. h. t.* quia Matrimonium conſenſum eſt jure naturali & divino in remedium concupiſcentiæ, & propagationem generis humani, quod jus dominus ſervo auferre non poteſt; cùm ipſum jus Gentium, quod ſervitutes introduxit, non niſi ſalvo jure naturali & divino poteſtatem in ſervum domino dederit. *Barb. in d. c. 1. n. 2.*

Verùm per talem contractum Matrimonij inter ſervos initi non debet etiam Domino jus ſuum auferri vel minui, unde nec ancilla quæ ſervo alterius domini nupſit, proprium dominum deſerere poteſt, neque maritus ſervus prætextu conjugij ſervitia domini negligere, ſed ita utrobique res temperanda eſt, ut ex imperio & occupatione Domini ſervus non impediatur ſuo tempore ab uſu Matrimonij, & viciſſim ſervus ita mode-

ra-

ratè uti debet Matrimonio, ne Domino notabile præjudicium facit. *h. t. & DD. in sæpè d. c. h t.*

Cæterùm quòd ex errore in conditione servili, si scilicet putans ducere liberam vel liberum, ducat ancillam vel servum, irritari possit Matrimonium, diximus in Manuali. Paroch. p. 3. c. 5. §. 55. Sect. 1. Quare autem magis propter errorem in conditione servili, quàm in alia qualitate v. g. nobilitate, divitijs &c. concedatur irritate Matrimonium, hæc assignari potest ratio, quia ex qualitate servili valdè grave præjudicium infertur, & quasi ipsi substantiæ & fini Matrimonij repugnans, cùm servus non possit absolutam sui corporis potestatem tradere; sed tantùm quatenus servitia Domini admittunt, similiter nec uxori perpetuò cohabitare, nec si quis ancillam duceret proles tam ad se quàm ad dominum pertineret, cùm partus sequitur ventrem, id est matris conditionem, ut mox dicemus.

Titulus XXI.

Est 10. *in Lib.* 4. *Decretal.*

De Natis ex libero ventre.

Quòd partus sequatur ventrem paulò ante diximus, adeoque non tantùm si mater serva fuerit, partus nascetur servus, licet pater fuerit liber, sed etiam si mater fuerit libera, quamvis pater servus partus liber & sui juris erit. Idque

etiam tunc si modò mater uno ex temporibus scilicet vel tempore *Conceptionis*, vel *Nativitatis*, vel *medio* aliquando libera extiterit, licet posteà iterùm in servitutem reducta sit, quia fictione Juris, is qui in utero est, pro jam nato habetur quoties de ejus commodo agitur, & sic eo tempore quo mater libera fuit, *text. & interpret. in c. un. h. t.* & clariùs *in l. 5. §. 2. 3. & l. 7. ff. de statu hominum.* Sed hæc circa statum & conditionem servilem ita obtinent, de cætero inter homines liberos, partus quoad dignitates & honores non matris, sed patris conditionem sequitur, sicut & ipsa mater seu uxor dignitatem & omnimodam conditionem etiam inferiorem sui mariti, *l. fœminæ. ff. de Senatorbus. l. 1. & l. mulieres. 15. C. de dignitatibus.*

Atque hæc circa PRIMUM JURIS OBIECTUM sc. PERSONAS, ad Divinissimæ TRINITATIS honorem & gloriam, DEIPARÆ VIRGINIS, D. P. BENEDICTI, S. IVONIS, & OMNIUM COELITUM venerationem, Studiosorum verò Juris Canonici utilitatem dicta sufficiant.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google